37
4 D
13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPUTATIONES
AD MORBORUM
HISTORIAM ET CURATIONEM
FACIENTES.

QUAS COLLEGIT, EDIDIT ET RECENSUIT

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS PRIMUS.

AD MORBOS CAPITIS ET COLLI.



Aubert Sc.

LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAEL. BOUSQUET & Socior.

MDCCLVII.

LECTURIS SALUTEM.

Ecce collectionis, quam nuper promiſeram primam partem, ex meis unice libris decerptam. Dum relegi quadraginta Diſputationes, quæ hoc volumine continentur, non abſque aliquo dolore convictus ſum, non perinde bonis verique fructus libellis hujus generis nos abundare, uti quidem in Anatomicis & Chirurgicis abundamus, cum tamen multo major ſit clinicorum Medicorum turba, quam vel profectorum numerus, vel manu ſua curantium. Innumerabiles diſputationes pene me ſunt, quibus morbi vulgari & de trivio ſumta methodo utcunque deſcribuntur, eo fere modo, adque eum ſaporem, qui eo tempore receptior fuerit. Nihil vero videas ibi novi, proprii, aut ſupra vulgus elati. Alii eruditi viri, nam ejuſmodi viri in Germania rari fuerunt, & nunc frequentiores paulo quam olim, literis eleganter docti, lectione bonorum librorum non mediocriter inſtructi, tamen in ſuis nitide ſcriptis libellis non habent id obſervantis medici Sydenhamianum dixerim ingenium, aut Hippocraticum, quod ego unice requiro, aliis ſi eruditione ipſis ſatis factum fuerit, minime vitio verſurus. Picturam morbi volo, ad lectulos ægrotantium natam, fido penicillo ita adumbratam, ut qui picturam viderit, morbum non adgnoſcere non poſſit. Curationes volo, quæ utramque dotem conjungant, nempe neque vulgares ſint, neque tamen ex paucis exemplis ſubito natæ, ſed longo rerum uſu confirmatæ. Hos enim ſolos libellos ad poſteros perventuros eſſe per priorum temporum experientiam convincor, qui rebus, ſuiſque rebus graves fuerint. Verum oppido paucas ejus ordinis diſputationes licuit conquirere. Alterum genus minus utique eximium, hactenus tamen utile, id fuerit, quo aliqua certe momenti non minimi propria morbi hiſ-

toria continetur, ſive ſectio fuerit cadaveris aliquo recondito malo extincti, ſive unice non vulgaris ægritudinis diarium. Pluſculos hujus generis libellos collegi, quibus condonaſſe oportet, quidcunque præter veram frugem caſſæ habent paleæ, longa nempe ratiocinia, fictas ad ſectam rei geſtæ interpretationes, collecta undique, ex vulgatis fontibus monumenta. Nolui enim hactenus eam mihi ſumere libertatem, ut de utilibus inutilia amputarem; neque enim otium mihi ſuffeciſſet, neque forte ea, quibus ego facile careo, aliis perinde ſupervacua videbuntur. Quare nullam quidem inutilem diſputationem habebis, Lector amice, multas vero in quibus ſit, quod demere velles, eximias tamen verique ſaporis aliquas, inter quas pro exemplo propono *Jacobi* GRAINGER caſtrenſis medici libellum. Sequentur continuo diſputationes quæ ad morbos pectoris & abdominis pertinent, hæ quidem aliquanto uberiores, tunc non exigua ad febres collectio. Tu vero innocentiſſimis noſtris ſtudiis porro fave, laboreſque noſtros Tua ſuſtenta Benevolentia.

BERNÆ die 24 *Septemb.* 1757.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIONUM

AD

HISTORIAM

ET

CURATIONEM MORBORUM

PERTINENTIUM.

PARS PRIMA

AD MORBOS CAPITIS.

I.

JOAN. NICOLAI PECHLIN

DE APOPLEXIA.

Leid. 1667.

Digitized by Google

THES. I.

NOmen apoplexiæ dicitur ab ἀποπλήσσεσθαι, quod, ceu bos ictus procumbit ad aram, corruat. Fit autem à graviſſimo ſymptomate denominatio, quin & definitio, prorſus eo modo, ut Græcis à calore febris, non ſolum appellatur ſed etiam definitur, unde eſt, quod Galenus eam modo per qualitatem activam modo paſſivam deſcripſerit, & ſexcenta alia.

2. Hoc exemplo definitur apoplexia, quod ſit *repentina motus & ſenſus omniſque animalis functionis privatio*: definitio me hercle, non quæ eſſentiam morbi doceat, ſed quæ per ſigna exiſtentiam, & quæ vel in eo mala eſt, quod fatali termino pro genere utatur, nam à *privatione ad habitum non datur regreſſus*, melius eſſet dicere interceptionem, quia facultatis aut ſpiritus influxus in partem impeditur.

3. Nobis materialis placet definitio: *apoplexia eſt compreſſio cerebri medullaris, qua ad ſpinam vergit.* Primo partem affectam conſiderabimus, quæ morbi ſpeciem determinat, tum deinde, eſſentiam ejus à cauſis continentibus repetemus, & accidentia in ſymptomatis proponemus.

4. Cerebrum intelligo partem organicam, *materia* & *forma* talem, ex utriſque ſubjectum patiens: etiamne in aliis partibus ſe habet ſideratio? Hippocrati habet, ut *lib. de flatibus* teſtatur *Tm. nona decima edit. nova.* Cerebro tamen, de *glandulis*, adſcribit *Tm. nona*; ſed in quibus ego jam dudum ſenſum quæro, cum utroque loco cauſis & ſymptomatis diſtinctos affectus eodem nomine appellare religio ſit: Cælius intelligit ex mente Hippocratis univerſi corporis paralyſin.

5. Cerebri *materia* eſt illud pingue & unguinoſum, quod calvaria continetur, partibus conſtans geminis alba & fuſca, quarum iſta medullaris hæc corticoſa ſanioribus audit. *Forma* paulo aliter explicanda venit, ut facem præluceat cauſis proximis. Album iſtud ſeu medullare ſurgit e cruribus medullæ oblongatæ & in ſtrias primum ſe diffundit, inter quas delitеſcit pars fuſca, quibus recollectis facit ventriculorum iſtud ſuccinctorium corpus calloſum dictum, (Vid. fig. 8. CL. Williſii in ea de cerebro Anatome) cujus pars, quæ ſuperius ventriculis imminet, fornix dicitur, anterius baſi, poſterius cruribus ſuffultus. Ab hoc corpore calloſo & ſtriis medullaribus derivantur rami medullares ad globi circumferentiam, qui meandros parti fuſcæ relinquunt diſtinguendos, & huc iterum ceu in rivum collineant, ut ſic merito cerebri contortuplicati, plautinum eſt in perſa, ratio poſſit deduci. Extremum cerebri limbus eſt principio proximus, non cognatione, ſed connexione per membranularum & vaſorum fibras; ventriculorum figura ab hoc limbo potiſſimum dependet, nam eo

leviter diſſoluto forma perit, ut non primaria intentione naturæ ſed per accidens emergere ex cerebro videantur. Fundamentum in hac forma eſt illud *μέτρον*, quod *ultra citraque nequit conſiſtere rectum*, quin vitium ſit.

6. *Formæ*, aut ſtructuræ *vitium* vulgo dicitur *conformationis*, cujus tres faciunt ſpecies. *Superficiem*, *cavitatem*, *figuram*. *Superficies* locum non habet omnium judicio, ſed nec meo *cavitas*, quamvis ea pluribus placeat, & ab obſtructione, qui in ventriculis officinam ſpirituum ſtatuunt; ſed eſto; quomodo cavitatis vitium, cum ſpatium non mutetur ſed ſpatii modus, rectius, ſymptoma materiæ ab infarctu; utrumne à compreſſione cavitatis? Non eſt, cum cavitas hic nulla ſit, ut poſtea demonſtrabimus, aut ſi vis cavitatem, inſenſilem intelligas oportet, quod ſi licet, jam omnia cum corporibus & poris ſint plena, ex compreſſione morbum cavitatis involverent; ita in arcu, cum adductus eſt, vitium eſſet cavitatis, quoniam laxati arcus poris recepta aëris materia craſſior, in adducto aut compreſſo excluditur: quo caſu nemo inficias ibit *figuram* mutari & cauſam eſſe iſtius phænomeni in arcu, ſicut ego in noſtro affectu comparatum eſſe puto. Cum enim ſpirituum influxus per inſenſiles meatus perficiatur, eorum, per compreſſionem corporis, figura mutata in noxa erit; per corpus intelligo cerebrum medullare ſeu principium ſpinalis medullæ, licet in ſingulis ejus partibus vitium ſe reperiſſe noſtri hiſtorici teſtentur.

7. Cur ego morbum in *compreſſione ſpinalis medullæ* poſuerim, expediam per ſymptoma præcipuum. Certe ſpirituum influxus in partem impeditur, qui eſt functio cerebri, non qua ventriculis ceu totidem cellis penuariis inſtruitur, ſed qua ſolidum & medulare, ibi enim vis quædam determinandi inſidet, ubi ſtriatum corpus cum principio medullæ ſpinalis communicat, nam ſtriæ iſtæ aut fibroſæ coagmentationes tam validæ videntur, quemadmodum notavimus in Noſocomii noſtri theatro Anatomico An. 1665. in viro ex ſphacelismo meningum mortuo, ut ſolis adſcribendum ſit, quod aliis particulis magno conatu adſcriptum volunt: quo etiam me inducit ſtriarum iſtarum ordo, nam à centro medullari ſe diffundunt ad omnes cerebri partes medullares, unde ſpiritum accipiunt, & finiuntur ductibus non obliquis; ſed rectis tranſverſariis, ſecundum medullæ ſpinalis proceſſum, quo ſpiritum emittunt, ut mechanice fluere videatur in eas partes, quas animæ imperio regi arbitrantur: at quomodo hic influxus impediatur? An à defectu ſpirituum? ſic vita non conſiſtat momentum: an vero à compreſſione partis poroſæ & ſpiritum tranſmittentis? ita videtur.

8. Nam, ſpiritus ſupponuntur generati, motus eorum intercipi debet, ſi influxus in partem; motus intercipitur vel *obſtructione meatuum* vel *compreſſione partis*. *Obſtructio*, cum ventriculos cerebri exceperimus, quid efficiet in parte, ubi ſenſibiles pori non ſunt? Attamen inſtas pro ventriculis obſtructis, quod inventi fuerint oppleti pituita viſcida; cauſa hæc

fuit

fuit morbi, non morbus, neque enim ante factus eſt, quam pituita aut mole ſua aut diſſolutione à calore humido ventriculorum limbo exſiluit, & in principium ſpinalis medullæ incubuit; *Compreſſio* vero figuram partis depravat & ſecundum eam minimos poros, unde influxus ſpirituum impeditur, uti in arcu oſtendebamus §. *6*. At ubi hæc habeat locum? ſi non principio ſpinalis medullæ, quo omnes ſpiritus tanquam ad metam convolant carceribus corporis ſtriati emiſſi, & ubi anguſtis limitibus continentur, nam ſi infra eum locum, non omnes functiones laborarent, uti fit in paralyſi ex materiæ comprimentis delapſu verſus ſpinam: ſi ſupra eum i. e. in ventriculorum fundo, cum medulla oblongata multis dimenſionibus ſit major ſpinali illa, vix opprimi à materia in ventriculis hærente poterit, cum & ſemper cavitatem limbi quærat materia ventriculis contenta, & ad infundibulum ſe proripiat, hæc eſt ad palatum via, uti ea ad medullam ſpinalem. Habes τὸ *formale* morbi.

9. Nunc *cauſas* morbi conſideremus, *continentes*, *antecedentes*, & harum cum *proximas*, tum *remotas*, tertium etiam *evidentes*. *Continens* eſt quævis *res comprimens* principium ſpinalis medullæ, τὸ *materiale* morbi, nam qui phyſice dicit *compreſſionem*, medice intelligit rem comprimentem. Ea res comprimens ex obſervatione practicorum multiplex eſt: vel enim *pituita* comprimit, aut *ſanguis* extra venas emiſſus, aut deſuper vel alibi contundens *res externa*, niſi & *tuberculum* aut *abſceſſus* infra ſuprave medullam ſpinalem obortus ſimilem compreſſionem faciat. Sed etiam *φλεγμονώδην διάθεσιν* ex Galeno adjiciunt: an ligatura jugularium in cane efficit ſiderationem? caros, non ſiderationem, facit, neque enim recte dixeris eadem adeſſe ſigna, cum & ſanguinis ſufflaminatio ſymptoma ſit hoc loco graviſſimum, & ſpirituum generatio aliquantum intercepta, quæ ſe motui ſanguinis, ut efficienti, & parti ejus, ut materiæ, debet, ſive multis partibus malueris ſpirituum generatione ſalva ex ſanguinis motu impedito influxum in partes continuo impediri, cum abſque ſanguinis motu nec e cerebro in nervos emiſſio, neque e nervis in muſculos inmiſſio fieri poſſit, *non e cerebro in nervos*, quia motus ejus ſiſtitur ab arteriis accidentalis quidem, ſed certo uſui deſtinatus, quem ego conſiſtere putem in ſpirituum animalium propulſione ad ſpinalem medullam; *neque e nervis in muſculos*, quandoquidem conſimilis motus notas in nervis reſidere non improbabile eſt, cum totidem accipiant ſinguli arterias, quot proportionaliter habet cerebrum: huc ſpectat ligatura arteriæ magnæ prope cor, quæ dictum factum omnem motum & ſenſum intercipit, & Hippocratis dogma de ſanguinis ſtagnatione in carotidibus, qui ipſe eſt affectus, quem in cane excitari dixi, quicquid alii argute de iſta coagulatione aut hæmoſtaſia ratiocinantur, non probabiliter.

10. *Pituita*, ut *continens* compreſſionis *cauſa*, agnoſcit *cauſam antecedentem remotam* lymphatici humoris in ventriculis abundantiam, nam pituita inde per accidens conflatur, calore aut frigore, ſi enim ſuper ignem

Digitized by Google

aut candelam lucentem lympham tantillum tenueris, in gelatinam pituitoſam abit, ſin frigori expoſueris., eodem modo ſeſe res habet. Propter hanc lympham in ventriculis hærentem eſt quod cerebrum ab Hippocrate *de carnibus* metropolis frigidi & glutinoſi appel'etur.

11. Sed quem fontem habet hic latex? meo judicio glandulas plexus chorioeidis, qui eſt venularum ſinus quarti congeries, arteriis una aut altera inſtructo; nam inflato ſinu quarto A. 1665. menſe Decembri vidimus univerſum illum venularum contextum flatu immediate repleri, glandulamque pinealem eodem motu tripudiare. Arteriolas infuſione in carotidas notavi, quæ procul dubio, cum libere in ventriculis natent, glandularum iſtarum cauſa factæ ſunt, ut ſanguinem advectent in iis ſecernendum à liquore lymphatico, nam aliunde repeti non poteſt; eſſent enim arteriolarum extrema, quæ ejus modi humorem emitterent, at nulla corporis parte demonſtratum eſt id fieri immediate, tum etiam nullæ arteriæ ſenſibiles ad ventriculorum internos parietes propagantur; nam quæ in fundo vaſa ſunt manifeſta & certo ordine diſpoſita, venæ ſunt repticiæ, quæ partim in plexum illum ſe effundunt, partim in ſinum quartum excurrunt, toto autem itinere ſub meninge tenui reconduntur, adeo ut cerebri pars interior venis gaudeat, pro natura loci, majoribus, quæ recipiant ſanguinem volatili parte truncatum, contra exterior arteriarum ſurculis minutiſſimis & copioſiſſimis ſignetur, ut ad minimos & omnes cerebri anfractus ſpiritum ſecernendum ferant.

12. Merito igitur, cum nulla alia pars in vicinia ſit, unde hic liquor ſecernatur, illis glandulis adſcribitur, idque tutius quod experientia anatomica confirmet glandulas iſtas apprime in conſpectum venire, cum lympha copioſior in ventriculis fluitat, uti multis caſibus, imprimis a gravedine notavit Nobiliſſ. & Excell. D. Sylvius. Præceptor meus, idem & Promotor ſemper honorandus: & in eo cadavere, §. præced. hiſce oculis vidimus plexum chorioeidem in udo nataſſe glandulis majoribus ejus venulas mirifice diſtinguentibus, nam ita racematim cohærebant, ſicut uva ſolet, & magnitudine granum cardamomi mediocris æquabant, vel ut intra terminos corporis maneam, glandulam pinealem.

13. Lympha hæc, ut ad *cauſam antecedentem proximam* veniamus, ob cauſas evidentes copioſius ſecreta aut viſcidior facta ad infundibulum quaſi jurata concedit. Sed cum glandula pituitaria in equeſtribus ſedens non illico propter denſitatem ſubſtantiæ, humorem tranſmittit confertim euntem, ſtagnat, & copia ſeu viſciditate creſcit ventriculique replentur, quibus repletis neque contingente ſolutione per Coryzam aut alias partes, ad poſteriora, ubi declivis eſt ſinus, fit decubitus i. e. eam partem, quæ lunatam corporis calloſi figuram conſtituit, & ab Arantio pedes Hippocampi appellantur, quamvis mihi campas narrare videtur Bonus Anatomicus, cum tantopere ſimilitudo diſconveniat, quid enim ſubtile in pedibus Hippocampi, quod huic potius quam ſolidipedi quadret? Certe aut res tanta non

non eſt, aut Plinium præteriit, niſi equum Braſſicanum intelligat, erucam dico, quam græci καμπην dixerunt, aut gallum marinum, Aldrovando Hippocampum dictum: ſed quid inde? corpuſculum hoc ſemilunare alligatur baſi cerebri per limbum beneficio vaſculorum & membranularum, quarum connexio creſcente pondere & copia ex facili diſſolvitur, diſſoluto aliquantum hoc nexu exundat in medullæ ſpinalis principium, potiſſimum intra cerebrum & cerebellum, unde is, quem diximus, morbus.

14. Fundamentum cauſæ continentis eſt illa exundatio, & iſta limbi diſſolutio ſe habet ut potentia proxima ad actum, quæ omnia confirmantur à ſymptomatibus proxime morbum antecedentibus, uti eſt dolor capitis gravans & lacerans, qui imputari debet pituitæ viſcidæ carceribus ſuis i. e. limbo diſtenſione & pondere exitum quærenti, tum etiam poſtica capitis parte, ubi ſphæra fit declivis, ſummus ante Paroxyſmum dolor, quod in cognatorum aliquo, antequam lethali apoplexia corriperetur, contigit, ipſum etiam dolorem, cum vocem amiſiſſet, manibus teſtante. Gravedo antica capitis parte antecedit maturius, cum ſc. infundibulum carnoſius ab humore viſcoſo premitur & diſtenditur, quo ipſo nervi, qui in confinio ſunt, offenduntur, optici illi & alii, unde torpor ſenſuum externorum præcedere ſolet & ſegnities corporis.

15. Secunda *continentis* ſpecies à ſanguine e vaſis effuſo *cauſam* habet *antecedentem*, quando aut *nimia ſanguinis rarefactione* venulæ rumpuntur, quæ ſunt in plexu chorioide, minutiſſimæ, vel *ſanguinis copia diſtendente*, aut *acrimonia* ſive *acida* ſive *ſalina* eroduntur aut *cauſis violentis diſrumpuntur*: nam, quod de *diapedeſi* dicitur, hic loci colorem non habet, cum alias certum mihi ſit per experientiam illam dari, quoniam fit, cum ſanguis ſeroſus minutatim per vaſorum tunicas tranſmittitur, per vaſa, intellige ſis arterias quæ cum capillares fiunt una nudantur, imprimis eæ quæ in cerebro ſunt & habitu corporis, nec fallitur in eo Aurelianus, quod *ſudationem* appellet, inſtar enim ejus eſt: talis fuit affectus virginis apud Tulpium obſervationum libro ſecundo cap. 31. cui cerato emolliente in lienem implanato tantum ſanguinis poris cutis elicuit, ut neceſſarium fuerit valido adſtringente occurrere, quin nos præterito anno inter Noſocomii noſtri ægras unam habuimus, quæ menſtrua tribus diebus continuis univerſo capite ſudare ſolebat fœtore & colore valde impudico, quo omnia capitis tegumenta contaminabat & capillorum radices ita humectabat ut lapſi eſſent ſponte, ni lapſum frequenti raſione occupaſſet: præcedebant illam exeretionem eædem moleſtiæ in capite, quas circa uterum ſentire ſolent naturali fluore affectæ; at quod *diapedeſin* hic potius exiſtimem quam *anaſtomoſin*, inde eſt, quod ſanguen ille ſeroſus per poros cutis tranſmittitur, qui pori non ſunt arteriarum orificia, ſed tubulorum, qui à glandulis ſubcutaneis oriuntur, & unde materia ſudoris naturalis repetitur, meo etiam judicio, ſanguinei; nam vitium tam in glandulis quam

ſan-

ſanguine hærere puto, quorum iſtud prophaſis loco eſt, hoc ſymptomatis in retento.

16. Cum *ſanguinis rareſactio* nimia ſubinde ſit cauſa ruptionis, imprimis ſi venulæ ſint parvæ multumque invicem intricentur, uti ſit in plexu chorioeide, & hoc loco uſuvenire poteſt; cujus ego rarefactionis exemplum in muſto expreſſum puto, quando enim iſtud includitur cadis anguſtis, vel, ut orientalibus populis vulgare fuit, utribus coriaceis, & fermentatur, propter materiæ ſubtilis acceſſum & ſpiritus volatilis actionem à centro ad peripheriam, ſiquidem dilatari amplius nequit, uter diſfringitur, effunditurque vinum magno poſſeſſoris damno; de hac re quiſquis dubitat, tam ad fidem experimenti quam cautionem à noxa adeat Sacram hiſtoriam, Matth. cap. 9. v. 17. Nec certe alia ratio eſt rarefactionis in ſanguine, ſi conſideramus cauſas antecedentes, neque alia venarum ad corium iſtud collatio, uti inſequentia ſymptomata demonſtrant, hæmorrhagiæ narium ante morbum, ſub finem morbi, vel ad ſalutem aut perniciem terminantis, tum etiam cadaveris apertiones.

17. *Copia diſtendens* ſeu plethora ad vaſa ruptionem ejuſmodi facit, quatenus ſanguinis motus major eſt, quam ut intra hoſce carceres contineri queat; ita frequenter contingit ſive caſu ſeu ex propoſito ſyringe liquorem in venulas immittenti, diſrumpi eas præ copia & motu; quod equidem in plexus chorioeidis vaſculis facilius continget propter ſubtilitatem & commiſſionem eorum mirabilem; & *quo in loco habuiſſet Athletarum* τὴν ἐπι ἄκρον εὐεξίαν, *cum illam protinus jubet ſolvere, Hippocrates?* Si non à ruptura venularum aut ſimilibus male metuendum eſſet.

18. Vaſa etiam illa, quantulacunque ſunt, *erodi* poſſunt *ab acribus acido*, ut in aneuryſmate & ulceratione uteri cum perpetua hæmorrhagia, *ſalſo*, ut in hæmorrhagia narium, febrium epidemiarum, ubi nec exquiſitiſſimis remediis venæ conglutinari poſſunt nec ſanguis coagulari. Pro *acido* ſuppeditat experientia argumentum, cum ſpiritus acidus in halitus eſt reſolutus, vitrum non tam facile erodit, at cum in quiete aſſervatur, ita clam vitro inſidias facit, ut aliquoties viderim volentibus contingere e manibus elapſum eſſe dimidiatum, ſpiritu omni effuſo: nec mirum hoc eſt, ſi quis conſiderat naturam ſpiritus acidi in eo conſiſtere, ut in ſalem agat lixivioſum, vitri autem materiam eſſe alkali arenulis ſive lapillulis fluore vehementi commiſtum. De ſalſo non hæret, qui catharros eorumque variabiles qualitates contemplatus eſt.

19. *Rumpitur* ſubinde *vena* à *cauſis violentis*, *ictu*, *curſ.* &c. & vulgare eſt in bobus ſecuri percuſſis, quæ eſt germana apoplexia, cerebrum ejuſque ventriculos ſanguine coagulato repleri, quamvis contuſio hic ſymptoma eſt gravius, cum cerebri partes preſſa calvaria preſſius incumbant principio medullari, & ſpirituum motum intercipiant: hujus generis hiſtoriis pleni ſunt omnes libri. Quin & cauſam apoplexiæ multi Authores

&

& ipſe Hollerius rejicit in tuberculum aut deſuper enatum, aut ad baſin Calvariæ, utroque modo premit principium ſpinalis medullæ: abſceſſus, cum inflammationem ſupponit, aliud malum ſpondet, ſicut & inflammatoria diſpoſitio, quam ego cum Platero, ſi per Galenum licet, non apoplexiæ ſed Phrenitidis cauſam fore exiſtimo.

20. Nunc *cauſas evidentes* expendendum eſt. Apoplexiæ à pituita viſcoſa vel lympha coagulata occaſionem dant 1. *Aër calidus*, qui liquidi, quod in lympha eſt, evaporatione aut ſpirituoſi diſſipatione conſiſtentiam & glutinoſitatem ejus auget, aut nimium pro natura lymphæ diſſolvit, cui *frigus* ſuperveniens diſſolutas calore particulas conglaciat. Cum frigus dico, intelligo res omnes frigidas, ſcholaſtici dicerent, potentia tales; cauſam ejuſmodi ſæpe locum habere obſervatione ſum edoctus. 2. *Humidus*, quia ſerum & quicquid eſt ſuccorum glandularium, omnes enim multo phlegmate temperantur, auget, ea re efficiet, ut lympha copioſius in ventriculos cerebri redundet. Hic aër vel ingenio ſuo exiſtit humidus, ut Germanis & Britannis, vel ſitu terræ, ut Florentinis & Bononienſibus in Italia, & omnibus nationibus quæ auſtris tranſmarinis vexantur, quibus etiam beneficiis, ſi beneficia ſunt, nos Batavi ornamur & tollimur, quandoquidem ita diis placet. *Aër* tum etiam *calidus* ſanguineæ apoplexiæ anſam dat, quatenus ſanguinem materia ſubtili inflat & rarefacit, ut ſpecie abundans videatur, reapſe ὑπηνέμιος ſit.

21. *Cibus* & *potus* mutationem quoque adferunt; *cibus* ſi *quantitate* nimia aſſumitur, cruditatum auctor eſt, ſin *qualitate prima* humidior eſt, lympham auget, at ſecunda viſcidior pituitam parit multam. Cibus boni ſucci copioſe ingeſtus repletionem facit, hinc plethora ad vaſa & protenſo ſeſquipede extans aqualiculus, quibus ab hoc affectu metuendum eſt male, notante id Avicenna. *Septima quinti. Can.* 4. *cap.* 5. *Potus*, non diobolaris iſte ſed *generoſus*, uti complures apud Foreſtum Hiſtoriæ declarant, ſanguinis incrementum promovet, tam ſpecie quam effectu, nam, cum ſpiritu volatili turgeat, nonnihil ad ſanguinis rarefactionem majorem confert, cum unctæ & pinguis ſubſtantiæ ſit plenus, ſanguinem adauget corporiſque incrementum: ſed ſi vinum copioſius bibitur, pituitoſæ apoplexiæ cauſa exiſtit, quod male digeſtum pituitam & ſerum cumulet, nam uti copia nimia replenti cucurbitam contingit, ſpiritum multo phlegmate perfuſum & impurum diſtillare, ita à vino copioſius phlegma in glandulis omnibus, præſertim capitis, ſecernitur, uti Coryza potui comes demonſtrat.

22. Sed à temulentia apoplexiam venire qui eſt poſſibile? Caros venire multo eſt probabilius, neque enim is ſomnus duntaxat caros eſt, qui febri ſymptomaticus, ſed etiam à vino ſopor, aut veneno. In iis, quæ temulentiam excitant, uti facit temetum, cum ſolis gradibus differant à narcoticis, vis eſt motum ſanguinis diminuendi, ut ex pulſu patet, nam à papaveris ſucco, qui ratione particularum ſoporiferarum convenit cum vino, reperies in cane iſto modo ſoporato ſanguinis motum toto corpore diminu- tum,

Digitized by Google

tum, & in carotidum diſſectione atratum & inſpiſſatum in modum Syrup. de Mucilaginibus. Hæc ſane illis germana eſſet apoplexia, qui *ςάσιν* Hippocraticam adſtruunt, at nos quid ea de re ſit decrevimus §. 9.

23. *Vigiliæ* & *ſomnus* cauſa ſunt hujus mali, quatenus *illæ* humores reddunt acriores, Salſum, acidum, *hic* augeat in corpore humiditates & viſcidam pituitam, unde ſomnolenti hoc malo facile infeſtantur, ſed & *labor* & *otium* utraque ſupra modum naturæ noſtræ reddunt humores acriores & viſcoſiores; uti ex apoplecticorum anteacta vita obſervatur. *Evacuatio* nimia ſubinde huc ſpectat, quod ex humorum ejectitiorum conditione patet, & ſi qua alia ſubjectum affectionis reſpiciunt. *Retentio* præterea plus nocet, nam, quibus in os aut nares copioſus mucus effundi ſolet, ſuppreſſio malum promittit, aut corpore reliquo ſudante caput feriatur & friget, hoc ad pituitoſam apoplexiam, ſed ad ſanguineam hæmorrhagia narium, menſtruorum, hæmorrhoidum retenta confert, quatenus maſſam auget, & ejus orgaſmum excitat.

24. *Animi pathemata* huc facere impenſe exiſtimo, cum cerebro ſubjecto noſtri affectus vix aliud ſit damnoſius quam animi affectus, imprimis *ira*, *mæror*, *terror* &c. *Ira* ſanguineæ apoplexiæ potiſſima cauſa videtur, nam ea ſanguinis motum in vaſis mirifice conturbat, ut pulſus declarat, deinde, cum corporis viribus vindictam quærat, quicquid auxilii eſt, valide ad partes ſolidas contrahit, tam eas quæ voluntate, quam quæ ſponte reguntur; nam 1. ad muſculos corporis copioſe ſpiritus abeunt, qui contractione ſua, dum pancratiaſtæ ſimulacrum ciet homo iratus, ſanguinis motum in vaſis accelerant. 2. Ad cor, unde pulſus eſt frequentior. 3. Ad arteriarum fibras, unde motus earum periſtalticus augetur & humorum motus; Sed cum ea ratione vix fieri poſſit, quin ſpiritus etiam in illos nervos raptentur, qui ad viſcera viam affectant temperandi humoris cauſa, levi opera illi, propter ſpiritum copioſe immiſtum, fluor conciliatur & rarefactio major, dum ſumma eſt minimorum agitatio. Hanc apoplexiam lethalem eſſe arbitror, & pertinere ad eos, qui certo animi affectu victi ceu tacti conciderunt, ut memoriæ proditum eſt. Si *mæror* in cauſa eſt, ſpiritus abſtinentur ab officio i. e. humorum temperatione, fiunt acriores imprimis acidi, qui continuo propter acrimoniam inſultant vaſis & penetrant: de *terrore* certum eſt, ſi humorum in corpore diſpoſitio inſpiciatur, ſimilis effectus cauſam eſſe poſſe,

25. *Res fortuitæ* ſunt cauſa *contuſionis* vel *ſimplicis* vel *compoſitæ*, *ſimplicis*, quando res contundens pondere intus premit calvariam, quemadmodum patina plumbea duro tractu intus concedit, *compoſitæ*, quando propter repugnantiam cum fractura corpori contundenti locum dat. *Res* autem fortuitæ duplices ſunt, aliæ quæ *forte*, aliæ quæ *caſu* contingunt, nam ſors victimis competit, & caſus, quem *ἀποτυχίαν* Græci vocant, omnibus obtingere poteſt.

26. Cum vero cauſæ hæ qua tales multis morborum cauſis competunt, ſup-

ſupponunt, aliquid quod in ſe efficientis actum magis convertat, quam quicquam aliud, id vero πρόφασις eſt, cujus conſideratio mihi non videtur de nihilo eſſe 1. in ea apoplexia, quæ pituitoſa eſt. Hippocrates ab experientia hunc affectum ſenibus magis familiarem aſſerit, adeo ut tam hic, *ſenilis*, quam Herculeus ille *puerilis* ſit nominandus, ſc. quod ſenibus cerebrum debilius ſit ratione ſolidi & humidi, *ſolidi*, cum medulla eſt mollior, ad ſpecies retinendum difficilior, ad affectus ſuſtinendum commodior; *humidi*, non elementaris ſed cum ſubſtantia, quod pituitoſo humore abundet, quemadmodum infantibus aquoſo, unde hæc ſingula & priva diſpoſitio cauſas in utriſque paulo aliter determinat: fundamentum in eo eſt, quod quæ pars ante morbum valetudinaria eſt, ἐνταῦθα στηρίζη ἡ νῦσος.

27. Urget Hippocrates aliam rationem, quare in ſenibus melancholici potius hoc malo infeſtentur, & graviter, propter humorum ἀπόσχηψιν, & hæc propter calidi debilitatem & impotentiam, qua omnia permanent cruda, unde nec in valde ſenibus coryzæ nec branchi coquuntur, quoniam certo caloris gradu ad eam rem opus eſt, uti certo ad puris in ulcere digeſtionem, unde aphoriſtæ dicitur θερμὸν τε ἐκπυητικόν. 2. in ſanguinea apoplexia, cum omnis originem habeat à ſanguine plexus choriœidis, tam qua ad ſinum quartum vergit, quam in ventriculis natat, propter teneritudinem venularum & implicationem araneatam facilius quam alia vaſa afficientur, quo pertinet frequens gravedo vaſa & glandulas iſtas mirum in modum labefactans.

28. *Signa morbi* à ſymptomatibus ſumuntur, quatenus inſinuant conditionem ejus unde fluunt, & aperiunt ſimilitudinis, quam effudit agens dum faceret, repræſentatione, cauſam: 1. *Motus* ſc. & *ſenſus corporis aboliti*, quod formaliter idem eſt cum ſpirituum influxione negata, hujus cauſam ſupra citavimus; 2. *Reſpiratio læſa*, cujus læſionis gradus differentiam in morbi magnitudine ponunt; in exquiſitiſſima ajunt non adeſſe, ſaltem non ſentiri, in gravi *ſtertorem* habet conjunctum, cujus iterum numeri aut gradus affectum leviorem majoremve reddunt: de ſtertoris cauſa inter ſe diſſident auctores, & nimium deblaterant, paucos non valde offendit reſpiratio, ſola inter omnes functiones ſalva, unus & alter practici cauſam miro elogio ornant, naturam copias ſuas contrahere ſupremæ facultatis cauſa, ſed quomodo contrahat, abſque inſtrumentis ſi ſit? Fateris utique ſpiritibus viam eſſe interceptam: neceſſarium eſt dicere ſpirituum in nervos iſtos tum & cordis, pulſus enim viget, influxum aut liberum eſſe quodammodo, aut vi via facta liberum fieri; nam octavi paris nervi proceſſus ob certam diſpoſitionem non videntur involvi ruina reliquorum, ſive quod maturius erumpant caudice medullari, ſive magis ad latera. Cur igitur ſenſuum externorum nervi non ſunt ſalvi, cum longius à malo ſint remoti? Salvos eſſe in levi apoplexia quis neget, cum ſignum in paroxyſmo fruſtra exſpectemus, poſt cum ſæpius memoria teneant ægri, quid actum ſit, non

aliunde quam a ſenſibus, ſed in exquiſita cum reſpiratione pariter & omnia intercidunt: diximus etiam violentia quadam liberum fieri aditum in nervos, cum cor a ſanguine impulſo vehementius inflatur, iſta vi promovetur ſpiritus in fibras, ſicut irritatione gravi aut frictione in muſculos aſſolet, cordi in ſubſidium venit reſpiratio, idque ex facili, quoniam eadem vi in ejuſdem paris nervos ſpiritus concedunt, nam a rarefactione non ſimpliciter videtur dependere thoracis dilatatio, vidimus enim in vitulo viſceribus omnibus ventre & thorace exemptis, etiam corde, muſculos ordinem in dilatatione & contractione ſervaſſe, ac ſi aliqua neceſſitas urgeret, punctura pleuræ motum acceleraſſe & tandem deſiiſſe. 3. *Spuma circa os erumpens* aliis difficultatem deſignat abſolute, aliis vero ex ratione cauſæ malum vel bonum promittit, hoc non leviter diſputant. *Paralyſis* apoplexiam fuiſſe confirmat, &multa alia, quæ apud practicos.

29. *Signa cauſarum* etiam diverſa ſunt, nam quæ a pituita ejuſdem ex ore & naribus eruptio ſignificant, vultus & genæ lumen recuſant, capitis gravitas ſub paroxyſmum & multæ gravedines ante eum, quicquid in rebus non naturalibus enumeratum eſt, terminatio in Paralyſin &c. ſin a ſanguine, evexia roſeus genarum color, ſanguinis per nares eruptio, venæ refertum tinnientes ipſo pulſu reſpiratio cum gravi ſtertore, difficilis ſolutio &c. Contuſionem evidens cauſa ſignificat aut vulnus impreſſum calvariæ, Tuberculum quia ut plurimum oritur ἄνευ προφάσεως φανερῆς, vix cognoſcitur niſi poſt mortem, ut in Barone illo apud Platerum. Inflammatoria diſpoſitio hæc habet ſigna; Calorem univerſo corpore, pulſum frequentiorem, reſpirationem difficillimam, oculorum ruborem & faciei &c. Sed quid nos fruſtra torquemus?

30. *Signa differentiarum* ab aliis ſed conſimilibus affectibus hæc ſunt; a *Lethargo* diſtinguitur quod febris huic ſit conjuncta & ſomnolentia a qua difficulter excitantur: a *Caro*, quod non ſit ſubitaneus inſultus uti in Apoplexia, reſpiratio ſit libera, motuſque & ſenſus ad objectum, inquiunt, incitentur, ſed ſummus practicus notavit in hoc affectu ſæpe ægros non ſentire aut moveri: ab *Epilepſia*, quod motus omnium membrorum convulſivus; a *Syncope*, quod faciei color cadaveroſus, pulſus languidus aut interceptus comitentur, ſudor etiam frigidus & viſcidus cum in Apoplexia facies ſæpe rubeat, pulſus ſit plenior, calor & ſudor aliquando ſuboriantur cum febre: a *Catharro Suffocativo*, quod confeſtim aut ſolvat ægritudinem aut internecioni det ægrum, propterea quod, ut Aphoriſtes ait, catharri συντόμως ἀπόλλυντες reſpirationem opprimant aut effervescentiam in corde aboleant, nam ita quibuſdam placet: Multos in Foreſti Hiſtoriis *Aſthmaticos* invenimus, quorum non pauci catharro videntur oppreſſi potius quam Apoplexia, licet utriſque ab eodem fonte origo ſit; jam vero & facile & pronum eſt confundere Apoplexiam cum *hoc* affectu & *Syncope Cardiaca*, nam in ſubitaneis affectibus

Digitized by Google

bus cum virium amiſſione, ilico conſultum eſt Apoplexiam crepare, nulla habita accurata ratione ſymptomatum vel cauſarum; ſive ergo venæ ſectione ſeu alio remedio ſuccurrunt, Apoplexiæ ex ipſorum voto litatum eſt, meo, ſæpius Syncopæ, aut *imbecillitati virium*, quæ vulgo ab oppreſſo audit, & in evectis metuenda eſt: Huc refer hiſtoriam juvenis apud Aetium & fere omnem, quæ plethoricis accidit, imbecillitatem ſine cauſa manifeſta.

31. *Prognoſtica* cjuſmodi ſunt. Magnam apoplexiam ſolvere non poſſumus, levem non facile, inquit Hippocrates; magna eſt quæ ſpecie & effectu talis, uti in qua reſpiratio & pulſus labaſcunt, levis, quæ cum ſtertore conjuncta eſt, & motum recuperat ab irritatione continuata, eſt etenim ſignum Facultatis non uſque adeo interceptæ: Hæc prognoſis a *Symptomatibus*; a *cauſa* eſt, ſi humor pituitoſus incubat medullæ ſpinali, prout qualitatibus ſecundis aut copia peccat, gravis eſt ſin minus tanto melius res eunt: A *ſanguinis effuſione* in ventriculos ſanitas meo judicio impoſſibilis; a colliſione fere eodem fato laborat, tum quod reſtitutio cranii ſit perdifficilis, tum quod cerebri compreſſi: ab *affectionibus corporis* argumentum petitur ad prognoſin, quod ſenex vix liberetur & morbi magnitudine & ætatis miſeria oppreſſus; quæ juvenem idque æſtate anni corripit, periclitatur, natura enim non convenit, &c. Ratione *epiphænomenon*, in gravi Apoplexia, ſi febris acuta prehendat, bonum, ſi ſudor magnus & calidus, ſi hæmorrhagia narium, aut hæmorrhoides. Ratione *epiginomenon*, ſpuma ori inſidens morbum læthalem promittit, quibuſdam & ſudor frigidus vel ſubſtillum ἐφίδρωσις Hippocrati dicta, urina cruenta &c. *Ex modo terminationis in Paralyſin*, quo materia mali eſt remotior a cerebro, eo tutior eſt Apoplexia, nam ſi proxime a foco abeſt, ὑποστροφὴν ποιέειν εἴωθε, quam ſignificat ſopor gravis inſequens Paralyſin, a quo omnes metuendum eſſe ſuadent.

32. Tempus eſt, ut *curationis telam* breviter decurramus. Primum, quod *indicat*, eſt *ſymptoma graviſſimum*, *motus animalis* & *ſenſus interceptu*, qui requirit ſpirituum in partes influxum, & perficitur *remedio*, cujus materia multiplex eſt, *irritatione* per *clamores*, per *fætores* acres, quales *a Tartari ſale* & *Armeniaco* commiſtis oriuntur, aut quod magis in promtu eſt, *caſtoreum*, *ſemina ſinapi*, aceto perfuſa. Per *acria* linguæ impoſita uti *piper*, *pyrethrum* &c. Tactus ſenſus ſimiliter incitari debet per acria partibus applicata, ſed motus animalis & ſenſus *frictione* adjuvantur & *membrorum quaſſatione*. *Enemata* ante alia omnia ſolent adhiberi & acria, duplici intentione ut morbi materiam minuant & ut ſpirituum in partes influxum promoveant, quia enim pleraque gradu quarto calida ſunt, & tertiis facultatibus excellentia, vim habent irritandi membranas & ſpiritus convocandi, quo ſenſu motus continuo in ſubſidium venit, nam utraque videntur eadem vi ſpiritus accipere. Hæc bene uſurpantur, ſiquidem nocere non poſſunt, imo adſtantium cauſa

Digitized by Google

ſemper tentandi ſunt, nam quibus revera ſubvenire non poſſumus, neceſſarium eſt, colore officium adumbremus, modo prognoſticis bene mereamus de ægro & adſtantibus.

33. *Secundum indicans morbus* eſt ratione *cauſæ continentis* i. e. *pituitæ viſcidæ*, unde duæ ſurgunt *indicationes* & *remotio ejus*, *quod alienitate peccat* & *attenuatio* quod *conſiſtentia*, utraque in pituita viſcida habent locum. Removetur vel ex parte vel propellitur ex toto in partem. *Materia remedii ex Pharmacia* & *Chirurgia* petitur. *Ex Pharmacia*, *purgantia decocta*, *enemata*, *infuſa*, *pilulæ*; *Purgantia* partem affectam reſpiciant, unde opus eſt determinatione per *cephalica aromatica*: ſed quid efficiunt cum materia extra venas? Sunt in omnibus rebus particularum effluvia, quæ, quod vecturam materiæ ſubtili debent, omnia penetrant, ejuſmodi ſunt aromatica omnia. *Decocta* aut deſuper infunduntur hiante ore, ſi facultas deglutiendi eſt, aut infra in modum clyſteris ſubjiciuntur, niſi ſphincter ſit reſolutus, hic uſu veniunt Purgantia validiſſima *Sp. Hier. Simpl. Logad. Diacoloc. Agar. Sennæ* &c. omnis generis *Electuaria* purgantia, quibus accedunt *cephalica* a ſecundo ad tertium gradum *calida*, &, quod in tertio gradu eſt calidum & ſiccum *Caſtoreum*, nunquam omittendum. Sed ſi utroque loco fibræ ſunt diſſolutæ, quid tum? Deſperata ea eſt & graviſſima Apoplexia, non tamen abſtinendæ manus ut ægri manibus ſatisfiat propter caſuum incertam vim, prognoſi data, quicquid ſit, conferri, tanquam in victimam hoſtiæ ſolent, ne imponere videaris aut artis tuæ imperitus eſſe: *infuſa* cum aquis capiti accomodatis ſunt paranda, *Centaurii*, *Salv. Roriſm. Beton.* &c. & tum multum proderunt, quatenus attomorum jugi ſuffectione vim propellendi continent. *Pilulæ Cochiæ* aut iſtæ de *Euphorbio* valide pituita capite deturbant & attenuant. His bene procuratis, alio genere medicamentorum morbus eſt debellandus, nam & particularia quædam tam *intus* quam *extra* uſurpata multum poterunt.

34. *Primi generis* ſunt quæ ore & quæ naribus recipiuntur. Ori infunduntur *Spiritus volatiles*, qui diſſoluti calore loci ad caput evaporant & in pituitam agunt, vel etiam ſalivæ commiſcentur & ſe ope ejus in maſſam tranſmittunt. *Apophlegmatiſmi*, apprime conducerent, niſi obnuntiaret reſpiratio. Naribus recipiuntur *balſama Apoplectica* practicorum ſpes unicæ & ſolatia, quibus ſubſtituere licet *Olea* & *ſpiritus Volatiles*, *olea ſtillatitia*, *Succini* illud, *Lavend. Roriſm. Spiritus* nomine mihi venit omnis ſal volatilis ſive ſiccum ſeu fluidum intelligas: omnium primus eſt *ſalis armeniaci*, optimus cum *lapide calaminari* præparatus, & revera antapoplecticus, nam illitus internæ narium tunicæ ſpiritum ciet, & ſurſum mittit halitus, qui pituitam attenuent & ad motum aptiorem reddant: ſuccedunt *Cochleariæ Spiritus* & *Rutæ*, quorum & hic auſtero temperando in ſuffocatione Hypochondriaca valde prodeſt, hic continuo naribus admoveri debent & ſubinde inſtillari, nec malo conſilio auribus; quæ

na-

Digitized by Google

naribus induntur, ut ſternutationem inducant, fortiora ſunt, eſtque in his hoc beneficium, quod ſemina mali motu iſto, naribus excutiant; ne ſternutamentum moveant, *pulveres oleoſis* implicantur, tum ſponte delabuntur humores.

35. *Secundi generis* ſunt, quæ corporis cuti aut ſuperinducuntur, aut leviter applicantur. Suntque vera topica, cum immediate in cauſam agunt ea via, qua proxime a parte affecta abſunt, uti *Emplaſtra*, *picata*, *fotus*, *linimenta*, quæ habent vino diſſolvendi pituitam propter ſalem volatilem, nam qui alio modo vel adſtringunt vel emolliunt, næ illi neſciunt, quid opus facto ſit in noſtra arte; *Emplaſtra* quævis aromatica raſo vertici implananda ſunt, poſtquam ea acueris *Euphorbii*, *Pyrethri*, *Piperis*, *urticæ ſem. pulveribus*, hæc ſimiliter in *Picem* addi poſſunt & capiti imponi; *Fotus* ex decoctorum reliquis parari poſſunt; *linimenta* recipiunt quævis olea aromatica, quibus pulveres iſti inſpergi debent. Sed de *phænigmis* quid reſtat? Eodem modo capiti applicari jubent, conſtant ex ficubus pro baſi, in quas recipiunt ſubtiliter trita *ſemina*, *ſinap. ſtaphyd. agr.* &c. *Oxycroceum* trahit violenter *laurino oleo* ſubactum. Certe cum in hæc compoſita multa acria & calida ingrediantur, magnam attenuandi vim habebunt, cum etiam ſupremo gradu ſicca, magnam exhalandi vim: nam cum materiæ ætheteæ ſint plena, facile ad locum affectum deveniunt, ubi devenerunt, facilius particulas humidi ſecum in auras abripiunt aut colligunt eum in locum, ubi aëris ſphæra rarefactione eſt reddita major i. e. ſub *veſicula* cutem inter & cuticulam.

36 E *Chirurgia* ſunt *cucurbitulæ* cum ſcarificatione, quæ niſi *φλεγμασία* aut copia ſanguinis id indicet, aut flatus quidem ea in parte ſit, nihil effectum dabunt principio morbi; venam per ſe ſecari poſſe nunc diffitentur: aliqui ad pituitam diſcutiendam *ſartaginem ignitam* ſuper caput tenent ex Arabum dictatis, cujus ope pori etiam aperiuntur. Alii ad *cauterium actuale* in ſutura coronali veniunt, quod diu patere debet; cur non in occipite uſtio? quem modum etiam Ægyptii ſervant, teſte illarum rerum ſcriptore, & pueris Florentinis ad ſimilia mala cavenda ceu gentilitia nota inuritur.

37. In ea apoplexia, quæ *ſanguinem* habet *cauſam continentem*, conducunt ea, quæ functionibus animalibus excitandis inſerviunt, modo ſanari poſſit. Nam quomodo removeatur cauſa, ſi ſanguis extra vaſa in ventriculos & principium ſpinalis medullæ incumbat, an ſponte ſuppurabitur? at interim mors obrepit: & quomodo ſuppuretur in corpore mille mortibus frigido? Febre ſuperveniente? nec ſic quidem cum ſit extravaſa, extra omnem activitatis ſphæram cum naturæ tum artis, tum ſi vertatur in pus, idem, malum ſupereſt ni removeatur loco: *venæ ſectionem* pro cauſis antecedentibus recte adhibent ex Barbarorum doctrina multiplicem, blande, ni periculum in mora, incipiendo, primo *in pede* venam ſecant, hoc inquiunt, revulſionis cauſa, ſic præjudicio mos eſt geren-

rendus, tum deinde *ad brachium* aſcendunt, mox, ubi ſummâ res agitur, *capiti* inſultant & jugulares aperiunt, ubi effluxus molli digitorum tractu & conglutinantibus temperari poteſt. A *Compreſſione* quodcunque naſcitur vitium aut *colliſione*, *ex chirurgiæ authoribus* peti debet,

38. *Prophylaxis* conſiſtit in recto uſu rerum nonnaturalium : apoplecticus *aëre* fruatur temperato, ſi à *pituita* vitium eſt & frigore contractum, calidus & ſiccus confert, ſin *à ſanguine* eoque rarefacto, aër frigidior eſt quærendus. *Diæta* priore caſu ſit medicamentoſa ſive cibus aut potus; cibus per accidens talis eſt, qui aromatis conditur, per ſe, uti *tunicatum cum ſale, cæpe, allium, naſturtium* &c. quæ cum *ſale volatili* turgent, tum ubi motbus diminuitur, tum ubi eſt ἐν τῷ fieri, proſunt quam maxime, & ſenibus eo conducibiliora ſunt, quod calidum tam innatum quam connatum corroborant. Item præſtant *ſalia volatilia oleoſa* facta in cœnis guttatim uſurpata, nec tamen ad potum referimus, quo etiam pertinent *infuſa aromatica vino & purgantibus* κατ' ἐπίκρασιν, permiſta. In ſanguineæ cautione utilis eſt V. S. quandocunque humores abundant, & caveatur ejus augmentum alimentis temperatis, nec ſaburra ingluviem placet, nec flore *liberi* aut *cereris* ſeſe compleat, nam hinc illæ clades. *Somnum diuturnum* fugiat qui eſt pituitoſus, ſimiliter vitam umbraticam & ſedentariam, itidem & ſanguineis nocet. *Motus* corporis *palæſtrici* conveniunt attenuationi pituitæ in ſenibus, in ſanguineis nocet, quatenus rarefactio nimia aut colliquatio in proximo ait: *animi affectiones* infibulentur, nam *imaginatio triſtis & fortis* quin & *terror ſenibus* exiſtit damnoſus; ſanguineis aut bilioſis *ira* maximum malum creat; in quibus omnibus illud potiſſimum offendit quod eſt μετρίε μᾶλλον.

F I N I S.

JOAN.

Digitized by Google

II.

J. STEPH. DESHAIS

DISSERTATIO

DE

HEMIPHLEGIA

PER ELECTRICITATEM CURANDA,

Diſſ. pro Baccalaurei gradu defenſa.

Monſpelii 1749.

Digitized by Google

INter inventa noſtro ſæculo reſervata primum locum tenet electricitas, quæ jucundo quidem ſed minus utili ſpectaculo noſtros perſtringeret oculos, niſi hanc in medicos uſus rapuiſſet philoſophorum quorundam nunquam ſatis laudanda ſolertia.

Felicia Anglorum, Saxonum & maxime Genevenſium tentamina nos etiam ad vires electricitatis, in hemiplegia curanda, experiundas impulerunt. Ulterius progreſſi motus ſenſuſque theoriam ex electricitatis principiis enucleandam ſuſcepimus, illa vero principia, otii defectu nondum ſufficienter trutinata, raptim proponimus, antequam ad paralyſeos theoriam & therapeiam progrediamur.

CONJECTURÆ.

De motus & ſenſus mechaniſmo.

Datur in homine *fluidum* tenuiſſimum, elaſticum, mobiliſſimum corporis interiora velociſſime pervadens *electricum* dictum. Docent experimenta D. D. Dufay, Nollet, Hauksbei, Jallabert, Winkler, Gordon, Pivati, &c. Illud fluidum electricum ab attritu vitri juxta poſiti non generatur, ſed extricatur & expanditur; idem eſt itaque fluidum electricum, quod veluti *ſopitum & concentratum* in animalibus continuo præſens eſt, ac quod ſingulari electriſationis artificio *rarefactum, expanſum* evidentiora ſui præbet indicia.

Nec ita in homine & brutis immerſum latitante electriſationem illud fluidum, quin ex naturali fluidorum & ſolidorum attritu, in temperamentis calidioribus adaucto, manifeſta ſui ſigna præbuerit, cum & feles & equi, ipſique homines pectiti, confricati lucem ſcintillaſque ſtridulas olim pluries ediderint. Vide hac de re, diſſertationem de rabia Toloſæ nuper editam.

Nec deeſſe putes vim *attractivam* & *repulſivam*, quæ electriſatis aliis ineſt corporibus, cum eas in mytulo & piſcibus Halæus, in capillis humanis, & inteſtinis bovis, citra ullam electriſationem artificialem, obſervaverit Hauksbeus.

Continuus fluidorum intra vaſa elaſtica truſorum, nec non muſculorum & tendinum in labore & exercitio repetitus affrictus, debet haud dubie fluido electrico motum vibratorium conciliare, unde viſi ſunt homines, qui tantum ambulando ſcintillas ex tibiis emitterent; atque hoc inteſtino motu deficiente, languet in animalibus vis ipſa electrica, peculiari encheireſi excitanda, unde felis viva multo vividiores ſcintillas & crepitus edit quam demortua. Obſervante Dufayo.

Fluidum electricum conſtat particulis ſulphureo-igneis luci affinibus, quæ in vibratorium velociſſimum motum actæ vim obtinent velocitatis ſuæ qua-

drato reſpondentem, quæque e corporibus, quibus antea erant immerſæ jam partim egreſſæ, ſupereminent, & atmoſphæram majorem conſtituunt, ut innumera ſuadent experimenta.

Si homini valide electriſato tundatur vena in loco obſcuro, ſanguis ſaliens igneis micat ſcintillis, & igneum velut imbrem in patella refert, quem ſi quis non electriſatus ſummo tetigerit digito, in intima brachii vulnerati parte ſeu nervo dolor punctorius illico protenditur, ut Argentorati fuit expertum, teſtante D. Boeclero, Medicinæ Profeſſore meritiſſimo.

Filamenta nervei fluido electrico devehendo ſunt deſtinata; demonſtravit nuper Illuſtriſſ. Hambergerus, fluidorum in diverſis colatoriis ſecretorum levitatem ſpecificam, ipſorum in quibus ſecernuntur colatoriorum levitati ſpecificæ proportionalem eſſe, verum & ipſa docet experientia ſpecificam cerebri gravitatem eſſe omnium viſcerum minimam, ea autem ſe habet ad gravitatem ſpecificam hepatis omnium denſiſſimi ut 16 ad 23 ergo & fluidi nervei gravitas ſpecifica eſt omnium minima, ſed in homine datur fluidum electricum, fluidorum longe leviſſimum, ergo ſicubi ſecerni debet, illud in cerebro ſecernatur oportet... præterea ſi canis vivens, nervum majorem nudum & ſectum gerat ut ſciaticum & electriſetur, ex extremo nervi reſecti in tenebris lucis penicillus electricus continuo vibrabitur... his adde quod ſuccuſſiones in electriſatis ductum nervorum a brachio ad cervicem & occiput ſequi conſtanter videantur. Et quod unguium apices, quos ex papillis nerveis conflari docet Ruiſchius, fortiores ſcintillas electricas cieant, quam pulpa digiti vel manus admota, docet experientia.

Corpora, quo tenuiora ſunt & longiora, eo uberius & velocius fluidum electricum propagant: ſi lamina plumbea craſſa & ſuperficie quadrata electriſetur, ejuſque vis electrica ope electrometri menſuretur, deinde vero electriſetur, altera æquiponderans, ſed in parellelepipedum vigeſies longius & toties anguſtius ducta, ejus laminæ vim electricum vigeſies majorem fore docet experimentum D. Le Monier.

Quoniam fila nervea ab animæ ſede, ſeu cerebro, ad organa ſenſuum directe fere ſunt exporrecta, juſſa animæ & impreſſiones corporum externorum per illa facilius, viaque breviori transferri poſſunt, minime vero per arterias & venas, quæ cum in majores ac majores truncos ac demum in cor coaleſcant, organorum & cerebri commercio brevi & facili non forent, adde quod fila nervea a cerebro ad partes indiviſa protendantur, non vero vaſa ſanguifera; ac proinde illa ad juſſus diſtinctos & ſenſationes indiviſas transferendas iſtis ſint magis idonea.

Filum trecentos pedes longum tanta velocitate vim electricam tranſmittit ut celeritas ſoni trigeſies minor ſit, quæ tamen 180 fere hexapedas intra minutum ſecundum abſolvit. Fluidum itaque electricum 5400 hexapedas unius pulſationis cordis intervallo ſuis undulationibus peragrare valet, docente multiplici experientia.

Nec obſtat electricitatis tranſmiſſioni, ſive filum ferreum recta protenſum

ſive

ſive millies inflexum fuerit, ſive funiculis ſericeis libere ſuſpenſum, ſive humi ſtratum ſepes & mollia udaque prata contingat, modo fuerit fortiſſime electriſatum.

Dum electriſantur paralytici & ſani, ipſi non raro vibrationes ad inſtar jaculorum tenuiſſimorum in artubus perſentiunt, quæ non fluxuoſa aut divaricata, qualis eſt in vaſis ſanguiferis, ſed recta, ſolitaria, & longitudinali via, qualis eſt fibrarum nervearum tractus, protenduntur.

Fibrarum nervearum, ne dicam medullarium, laxitas ſi adipoſa vaſa excipiamus, multo major eſt quam in alia quavis corporis humani fibra: In cane vivo, & in homine recens mortuo, ſi nervi, arteriæ, & venæ faſciculus tum in collo tum in crure, filo hinc & inde colligetur, deinque tranſverſim inter utramque vincturam reſecetur, illico arteriæ ſectæ extrema omnium maxime, nervi omnium minime, ſe retrahunt: verum retractiones chordarum ſectarum ſunt ut earum tenſiones, ergo nervorum tenſio nativa minor eſt quam venarum & arteriarum; ſumpta menſura, tenſio adeoque elaſticitas nervorum, eſt ad tenſionem & elaſticitatem venarum, ut 6 ad 11.

Qui itaque ſenſationum tranſmiſſionem ex nervorum tenſione & elaſticitate deducunt, falſo ſupponunt in fibris nerveis tenſionem maximam, quæ tamen duplo minor eſt quam in venis.

Non obſtat filorum humiditas electrici fluidi tranſmiſſioni, cum fortiſſima eſt electricitas, quia tunc temporis, atmoſphæra humiditati ſuper eminens vibrationes ſuas libere exporrigit: hoc docent Hauksbei experimenta. ſed ſi debilis ſit electricitas, qualis viget in animantibus non electriſatis, aut etiam in filis debiliter electriſatis, tunc aer nebuloſus, humidus, & maxime aquæ guttulæ electricitatem intercipiunt.

Si filo debiliter electriſato, & tamen pappum lucidum altero extremo emittenti, aquæ guttula adſpergatur, illico ceſſat pappus lucidus, aqua fluidum electricum intercipiente: exiſtimat tamen D. Nollet, ſordes unctuoſas aqueis guttulis aptiores eſſe ad electricitatem extinguendam. Aquam autem fluido illi combibendo & intercipiendo aptiſſimam eſſe docet obſervatio D. Jallabert, qua conſtat aquam per 20 ab electriſatione minuta, ſcintillas electricas conſervare, cum cætera corpora, regulis metallicis exceptis, eam citiſſime amittant vim electricam manifeſtam.

Fluida ſpecifice leviora ſolidis ſpecifice gravioribus adhærere docet multiplex Illuſtriſſ. Hambergeri experientia, verum fluidum electricum eſt nerveis filamentis ſpecifice levius, ergo ipſis adhæret. Nec ita facile ex ipſis recedit, niſi vi propellatur majori, quam eſt adhæſionis energia. Sic aqua tubis vitreis adhæret intus & extus, atque inde in capillarium cavum velociter rapitur.

Fluida filis ſpecifice gravioribus adhærentia, juxta ipſorum tractum facillime moventur, quia tranſeunt e locis, in quibus contactus eſt, adeoque ad-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

adhæſio, in loca quibus non minor eſt contactus & adhæſio, ſed difficilius ab ipſis filis removentur. Sic in tubo capillari vitreo aquæ guttula facile ab uno extremo in alterum delabitur, ſed difficile ex alterutro elabitur. Sic juxta laminam ferream magnes facillime movetur, ſed difficulter ab ipſa removetur.

Pulſuum in fluido elaſtico propagatorum velocitates ſunt in ratione compoſita ex ſubduplicata ratione vis elaſticæ directe & ſubduplicata ratione denſitatis inverſe Newtun. princ. lib. 2 theor. 38. Si ſuppunamus fluidi electrici gravitatem ſpecificam eſſe trigeſies minorem & elaſticam vim trigeſies majorem quam aeri communi, quod veroſimile videtur, pulſus ſeu undulationes illius fluidi debent eſſe trigeſies veluciores pulſibus aeris ſeu ſuno, quod demonſtrat experientia.

Jam ſi ſpectemus quanta velocitate juſſa animæ a cerebro ad pedes movendos, & impreſſiones ſenſiferæ a pedibus ad cerebrum transferantur, non difficile concedetur velocitatem harum tranſmiſſionum eſſe fluidi electrici velocitati æqualem, licet accurata inſtitui non poſſit menſura; adeoque fluidum electricum ad impreſſiones ſenſiferas & juſſa animæ mutoria ſatis aptum eſſe nemo inficiabitur.

Si ſolam aquæ denſitatem & inertiam ſpectemus, quoniam ejus denſitas circiter millies eſt major denſitate aëris, elaſticitas millies pariter minor judicari poteſt: adeoque velocitas pulſuum in aqua millies fere minor cenſenda eſt quam in aëre, ac proinde trigeſies millies quam in fluido electrico.

Verum non aqua fluxili irroratur cerebrum, ſed viſcoſa lympha, quæ per anguſtiſſimos tubulos immenſos affrictus pati debet, adeoque illius viſcoſitatis ratione, velocitas pulſuum debet millies iterum minor cenſeri, quam in aqua mera libere provoluta, quod ſi ita ſit, lympha nervea cæteris paribus trigeſies millionies tardius movebitur quam fluidum nerveum; adeoque ad nervos nutriendos apta, ſed ad ſenſum & motum tranſmittendum ineptiſſima videbitur. Adde quod per tubulos laxos & proinde diſtenſiles provoluta poſſit eos dilatare, ſi preſſa fuerit, quin ad alterum extremum pertingat impreſſio.

Incredibilis fluidi nervei velocitas alia methodo demonſtrari poteſt; cum enim, illius ſola vi, cordis ventriculus ſiniſter contrahatur & æquilibretur columna ſanguinis cujus baſis eſt ſuperficies interna ventriculi, altitudo vero circiter ſeptem pedum & ſemiſſis, juxta Halei Hæmaſt. experimenta, omnino neceſſum eſt ex principiis hydraulicis, ut vis in fluido nerveo ſit æqualis vi illius columnæ ſanguinis, adeoque ut productum ex ejus velocitatis quadrato in ſectionem nervorum cardiacorum ſit æquale producto ex velocitate columnæ ſanguinis ductæ in ventriculi ſuperficiem.

Jam vero cognita altitudine columnæ ſanguinis 90 ſcilicet pollicum, qua velocitate illa altitudo generetur docent hydraulici: aqua enim ex receptaculi 90 pullices alti fundo effluens ea velocitate gaudet, qua quovis ſecundo

do pedes viginti uniformiter percurrere valeat. Et poſita ventriculi cordis interna ſuperficie pollicibus 10 æquali, productum quæſitum erit 4000.

Quoniam vero nervorum omnium ad ventriculum illum pertingentium ſimul ſumptorum ſectio ſeu foramen, optimis etiam microſcopiis inconſpicuum eſt, illud quantulumcunque ſumpſerimus, nemo jure refragabitur: eſto æquale lineæ unius parti centeſimæ, quod ſi ita eſſet microſcopio videri poſſet: jam neceſſum eſt, ut velocitas fluidi nervei ſit 632 pedum intra ſecundum, inde enim ſumeretur quadratum, quod per orificium nervorum multiplicatum priori æquale 4000 productum faceret. Si vero ſumamus orificium horum ſimul nervulorum 51 vicibus minus, tunc ſequitur velocitatem fluidi nervei eſſe 32400 pedum intra ſecundum, quæ eſt velocitas fluidi electrici in experimentis Academiæ Pariſinæ.

Hactenus ſuppoſuimus fluidi nervei denſitatem ſanguinis denſitati æqualem, cum vero multum ſit ſpecifice levior v. g. 30000 vicibus, neceſſum eſt ut velocitate compenſet quod ex denſitate deficit, adeoque ut 176 vicibus major ſit ejus velocitas, quæ tamen velocitate lucis multo minor erit.

Senſatio non ideo fit, quod prementi corpori ſtimulanti cedat fluidum nerveum & ſic retrogrediatur, veroſimilius eſt fluidum illud a corpore contingente velut attrahi, niſi tamen in motum ab attritu nervorum agatur. Si limatura ferri in lineam fuerit exporrecta ac liberrime mobilis, atque ad unum illius lineæ extremum magnes admoveatur, alterum extremum illico retrahitur: ſimilem in experimentis electricis penicilli lucidi retractionem cernimus, cum ad extremum alterutrum fili ferrei electriſati digitum admovemus, eaque retractio incredibili velocitate perficitur.

Atque hinc intelligimus, cur a corpore mere contiguo & nullo motu donato, ſed fibrarum nervearum apicibus licet leniſſime admoto, ſenſatio exurgat in nobis, ubi tamen nulla eſt corporis in fibras nerveas preſſio. Verum ſi fibra nervea a corpore duro vividiſſime prematur, perſtringatur aut laceretur, inde per attritum velocior ſolito motus ipſi fluido nerveo impertitur & pulſus fortiores evadunt, ſicque ſenſatio moleſta exurgit. Hinc patet etiam advertente Halæo in hæmaſtatica, cur ſi pone aures quis cutem ſummis digitis ſcalpat, vibrationes quædam velociſſime ſe per nervos hujus lateris in tibias uſque diffundant.

Timendum nequaquam eſt ne fluidum illud nerveum ex nervis extra corpus facilius elabatur, niſi conatibus & doloribus intenſis concitetur, illud enim nervis adhæret, ut explicuimus, & eadem ratione qua ubertim in cerebro ſecernitur magis quam in aliis colatoriis, illud debet in fibrarum medullarium & nervearum textu retineri, juxta theoriam Hambergerianam.

Si ſummo Newtono credamus, fluidum nerveum quod eſſe materiam lucis exiſtimat, non diſpari ratione intra nervos ut pote homogeneos, facile movetur, quam qua lux intra corpora pellucida ſeu homogenea; quod ſi ita ſit, obſtructis per lympham heterogeneam nervis, fluidum nerveum eodem

Digitized by Google

eodem modo intercipi neceſſum eſt, ac lux a corporibus opacis intercipitur.

Expedita jam ſenſationum theoria, ad motus muſcularis mechaniſmum properemus, de quo quæ vulgo circumferuntur hypotheſes longius à veritate recedunt, quam ut ipſis adſtipulari poſſimus; in re tam ardua conjecturis indulgere liceat ut ſagacioribus viam ſi non tutam, ſaltem novam præmonſtremus.

Si fila duo cannabina vel chordæ fidium flexibiles & molles parallelæ propendeant, deinceps vero electrica vi imbuantur maxima, fila illa antea à ſe invicem paululum remota ad ſe invicem accedunt, ut quiſque experiri potis eſt.

Si cylindrulus horizontaliter ſitus illa fila diſtinguat eorumque mutuum contactum impediat, facta electriſatione, fila ad ſe invicem accedentia circa cylindrulum flectentur, & ipſum hinc & inde amplexata neceſſario decurtabuntur, ſeu filorum faſciculus brevior evadet.

Vis eſt itaque fibris electriſatis, qua ad ſe invicem accedant & interpoſitis corporibus apprimantur, vis autem illa in contactu major eſt & creſcit in ratione proximitatum duplicata, verum ab electricitate valida mirum quantum augeatur. Sæpe miratus ſum acus magneticas electriſatas accedentem ſequi digitum multo majori velocitate, quam ſi ferrum fuiſſet admotum: campanulas e filis totidem pendulas cum electrica virtute imbueret Illuſtriſſ. Matheſeos Profeſſor D. Jallabert, eas ad ſe mutuo accedere ac ſe modulate & argute pulſare vidit, deficiente vero vi electrica ſilebant tintinnabula.

Jubente anima fluidum nerveum vel perniciſſimo motu adigi, vel in citas undulationes concitari, pro confeſſo ſumimus; verum cum vis electrica pro affrictus celeritate intendatur, docente experientia, atque cum creſcente vi electrica fibræ flexiles ad ſe mutuo accedant, veroſimile videtur fore, ut ab animæ juſſu fibræ carneæ muſculorum ad ſe mutuo acceſſuræ ſint, & in denſiorem molem compingendæ.

Verum vaſa ſanguifera fibris carneis muſculorum eſſe tranſverſim vel oblique interpoſita, docet anatome: eaque non ita facile preſſioni fibrarum cedere norunt, qui ſciunt impetum cruoris trans muſculos contractos adaugeri; ſi vero fibræ muſculares, numeroſis cylindrulis interpoſitis prius ſejunctæ, ad ſeſe fortius accedant, adeoque circum fibras inflexæ eas hinc & inde amplexentur, neceſſum eſt, ut in tractu ſuo muſculus corrugetur, ut obſervavit in ranis Haleus, adeoque ſimul decurtetur & pondus appenſum attrahat.

Inde vero ſequitur, molem muſculi firmiorem & minorem evaſuram in contractione, quod ipſis oculis cernere mihi datum eſt in emaciato paralytico cujus muſculus biceps ita prominebat ut admoto cylindro ferreo & fibris fortiſſime contractis, undique fere earum faſciculos ad axim muſculi appreſſos viderem, ulna ſimul ſurſum tracta.

Ex

Ex hac muſcularis motus expoſitione patet, quod in nulla alia hypotheſi fuit unquam explicatum, cur ſcilicet brachio in urceum aqua plenum immiſſo, aqua deſcendat contracta manu, laxata vero reſurgat.

Verum, quod noſtræ magis favet ſententiæ, eſt incredibilis celeritas motus muſcularis, quæ admiſſis veſiculis nequaquam explicari poteſt, ut ſagax innuit Molerius in actis Academiæ Pariſinæ.

Poſitis veſiculis, velocitas fluidi nervei intra nervum muſculo deſtinatum, eſt ad velocitatem ejus in veſiculis muſculum conſtantibus, ut ſectio tranſverſa muſculi ad nervi ſectionem, ſed cum muſculus tranſverſim ſectus ſit millionies amplior nervi ſui orificiolis ſimul ſumptis, velocitas fluidi nervei in veſiculis millionies minor eſt quam in tractu nervi, ſeu quam velocitas qua ſenſatio tranſmittitur ad cerebrum.

Docet autem experientia celeritatem contractionum in muſculis ex animæ juſſu vel ex ſtimulo, non eſſe minorem velocitate ſenſationum, adeoque veſiculoſa muſculorum diſpoſitio ad motum muſcularem explicandum admitti non poteſt.

Fruſtra objiciebatur olim Williſio, qui fluidum nerveum luci analogum admittebat, nervos ab eo fluido inflammatum iri; quæ certe difficultas eos nequaquam remorabitur qui flores tenerrimos eorumque petala ſolis radiis expoſita ſimul & illibata viderit, multo minus eos, qui pappos lucidos fluidi electrici cum ſibilo & ſtrepitu à ferrea lamina vibratos digitis exceperit, eos enim nequaquam calidos experietur.

Interea tamen lenem calorem à fluido electrico foveri & ab electriſatione intendi non diffiteor, hoc eſt enim verum *calidum innatum*, quod fluidis liquiditatem, nervis ſenſum, muſculiſque motum conciliat.

Si quis vero quærat, quo pacto potentia motrix, quæ humanæ machinæ præeſt, hoc fluidum in motum velocem, tum progreſſivum, tum undulatorium adigat, is prius explicet quid corpora gravia deorſum trudat, quid impulſa corpora per medium aëra ſequatur & urgeat.

THEORIA HEMIPLEGIÆ.

Hemiplegicus dicitur ille, qui in alterutro ſcilicet vel dextro vel ſiniſtro latere ſenſus motuſque muſcularis vel alterutrius imminutione aut privatione laborat.

Hemiplegiam inducit immeabilitas fluidi nervei per nerveos lateri affecto proſpicientes, & ſive afficiatur alterutrum ſpinalis, vel oblongatæ medullæ latus, hinc nervos ac proinde muſculos ejuſdem lateris affici conſequens eſt.

Immeabile eſt fluidum nerveum, qua vi minori truditur, quam eſt repagulorum ipſi oppoſitorum reſiſtentia; adeoque defectus ſenſus ac motus, vel debilitati potentiæ motricis, quæ fluidum nerveum impellit, vel reſiſtentiæ ipſi oblatæ intenſitati, vel utrique ſimul eſt adſcribendus.

 1°. De-

Digitized by Google

1°. Debilitas fluidi nervei vel ab ejus penuria, vel ab ejus tarditate procedit.

Penuria fluidi nervei eſt in ratione compoſita jacturæ prægreſſæ directe, & reparationis inverſe.

Jactura fluidi nervei cæteris paribus eſt proportionalis *evacuationibus* ſenſibilibus ut diarhœis, vomitibus, hæmorrhagiis, ſudoribus &c. & inſenſibilibus ut perſpirationi inſolitæ: iterum reſpondet *conatibus* editis, in quibus ut vires abſumuntur ita & fluidum nerveum amittitur, unde à doloribus ac pathematis exhauritur fluidi nervei promptuarium.

Reparatio fluidi nervei fit per paſtum & ſomnum, adeoque eo minor eſt, quo major abſtinentia à cibo & potu & quo vigiliæ protractiores ſunt.

Tarditas fluidi nervei eo major eſt, quo potentia motrix minores conatus exerit: velocitas enim omnis fluidi eſt ut radix virium ipſi applicatarum; in infantibus & ſenibus potentia motrix minores vires exerit ut docet experientia, adeoque minor eſt in illis quam in adultis, & in convaleſcentibus quam in ſanis, & in pituitoſis quam in bilioſis fluidi nervei velocitas: verum vires ſuas non impendit potentia motrix, quæ ſanitatis conſervationi & reſtitutioni invigilat, niſi à motivis determinetur, & quo motiva ſunt urgentiora cæteris paribus eo majores vires exeri videmus; adeoque contrariorum ratione, ſi nulla ſint motiva ad agendum determinantia, fluidum nerveum torpeſcet & in partes non immittetur; aut ſi motiva urgeant ad fluidum nerveum certis partibus impendendum, in alias partes minor aut nullus erit influxus.

Hoc advertendum velim, eum in finem potiſſimum motus organa animalibus eſſe conceſſa, non ſolum ut ſibi neceſſaria victum ſcilicet concilient, ſed etiam ut noxia fugent & removeant; artus quidem externi, voluntati ſubditi, ſunt eximia inſtrumenta ad bonorum captationem & malorum remotionem; verum organa interna & nervis ſunt prædita ut quod placet ſentiamus, & quod nocet noſcamus, & fibris muſcularibus dotata, ut grata retineamus & in uſus noſtros vertamus atque ut ingrata rejiciamus: voluptas itaque & moleſtia ſunt potiſſima, quæ nos ad agendum incitant motiva: ſic fames ad alimenta quærenda, maſticanda, voranda, digerenda nos determinat, moleſtia in ſtomacho ad nauſeandum & vomendum nos excitat, atque illa conamina non fortuita ſunt nec vana, ſed in finem animali utilem vergunt, atque per aptiſſima organa quaſi ſelecta, exercentur.

Cum itaque potentia motrix vel ſomno vel ſopore obruta, nullam voluptatem, nullamque ſentit moleſtiam, tunc nullum eſt motivum quo ad agendum excitetur, unde licet vires non deficiant, nullus in hoc caſu motus muſcularis exercetur, & in ipſa vigilia omnis labor, omne negotium negligitur: videmus quotidie infantes ita torpidos & hebetes, ut incuria & negligentia ſola detenti motus linguæ ad loquelam neceſſarios omittant,

tant, ſicque muti videantur, uſquequo verberibus vel minis excitati, hiſce conatibus aſſueſcant, & loquelam exerceant.

Sunt qui gravi pathemate detenti, omnes motus muſculares ſupprimunt, imo vix ſentiunt impreſſiones externas, ſic narrat Divus Auguſtinus ſe vidiſſe Monachum, qui quoties vellet vi ſuæ imaginationis extaticus factus, vellicationes quaſvis nullatenus ſentiret; & obſervavit Tulpius adoleſcentem, qui paſſus repulſam ab amaſia ſua, in morbum ſoporoſum inciderat, e quo non excitatus fuit, niſi cum amaſiæ gratiam ipſi reſtitutam admonerent.

Sunt etiam qui metu doloris, à motu recrudeſcentis, ab omni exercitio abſtinent, licet viribus ſufficientibus polleant; ſic à viro fide digno audivi quendam podagricum multos annos lectulo ſuo affixum, & omni motui inhabilem creditum, movendi facultatem illico recuperaſſe, cum nefarii quidam fanatici lectulo ignem ſuppoſuiſſent, & ipſe miſer fumo ſuffocatus & flammis circumdatus, ſe mortis imminenti periculo per fugam celerem eripere fuit coactus. Similem hiſtoriam narrat de paralytico Valleriola Doctor Monſpelienſis, libr. 2. obſ. 4. nec non docet hiſtoria romana, adoleſcentem dudum mutum vocem illico recuperaſſe, cum patrem ſuum à milite mox trucidandum cerneret, a quo militem clamando deterruit.

Mirum certe videtur, quod ubicumque cerebrum & cerebellum vulnere confodiatur, ulcere exedatur, fractura vel infarctu inflammatorio prematur, tunc exoriatur appoplexia, vel hemiplegia; interea tamen organa vitalia ut cor & pulmones, quæ ex locis in cerebro diverſis nervos ſuos mutuantur ſua munia, vires ſuas ſervent, cum cæteri vel totius vel dimidii corporis muſculi in paralyſim delabantur, & ſenſu motuque deſtituantur.

Hanc organorum vitalium prærogativam tribuunt multi texturæ firmiori cerebelli, ex quo nervos vitalibus organis proſpicientes proficiſci tantum exiſtimant, atque ex eo quod cerebellum firmius ſit, ipſum hiſce preſſionibus & infarctibus minus obnoxium pronunciant.

Verum viginti & ultra experimentis compertum eſt, cerebello non majorem eſſe quam cerebro firmitatem, præterea falſum eſt ex ſolo cerebello cor & pulmones ſuos nervos mutuari, vel ſaltem illud gratis aſſumitur, demum textus cerebelli firmior non impedit quominus infarciatur, inflammetur, vulneretur: imo errant qui experimenta huic ſententiæ velificantia citant; aiunt nempe ablato in cane cerebello & pari velocitate in altero cane cerebro, prius illico mori, altero multo diutius ſuperſtite, cum duodenis & ultra canicidiis expertus ſim, non citius enecari eos, quibus cerebellum quam quibus cerebrum avulſum eſt, & ambos per horæ quadrantem & ultra ſuperſtites fuiſſe.

Memini etiam, quinque ab hinc annis virum quadragenarium, cui occiput à lapſu vehementer percuſſum fuerat & fractum, octo dies gravi caro labo-

laboraſſe, quo extincto & aperto abſceſſum in medio cerebello invenimus digito indici capiendo parem & qui certe vita per aliquot dies ſuperſtite cerebellum vitiaverat.

Nonne veroſimile videtur, fluidum nerveum tunc temporis, per alios nervos à cerebro oriundos, in cor immitti tanta vi, quæ motum cordis integrum reparare queat, & influxum ex nervis obſtructis compenſare? certe ſi potentia motrix, quæ corporis tutelæ invigilat, conamina ad vitam protrahendam neceſſaria totis viribus exercere debet, ea preſſo, vulnerato alicubi cerebro vel cerebello, quidquid habet fluidi nervei in nervos cardiacos & pneumonicos immittere tantum curat, neglectis artuum ad vitam minus neceſſariorum motibus, quibus tamen exigua vis ſuperſtes impendi & incaſſum exhauriri poſſet.

Aſt regerent Neoterici potentiæ motrici ſenſum & intelligentiam ad hoc opus eſſe ſupponendam, à quo ſunt alieniſſimi: verum ſi concedamus ipſis animalia eſſe mera automata, non tamen inficias ire poſſunt, quin artificioſa eorum machina à ſummo Creatore ita aptari potuerit, ut illi motus præciſe ſequantur, quos principio intelligenti vel ſentienti tribuere videmur.

Interea ne præſumant Neoterici motus illos vitales ut cordis, ex legibus mechanicis & hydraulicis deducere ſe poſſe, niſi ad potentiam motricem continuo agentem confugiant; ſi credant Alphonſo Borello mechanicorum principe. „ Senſus evidentia demonſtrat quod principium & cauſa „ effectiva motus animalium ſit anima, atque id nemo profecto ignorat, „ cum animantia per animam vivant, & durante vita motus in eis perſeve„ ret, extincto vero animali, id eſt non amplius anima operante, machina „ animalis omnino iners & immobilis relinquitur.

Interea viſum eſt colendiſſimo aliunde viro Boerhaavio, cor eſſe mobile perpetuum, quod ſcilicet à fluido nerveo movetur ea tantum vi, quam ipſi cor conciliavit, atque ſic, ait ille effectus eſt prior ſua cauſa. Vide orationem octavam *de Honore medici naturæ ſervitute*. Quam ſententiam nemo certe amplectetur qui noverit mechanicam. Ut fluidum nerveum cordi movendo ſufficiat, neceſſum eſt ut ejus velocitas ſit fere 32400 pedum intra ſecundum, ut vidimus, verum eam velocitatem nequaquam mutuari poteſt à ſanguine cerebrum irrorante, cum ipſe ſanguis in aorta non ultra ſemipedem quovis ſecundo percurrat, atque cognitum ſit, ex legibus hydraulices, & anatomiæ, ſanguinem in ramis ultimis aortæ 5000 vicibus eſſe tardiorem quam in trunco.

Præterea vix decima pars ſanguinis à corde emiſſi ad cerebrum pertingit, ſed vis contractiva cordis ſanguini impreſſa per totum ſanguinem diſtribuitur; ergo vis cordis ſanguini toti impreſſa decies major eſt ea, quæ ſanguini cerebri & cerebelli impertitur, quæ ſi tota in cor movendum impendatur, decies adhuc minor eſt, quam quæ cordi movendo ſufficit; abſurdum enim eſt, ut norunt mechanici, effectum eſſe ſua cauſa majorem

&

& in machina hydraulica perfectiſſima maximus effectus qui produci poteſt, eſt ad vim fluidi moventis, ut 4 ad 27, ut D. Parent, Bernoulli, Pitot, Belidor, demonſtrarunt.

2°. Reſiſtentia fluido nerveo muſculos contracturo oppoſita, eſt vel in nervorum tractu, vel in artu movendo.

Nulla eſt in humana machina, quidquid in contrarium afferant ſcholaſtici, reſiſtentia inſuperabilis in ſe, & omnis reſiſtentia ad molem movendam reduci poteſt, quæ niſi infinita ſit, à corpore quovis impetente in motum agitur: ſi vis fluidi nervei nequeat ſibi viam facere per nervos, etiamſi vi conſueta protrudatur, hoc indicat reſiſtentiam in nervis adauctam.

Reſiſtentia adaugetur, tum in fibris medullaribus, tum in tractu nervorum, vel vitio fluidi nervei, vel vitio fiſtularum nervearum. Vitio quidem fluidi nervei, ſi lympha nervea, quæ hujus compoſitionem ingreditur, viſcida nimis ſit, à vaporibus acidis vitriolicis, qui ex mineris metallorum emanant, unde metallurgi hemiplegiæ ſunt obnoxii; ſi frigore potiſſimum humido fuerit denſata, unde à frigore ſtupores & paralyſes ſæpius oriuntur; ſi ſanguis viſcidus, ſcrophuloſus, rachiticus &c. ſimilem lympham nervis ſuppeditat.

Vitio ductuum immeabilitas fit, ſi propter tumores in tunicis nervorum, vel in partibus vicinis adnatos, inflammatorios, ſchirroſos, ſcrophuloſos, varicoſos, aut alios quoſvis molles, aut ſi propter excreſcentias carneas, oſſeas ut exoſtoſes, ſi propter diſtorſiones, luxationes, fracturas, nervi tum in cerebro, tum in ſpinali medulla comprimantur.

Idem enim nervis compreſſis accidit ac filis electriſatis, ſi corpora extranea majora propius admota fuerint, fluidum ſcilicet electricum à via divertitur, & in corpora prementia diffuſum in filis deficit. Sic ſi filum electriſatum quis in tractu preſſerit, vel digito tetigerit, illico deficiunt in aliis fili punctis ſcintillæ, à fortiori vero illud fibris nerveis accidit, quoniam vim electricam multo minorem obtinent.

Notum eſt fila etiam ferrea debilius electriſata, nullas ſcintillas emittere, ſi in tractu humectata fuerint, aut ſordibus humidis conſpurcata; non mirum itaque fibras nerveas ſeroſa colluvie, ichore, pure effuſo inquinatas vim motricem & ſenſiferam amittere; hinc ab hydrocephalo, non ſolum comprimuntur fibræ medullares; ſed etiam fluidum nerveum abſorbetur, proindeque eo nervos defraudari neceſſum eſt.

Si demum vulnerentur, tranſverſim ſecentur, aut ulcere exedantur nervi, ſoluta continuitate fibrarum, nulla ſenſifera nec motiva facultas tranſmitti poteſt, cum enim fluidum electricum in humano corpore non electriſato, debile ſit, nec ultra ſuperficiem fibrarum nervearum promineat, idem accidit ac chordis & filis debilius electriſatis, & ab invicem diſſitis, in quibus vis electrica intercipitur.

Si ea ratione immobilis ſit muſculus quia reſectus, adeoque ulterius

 con-

contrahi nequit, vel quia artus pondere immenſo, aut rigiditate & ankyloſi ſuæ flexioni reſiſtunt, ea certe vitia paralyſim non conſtituunt, adeoque in hemiplegiæ theoriam non ſunt refundenda.

Sunt qui nervos alios motui, alios ſenſui tantum dicatos fingunt, ut explicent quare in hemiplegia motus ſuperſit, ſenſu deficiente vel vice-verſa, & quare cum membra convulſive moventur ut in epilepſia, ſenſu tamen deſtituantur. Verum contrarium docet experientia, cum enim in ſtatu ſano nullum eſt punctum aſſignabile & tenuiſſima acicula pungendum, quod non ſentiat; nullum eſt pariter quod fibris nerveis ſenſiferis deſtituatur, verum ſi nullum punctum fibris ſenſiferis careat, & corpora diverſa eumdem locum replere nequeant, nullibi locari poſſunt nervi motorii, qui ſimul non ſint ſenſiferi.

In hemiplegia motus partis ſæpe viget, ut in manu, licet cutis eam partem contegens ſenſu careat, nec mirum eſt, tunc enim nervi cutanei ſoli laborant, ut ſæpe vidi à phlebotomia circa carpum inſtituta, nervi vero motorii ipſique muſculi manus motores per ulnam diffuſi, ſunt illibati. Nil impedit etiam quominus nervi ad muſculos pertingentes vitientur, dum nervi cutanei ſunt liberrimi, unde motus deficit, ſenſu ſuperſtite.

Ad ſenſum ſufficit libertas fiſtularum nervearum & fluidi electrici continuitas, & tunc à leviſſimo contactu, fluidum electricum vibratur, concutitur, non ſecus ac in elaſtrorum tenuiſſimorum ſerie, ſi ultimum vel leviſſime vibretur primum illico ſuccutitur,. verum ad motum muſcularem vis multo major & forte translatio fluidi nervei à cerebro in muſculos eſt requiſita, cum itaque datur ſolummodo libertas fiſtulæ nerveæ, & vis ſufficiens ad fluidum immittendum deficit; non mirum eſt ſi ſenſus in eodem nervo ſuperſit per quem motus exerceri non poteſt.

In apoplexia languent omnes artus, cordis & pectoris motu ſuperſtite, in epilepſia vires vitales vigent ac vires artuum intenduntur, atque in utroque morbo nullus in organis externis ſenſus eſt. Verum advertas quæſo nunquam graviori pathemate percelli animum, quam cum ipſius ſedes, cerebrum ſcilicet ſubitanea obſtructione, labefactatur, tunc metu mortis nequaquam panico mens ſtupet, & quoniam ſenſatio major minorem obſcurat, aliis impreſſionibus, externis ſcilicet, ut pote minoris momenti non afficitur; interea tamen ipſe metus mortis, conamina ad vitam perennandam neceſſaria, & jam ab ortu conſueta, ſcilicet motum cordis & pulmonis ſuadere videtur; non mirum itaque ſi quamdiu vires ſuperſunt, tamdiu motus illi perſeverent; imo quoniam in inſultu apoplexiæ aliquandiu perſeverante, fluidi nervei non ſatis ſecreti penus fere exhauritur, exigit principii intelligentis, quodcumque fuerit quod œconomiæ animali præeſt, providentia, ſive numen ſummum, ſive mentem humanam intelligas, ut quidquid eſt nervei fluidi adeoque virium, ſalubri parcimonia in organis vitæ actuandis impendatur, & ab organis ad vitam ac-

tua-

tualem minus neceſſariis detrahatur, unde non mirum ſi vigente vi cordis & reſpiratione, nullus ſenſus ſuperſit.

In epilepſia dantur per pauca minuta conatus convulſivi, quia contractis valide meningibus, forte in eum finem, ut obices in cerebri cortice reperiundi vincantur, & infarctus reſolvantur, fluidum nerveum ſimul in continuos nervos exprimitur; verum principium ſentiens in tam gravi pathemate, leves vellicationes artuum non attendit; leves dico, ſi enim graviores ſunt ut ab aſſumpto emetico, ab ſcarificationibus, & vincturis, tum apoplectici, tum epileptici ſenſum extorqueri videmus. Quod autem grave pathema hos inſultus comitetur vix ullum eſt dubium, cum plures epileptici, accedente inſultu, & vocis querulæ accentibus & oculis & toto vultu ſummum terrorem, quo percelluntur, manifeſtiſſime demonſtrent.

Nec contra noſtram ſententiam quidquam facit, eorum quæ in paroxiſmo perpeſſi ſunt oblivio, cum haud dubium ſit, nos inter dormiendum ſomnia moleſtiſſima, ſummoſque angores perpeti, quorum tamen evigilati ſæpe nullatenus recordamur.

Artus paralytici quandoque ſucceſſu temporis marceſcunt & emaciantur; ſi ſcilicet fluidi nervei appulſus omnino ſuppreſſus ſit, fibras nerveas ex quibus fere omnes partes molles conflantur exſiccari, adeoque emaciari neceſſum eſt; maxime ſi fluidorum acrimonia concurrat; verum ſi diatheſis ſeroſa fibras relaxet, quoniam deficiente motu muſculari, fibræ more ſolito nequaquam contractæ, ſero imbibenti excutiendo ſunt impares, & languet partis perſpiratio, adeoque vaſa laxari & appellentibus fluidis minus contraniti neceſſum eſt; unde diſtenduntur; & pars paralytica in majorem molem excreſcit.

Interea tamen ſi nulla in ſanguine fuerit dyſcraſia, fieri poteſt, ut artus paralyticus conſuetam firmitatem & molem ſervet per aliquot annos, cum etenim ſanguis totam quam habet vim ad circulandum à corde mutuetur, & per vaſa magis minuſve elaſtica, ut arterias, venas, lymphatica, æque libere prevolvatur, nil impedit quominus circulum ſuum per artus paralyticos abſolvat, adeoque in parte nullum tumorem procreet, & certe ſi pulſantem in latere paralytico & in ſano exploremus arteriam, non illius quam iſtius debiliorem aut minorem inveniemus pulſum; atque errant illi qui vaſorum elaſticitatem ad circuitum ſanguinis neceſſariam eſſe contendunt, cum vaſa utcumque elaſtica nullum novum ea ratione motum liquidis impertiant, atque ut norunt aquileges, per ductus plumbeos æque libere provolvantur fluida ac per coriaceos & vitreos, modo cætera paria ſint.

Nullum fere obſervavi inveteratum hemiplegicum, in quo artus affecti non forent & rigidi & contracti; hemiplegici tamen qui ab epilepſia morbi ſui natales ducunt multo minus rigeſcunt aliis. Atque notatu dignum pendulum eſſe humerum, ulnam vero à bicipite potiſſimum decurtato horizontali-

taliter flexam & digitos ſæpius omnes ita contractos & rigidos, ut potius frangantur quam explicentur, atque aliquoties ungues intra volam manus ſoveas ſuas cudant.

Non immerito itaque veteres methodici paralyſim aliam à laxitate, aliam ab ſtrictura deducebant, atque erronea videtur paralyſeos definitio à Neotericis accepta, ſcilicet motus ſenſuſque privatio cum partium laxitate.

Hanc autem rigeſcentiam deducere pronum eſt, ex eo quod articulorum capſulæ & tendinum vaginæ ſua ſinovia deſtituantur, quæ cum à muſculorum motu debeat exprimi, & uberius ſecerni, artus inertia ſupprimitur.

Contrahuntur vero vi ſua elaſtica muſculi flexores fortius extenſoribus, quia tum numero tùm mole potentiores ſunt.

Frigent utplurimum partes paralyticæ, quia fluido electrico per nervos influxuro, deſtituuntur, huic autem fluido caloris nativi maximam partem eſſe tribuendam haud dubium nobis videtur; adde quod partes igneæ defectu motus muſcularis minus in artu paralytico extricentur. Hemiplegici tamen ipſi nec frigore hyberno, nec æſtu æſtivo afficiuntur.

Obſervavi pluries manus paralyticas interdiu valide contractas, noctu & potiſſimum horis matutinis ſponte explicari, cum ſcilicet calore lectuli fluidum electricum harum partium nervos pervaſit, ſed hoc phœnomenum ſæpius paralyticis pridie electriſatis accidit.

Ab aliquot menſibus obſervavi paralyticam mulierem à ſex annis hemiplegicam e ſiniſtro latere, in qua niſi catharſis ſingulis menſibus inſtituatur, totum latus ſiniſtrum mire convellitur per plures horas, ac deinde per dies aliquot tremore convulſivo agitatur: ſimile phœnomenum plures obſervarunt Authores, & merito pro epilepſiæ paroxiſmo hunc inſultum reputant.

Inde vero nonne pronum eſt conjectare paralyſim non à nervorum obſtructione abſoluta, ſed defectu vis ſufficientis fluidum nerveum in has partes dirigentis exoriri? unde in gravi epilepſiæ pathemate partes etiam paralyticæ convelluntur.

THERAPEIA HEMIPLEGIÆ.

Dogmaticæ therapeiæ primus canon eſt, ut cauſam morbi, quam cognitam ſupponimus, per ejus contraria deſtruamus: paralyſeos cauſa eſt immeabilitas fluidi nervei a cerebro in muſculos & ab organis ad cerebrum tendentis: adeoque vis fluidi nervei minor quam eſt ductuum ejus ſeu fiſtularum nervearum reſiſtentia: operæ pretium eſt igitur ut vim fluidi intendamus in majori ratione quam eſt nerveorum ductuum reſiſtentia, ſeu quod eodem recidit ut hanc reſiſtentiam imminuamus, vel hanc vim adaugeamus.

Vis fluidi nervei adaugetur, aucta ejus mole & copia; cum deficit propter

propter inediam, evacuationes, ea analepticis, adſtringentibus, cardiacis reſtituitur. Si propter vigilias, labores, dolores, hypnoticis, anodynis, quiete reſtituitur: verum ex ea fluidi nervei debilitate, vera non conſtituitur paralyſis, licet ejus concurſu paralyſis intendatur.

Eadem fluidi nervei vis adaugetur ſub eadem copia, cum potentia motrix ad agendum ſtimulatur, vel cum ipſi fluido velocior imprimitur motus a cauſis externis. Potentia motrix torpida, ſtupida, ad agendum excitatur pathematis vividis, ut ira, furore, vindictæ cupidine, unde ab illis pathematis excuſſas paralyſes narrant plurimi, & iraſci paralyticos jubet Galenus; ſtimulatur & in motum agitur, potiſſimum vellicationibus & ſtimulis phyſicis ut affrictu calido, ſicco repetito, ſinapiſmis, urticatione, cujus ope aliquot paralyticos ſanaſſe refert Medicus Monſpelienſis Arelate Medicinam faciens; fuſtigatione, quam Itali *battitura*, vocant & in hocce caſu commendant; huc puncturæ ex ſcintillis electricis, fervor & rubefactio ex aquis thermalibus, ammochaſia, &c.

Reſiſtentia fiſtularum nervearum imminuitur, ſi lympha tenax & viſcida, quæ ipſos infercit, ſolvatur, diſcutiatur, ſpirituoſis, aromaticis, thermis ſulphureis *de Barrege*, *Banières*, &c. apud Bigerros, *de Bagneuls* apud Gabalos, *de St. Laurens* apud Helvios, vel debilioribus ut *de Rennes*, *de la Malou* apud Occitanos, *d'Aix* apud Gallo Provinciales, &c. quæ omnes ſi materies acres ſimul & viſcoſæ, rheumaticæ, colicæ, arthriticæ, ſyphiliticæ paralyſin foveant, in ægris vividis, ſiccis, macilentis, ſunt anteponendæ. Tum thermis, ſale marino fetis, quales ſunt Balerucanæ apud Occitanos; *Bourbon-Lancy* in Burgundia, *Bourbonne* in Campania, *Digne* in Gallo-Provincia, aut ſale fontano alkalino turgidis, quales *de Vichy*, *du Mont-d'Or* in Arvernia, *de Ste. Reine*, *de Bourbon-l'Archambaut* apud Gallo-Boïos, *de Pougues* apud Nivernenſes, &c. quæ tum præſtant, cum temperamentum pituitoſum, humores inertes, ſolida laxa ſunt.

Hæ autem aquæ thermales præmiſſis præmittendis, ut venæ ſectione, catharſi, juſculis aperientibus, adhibentur forma potus balnei, tum in fonte, tum in cupa, embrochatione, hypocauſto, tum earum lutum cataplaſmatis inſtar applicatur.

Rurſus reſiſtentia in fiſtulis nerveis imminuitur tollendo per auxilia medico chirurgica oſſa fracta, luxata, excreſcentias cárneas, oſſeas, tumores ſanguineos, pituitoſos, quibus nervi, ſpinalis medulla, cerebrum, vel cerebellum comprimuntur, atque ſi a cauſa interna oriatur hæc preſſio, plethora phlebotomiis, abſtinentia; lymphæ, ſeri copia, catharticis, diureticis, ſudorificis, detrahenda.

Cum autem hemiplegia a cauſis internis orta, apoplexiæ, epilepſiæ, caro ſuccedens, conſuetis remediis reſiſtit, atque lympham viſcidam & inertem, ſolidorumque atoniam pro ſuis principiis agnoſcit, ea utcumque hactenus conclamata, immedicabilis habeatur feliciter vel ſanari, vel le-

levari poteſt invento nuper artificio, quod *electriſationem* vocant. Globus vitreus circa axim velociſſime rotatus manu, vel pulvillo confricatur, juxta ipſum extenditur filum ferreum, vel lamina ferrea prælonga, quæ fluidum electricum excipit, & ſi quis placentæ e reſina confectæ, vel ſcabello ſericeis funiculis ſuſpenſo, inſiſtens, vel globum, vel laminam ferream tetigerit ſummis v. g. digitis, is vi electrica manifeſta dicitur imbutus: Hunc ſi alter non electriſatus, vel debilius electriſatus contingat, illico ſcintilla lucens & crepitans utrique dolorem punctorium inferens, vibratur: Hæc eſt vulgatiſſima *electriſatio*.

Si vero quis manu teneat vitrum aqua potiſſimum calida plenum, in qua mergatur filum ferreum electriſatum, altera vero manu ſcintillam ex filo ferreo cieat, is illico valide ſuccutitur, & ea operatio *commotio* vocitatur; ſunt qui nuper globum vitreum reſinis, gummatis aliſque hujuſce generis medicaminibus, intus obduxerunt, & inde vim reſinæ medicam ut catharticam gummi guttæ, ſcammonii, diureticam balſami, &c. in electriſati hominis, corpus tranſire contendunt, atque tali methodo tres ægros a ſe curatos & ſanatos refert D. Pivati in epiſtola ad D. Zanoti, cui titulus eſt, *electricitas medica*; alii vero hæcce medicamina tantum manibus foveri & retineri jubent, cum electriſatio peragitur, atque hac methodo ab ſcammonio alvum moveri teſtatur D. Winckler, ſed experimentum Taurini, Genevæ, Pariſiis, Veronæ, & nuper Monſpellii inſtitutum nequaquam eo modo ſucceſſit.

Electriſationem ſimplicem nos adhibuimus per menſem unum aut alterum ſingulis diebus ad horæ quadrantem vel ſemihoram, deinde poſt tres vel quatuor dies *commotionem* addidimus, quam *partitam* vocamus, quæ ſcilicet a pluribus ſimul hominibus manu ſe contingentibus, & veluti reſtim ducentibus excepta mitior ſemper viſa fuit, quam ſi unicus homo phialam teneret, & altera manu ſcintillam educeret. Commotiones autem ſimiles plures quavis die patiebantur noſtri hemiphlegici.

Tres hemiplegicos autumno recens elapſo, ab artifice quodam ſtrenuo electriſatos obſervabam ſedulo; deinceps vero a menſe Januario ad Aprilis uſque medium, numeroſa hemiplegicorum cohors electriſata fuit, curam, locum aptum, & miniſtros ſuppeditante ſpectatiſſimo Viro D. Deide de Montblanc, in ſuprema ſubſidiorum curia Senatore integerrimo, ſæpius præſentibus illuſtriſſ. Medicinæ Profeſſore D. Haguenot, & Medicinæ Doctore clariſſimo Chaptal, ad hæc autem tentamina pro ſua humanitate & munificentia, nos omnes excitabat, tum impenſas neceſſarias ſufficiebat hujuſce provinciæ Præfectus, Regi a privatis conſiliis, omni major elogio D. Le Nain.

Viam autem electriſandis hemiplegicis præmonſtraverant Viri peritiſſimi, aſt potiſſimum, anno recens elapſo Profeſſor Matheſeos Genevenſis ſupra laudatus, cujus conſiliis & ſuaviſſima utor amicitia, nuper vero D. Pivati, Medicus Italus, Profeſſor Bononienſis D. Verati, qui felici ſucceſſu plu-

plures paralyticos & rheumatiſmo ac ſciatico dolore cruciatos ſanaverunt; Pariſinis quidem Philoſophis ac Chirurgis non ita felices eſſe contigit, forte quia ægros a vulnere vel fractura paralyticos, vel alios a cauſa interna hemiplegicos, parcius & rarius quam par eſt, ut per duas vel tres vices, tantum electriſarunt; nos vero qua arte huc in therapeia uſi fuerimus, & quiſnam fuerit eventus in hac opella palam facimus eo candore, qui probos viros, nequaquam novitatis illecebris deluſos, decet.

En itaque quid valeat torrens fluidi ignei, velociſſimus, in nervis tenaci lympha obſtructis, laxis, quos penitiſſime pervadit, & ſtrenue titillat, & num a ſera & matura quondam experientia majores ſucceſſus expectandi ſint, judicent ſapientes, qui electricas operationes tentare non dedignantur.

Omnino rationalis eſt hæc curandi methodus, electriſatione vis additur fluido electrico ſopito, & nervos difficilius pervadenti, fit via vi, rumpantur aditus nervorum viſcidis phlegmatibus occluſi; nervis elaſticitas, libertas, ſenſibilitas, eorum fluidis copia, velocitas, electricitas priſtina reſtituuntur; unde non mirum ſi hemiplegia tollatur, vel in inveterato & perdito rerum ſtatu, ſublevetur.

Quamdiu fluido electrico per omnes nervos diffuſo muſculi omnes æquabiliter pervaduntur, nulla ſingularis contractio, quia ſi vires æquales æqualibus addantur, omnia remanent æqualia ac in æquilibrio; verum ſi admoto digito, vel quod præſtat, cylindro ferreo, aureove fluidi, electrici impetus in datum muſculum determinetur, illico muſculus ille contrahitur, ſuccutitur & repetito experimento liberatur.

Hoc ſpecioſum phænomenum primus obſervavit illuſtriſſ. Genevenſis Profeſſor in brachio hemiplegici, ſcilicet pro diverſitate muſculorum, e quibus eliciebantur ſcintillæ, diverſas partes flecti vel extendi, ita ut (quod millies repetii) pro lubitu philoſophi, hemiplegicus licet invitus & mirabundus, hunc vel illum digitum abducat, adducat, flectat, extendat, aut eductis e collo ſcintillis renuat, vel annuat: quas obſervationes ſi quis attente penſitet, is non difficile conceſſurus eſt, fluidum electricum nervis implendis muſculiſque contrahendis aptiſſimum eſſe, adeoque pro fluido nerveo habendum eſſe, quod probandum ſuſceperam.

Obſervatio prima. Hemiplegia imperfecta cum amblyopia & lumbagine. An. 1749. menſe Januario.

Garouſte, lecticarius, 70 annos natus, ſtatura procera & habitu corpulento donatus, electriſandus acceſſit: decem ab hinc annis hemiplegicus erat, ita ut adhibitis omnigenis medicaminibus ſupereſſet ſumma crurum debilitas, nec ſine labore, morulis & baculo progredi poſſet, oculo lateris affecti omnino orbus, altero difficillime videret, nec minuta litterarum elementa legeret, manus affecti lateris debiliter moveretur, & quaſi non ſua foret, nequaquam corpora in ipſa contenta perſentiret, aſt tantum formicationis obſcuram perceptionem haberet. His adde *Lumbaginem*, qua ita

urgebatur, ut ſedens nulla tenus ſine adſtantium adminiculo ſurgere valeret.

29. die Januarii. Electriſatus eſt, ſcintillæ, ex manu digitisque ſtupore affectis, elicitæ, mox ex oculi cæci confiniis; ad ſemihoram extenſa eſt electriſatio.

Nocte ſequenti ſolito altius & pacatius dormivit, ſopita tuſſi & excreatione, quæ eum noctu defatigare conſueverant.

30. Iterata eſt ut prius electriſatio. Urgente frigore latus frigidum & debile pannis calidis cubitum iturus ſibi confricari curavit.

Noctu oculus cæcus magnam aquarum profudit copiam

31. Iterata eſt ut prius electriſatio, & commotionem partitam, cum aliis ſex hominibus reſtim ducendo quinquies expertus eſt. Veſpere pannis calidis confricatus.

Februario noctu, ambo oculi multum lachrimati ſunt, mane multum lætatus eſt, quod altero oculo acutius cerneret, imo minutulas precum ſuarum litteras legeret; mirabundus teſtatus eſt ſe in tribus paralyticæ manus digitis ſenſum tactus recuperaſſe, ſtupidis adhuc indice & pollice,

1. Februarii veſpere, ut mos eſt, electriſatio, commotio partita, ſcintillarum ex digitis excitatio. Per dies ſequentes abfuit.

Noctes ambas prægreſſas anxie, & inſomnis tranſegerat, pulicibus undique vellicitatum ſe reputans in medietate corporis paralytica, aſt errorem ſuum lumen allatum diſcuſſerat; interim ſe leviorem ſolito & alacriorem perſentit, & baculum abjicit.

4. Febr. Iterata electriſatio, & partita commotio. Quæ ipſi viſa eſt multo validior. Sequenti die, viſum roborari, inceſſum facilius peragi, oculos noctu lachrimari.

6. 7. Eadem ut prius. Eo diſcrimine, quod per biduum, motum in latere ſano corporis inſolitum, velut ab angue ſe explicante & replicante perſentiret.

8 9. Frigore tempeſtatis apud ſe ſtetit. 10 electriſatus eſt & 13, 14 ad 19. eadem ut prius, noctu lachrymarum effluxus, viſus ex oculo debili, acutior, & demum lumbago vetus omninò ſanata.

23. Omnia ut prius, ſed præterea manus lateris affecti, fortior, crura omnino libera & expedita.

26. Index prius ſtupidus jam ſentit, pollex etiam paululum, de cætero ſanus veges & expeditus, ſi oculum dudum perditum excipias.

Aprili menſe, quo hæc ſcribo bene ſe habere pergit.

En hemiplegiam imperfectam quidem ſed pro inſanabili antea habendam cum amblyopia & lumbagine in ſeptuagenario, contra omnium ſpem, ſanatam, electriſationes ultimæ alternis fere diebus repetebantur, & vix ultra horæ quadrantem extendebantur, quia ægrotantium numero obrutis, vix ad ſingulos tempus ſuppetebat.

Ecce primum exemplum illachrymationis artificialis, cujus ope oculus acu-

Digitized by Google

àcutior evadit ad videndum, ſimulque materiæ medicæ novum ſuppeditatur evacuantium genus, ab ophtalmiatris non ſpernendum.

Mirabar in hoc ægrotante duplicem in digitis ſenſum, is quidem corpora digitis continua per nervos contactos percipiebat, verum ob ſtuporem digitorum ipſa ab invicem diſtinguere non poterat; digiti puncti dolebant, attamen tactus ſenſus abeſſe videbatur, qui corporum contactorum exploraret diſcrimina. Æger degit *au Campnau.*

Obſervatio II. Hemiplegia vinoſa vetus in brachio perfecta cum Pſelliſmo.

Samuel ſervus, quadragenarius, vino deditus, dudum hemiplegia dextri lateris detentus, ad nos pedibus progredi nequaquam poterat, vix e lecto ſurgebat, interea linteis calidis ad pedes admotis, ſimulque unctis genubus & pedibus oleo laurino cum unguento de althæa, intra dies paucos melius habuit, & ad jatreiam electricam ſcipioni innixus pedententim & ægre ſe contulit. Lingua paralyſi imperfecta laborans voces diſtinctas pronunciare non poterat, ſed verba ebriorum inſtar frangebat, ut vix intelligi poſſent. Brachium pendulum, ulna tamen horizontaliter inflexa gerebat manum ad angulum fere rectum inflexam, digiti vero ita rigidi, & ſimul contracti, ut nec manus extendi, nec digiti vi adſtantium aperiri valerent, ſenſus autem nullus, macies in toto brachio ſumma, color ſubluteus, frigus qualis atmoſpheræ, crus ejuſdem lateris debillime movebatur, marcidum, ſenſu aliquali præditum.

29. Die menſ. Januarii. Supra placentam e reſina confectam, inſiſtens electriſatus eſt, & brachium linteis calidis confricatum. Aſt ſine ullo effectu.

30. Iterum per ſemihoram electriſatus eſt. Digiti manus minus inflexibiles viſi ſunt.

31. Idem. Nec non manus & brachium pelle vervecina lanata obducta ſunt.

1. Februarii. Tres priores digiti manus paralyticæ extenſi ſunt, & aliquatenus moventur. Simulque inceſſus multo firmior. Hoc ſucceſſu incitati commotionem partitam adhibuimus. Cuneo ligneo intra manum immiſſo, ut ſenſim extenderetur.

3. Febr. Quartus digitus ſemi extenſus & mobilis, crura expedita, noctu puncturas vividas in partibus paralyticis perſenſerat. Lingua expeditius & diſtinctius voces proferebat. Iterata electriſatio & commotio.

4. Acceſſit ſtrenue incedens, ſcipionem non manu, ſed brachio ſuppoſitum gerens, lætus dixit ita ſe valere brachio, ut ad follium ludum exercendum paratus eſſet. Interim dixit ſibi pedes digitos noctu doluiſſe, quod laurino oleo ſedaverat. Auricularis manus digitus, qui prius inflexus ſub aliis ſemper latuerat, jam fere explicatus. Color brachii ac manus ad naturalem accedebat, lamina papyracea imam ad ulnam circumpoſita peripheriam hujus dimenſi ſumus. Iterata electriſatio & commotio.

5. Melius habebat, aſt paralytico brachio identidem dolebat.

7. Lingua & loquela expedita, brachium prius mitella involutum, jam extrahebat & paululum elevabat: uſque ad clavicularum altitudinem, ultimi digiti manus flexiliores, magis explicati, levis in crure debilitas. Electriſatus eſt.

9. Eadem ut prius, ſed puncturæ leves in femore paralytico.

10. 11. 12. Puncturæ in utraque tibia, ſcintillas ex illius ulna eliciebant duo ſimul adſtantes, ut accelereretur curatio.

14. Digiti dudum fere patuli, jam flexibiles ſunt, calor & color manuum naturali ſimilis, cuneus ligneus major in dies adhibetur. Eliciuntur ex brachio & ex cervice ſcintillæ.

17. 18. Ita robuſta manus evaſit, ut cuneum ligneum, quem manus paralytica tenebat, vix ab adſtante quovis auferri poſſet. Lignei loco ferreum manu comprehendit, 7 libras pendentem, quo ſatis valide menſam percuſſit.

19. 21. 25. Manus multo minorem in dies cum ulna angulum conſtituit, ſeu erigitur. Manum apud ſe exercet æger, ut vires majores aſſumat.

27. 28. Petaſum manu paralytica, jam omnino recta, e capite aufert & reponit libere, ſedile hac manu geſtat ambulando; iteratur electriſatio.

1. 2. Martii. Petaſum tollit e capite ſatis decenter.

3. 4. Digitus auricularis flexibilior eſt. Cum æger optime ſe habeat, jam vino ſe fere ſingulis diebus onerat.

8. 9. & 10. Vires increſcunt, ita ut manu paralytica baculo armata conjugem ſtrenue caſtigaverit.

13. 14. Venæ manuum, quæ nullæ antea fuerant, turgere videntur, ut in ſanis. Peripheria brachii duabus in ima, quatuor in ſuprema parte lineis excreverat. Sic ſanus receſſit.

Aprili menſe vires recuperatas, otioſe deambulando & compotando adhibuit, & tum ratione frigoris hiberni, tum ratione, meri quod affatim bibere pergit, crura paululum debilitata ſunt, ſed vires in manu & brachio perſtiterunt. Degit juxta templum multiplicantium,

Scholium. Ex hemiplegicis plures ſunt, quibus crura reſtituuntur, aut ſaltem vires recuperant, cum paucis brachia convaleſcant, forte quia plus exercentur crura quam brachia, cum utraque crura ad incedendum neceſſaria ſint, & unico brachio quis laborare, aut neceſſaria ſibi capere poſſit.

Qui partium laxitatem in paralyſeos definitione reponunt, magis ex muſeo, quam ex noſocomio ſcribunt, cum ex viginti antiquis hemiplegicis, 19 numerari poſſint quibus artus ægri ſunt validiſſimecontracti & rigidi. Contracti inquam, ſeu in quibus flexores ulnæ, carpi & digitorum rigidi & extenſores vix unquam decurtantur. Iſti autem ſunt numero pauciores, curtati ſunt, aut craſſitie minores flexoribus.

Obſervatio III. Hemiplegia inveterata,

Brun

Digitized by Google

Brun Lecticarius,* 56 annos natus, à 18 menſibus hemiplegia laborat, quæ Balerucanis thermis multum imminuta, ſummam tantum in brachio ſiniſtro debilitatem reliquit, quod ægre ad faciem uſque attollere valet, tibiæ vero ſunt rigidæ, & inflexibiles adeo, ut ægre baculo innixus, incedat.

Singulis fere diebus per ſemihoram à die 29 Januarii 1749, uſque ad medium Februarii electriſatus eſt per ſemihoram initio, additis ſtatim frictionibus calidis, deinde ſcintillæ e partibus affectis eliciebantur, ac per viginti dies hiſce addebatur partita commotio. Primis diebus nulla mutatio. 31 Januarii, ſe leviorem ſentit. 1 Februarii, puncturas noctu circa genu expertus eſt. 3. Leviorem ſe ſenſit, & artus flexibiliores, puncturæ noctu urgent. Commotionem incepimus. 4. Baculum cui prius innitebatur abjecit, pergunt puncturæ nocturnæ, imo dolent pedes. 7. Brachium altius ad caput attollit, dolor ad talum paralyticum & ad genu. Electriſatis muſculis crurum anticis, motitabatur tibia. Scintillas apprime ſentit, & ægre fert commotiones quinquies vel ſexies iteratas. 15. Bene ſe habet, horas pomeridianas ludo trudiculari, *aux boules*, impendit. Sicque ſanus receſſit.

Aprili menſe non omnem vim ab electriſatione recuperatam ſervavit.

Scholia. Rariſſimum eſt hemiplegicos prima & altera die, electricas ſcintillas perſentire, aut à commotionibus, quæ pluries ſucceſſive iterantur, affici. Dein vero, valde ſenſibiles ſunt, & eas ægre ferunt. Numquid hoc indicat fluidum electricum per nervos preſſos, aut muco infarctos difficile ſibi viam facere, eamque ſibi ſenſim tandem cudere?

Pluries obſervavi in paralyticis elapſo anno electriſatis, puncturas non perſentiri noctu primam electriſationem ſequente, niſi in humeris ſi brachium foret paralyticum, aut in aditu partium affectarum, quaſi fluidum hocce ibi magis vellicaret, ubi major opponitur nervis trajiciundis reſiſtentia.

Cum electricitas eſt valida, ut apud Lebetum Fabrum ſæpius obſervavi, facta commotione, inter duos tantum homines partita, nocte ſequenti uterque acutos in lumbis dolores patitur, ita ut facta prognoſi raro faber ille à vero aberraret.

Obſervatio IV. Hemiplegia imperfecta ab ortu perſeverans.

Petrus Lafoux, adoleſcens, 15 annos natus, ab infantia hemiplegicus, quod pavori nutricis cujus lac ſugebat, tribuebatur, multa medicamina, inter quæ ammochaſiam circa quartum ætatis annum, expertus erat, brachium & femur lateris ſiniſtri *macilenta* gerebat, ſenſu quidem aliquali ſuperſtite, ſed brachio ita debili, ut nihil *manu tenere* poſſet, *pollice manus* infra alios digitos rigidos, immobiles & inflexos latitante, incedebat quidem, ſed ægre atque *pollice pedis*, ſurſum reflexo.

8 die Martii menſis, incepit electriſatio, & ſingulis diebus fere iterata eſt

eſt more ſolito, uſque ad Aprilis vigeſimum diem, & 4 quarta die commotiones partitas paſſus eſt.

9. Nihil ſenſerat. 10. Noctu puncturas in brachio debili vividas ſenſit. 11. Commotiones partitas paſſus eſt. 13. Robur in brachio enaſcens, puncturæ nocturnæ pergunt. 17. Brachium *incraſſari viſum* eſt, ac *roborari*. 18. Jam eo vires brachii crevere, ut *ſedile minus* manu geſtaret. 20. Mirabamur quanta *vi malleum verſaret*. 25. *Pollex antea* incarceratus, jam liber eſt, jam manu *urceum aqua* plenum, ad domum attulerat. 1. Aprilis. Status in dies melior, punctura noctu perſeverans. 5. Puncturæ ad extremos digitos paralyticos manus repunt. 9. *Pollex pedis in* naturalem ſtatum ſponte rediit, inceſſus facilior evaſit. Manus digiti flexiliores, brachium mobilius; *pondus viginti librarum* libere movet 17. Pondus *triginta* librarum movet. 3. Sanus abiit, & brachium ſenſibiliter *eſt pinguefactum*.

Jam arte manuali victum ſibi parat, quod hucuſque nequiverat.

Obſervatio V. Hemiplegia ab ortu cum Pſelliſmo.

Antonius Picard, Monſpeſſulanus, e vico *la Valſere*, 19 annos natus, à ſecundo ætatis anno hemiplegicus, genua anchiloſi contracta, manum ejuſdem lateris contractam immobilem, pernionibus mire tumidam, rigidamque gerebat, hanc ad mammarum altitudinem difficillime ferre poterat; electriſatus fuit ſub finem anni 1748, intervallis diſſitis, tempore ſæpe pluvio, ad 18 vices circiter. Scintillæ ex parotidibus, & cervice pluries elicitæ, ut lingua blæſa ſolveretur: inde ita bene ſe habuit, ut ab aliquot menſibus manuali opificio victum ſibi paraverit. Lingua vero, utcumque per menſem unum & alterum noctu potiſſimum ptyaliſmus electricitate concitatus fuerit, nondum erat ſatis expedita.

Scholium. En novum medicamen ſialagogum, ex quo majorem ſucceſſum expectare fas erat, ſcintillis ſcilicet ex lingua, & juxta aures elicitis noctu ſequenti uber erat ſalivæ proventus.

Perniones intra biduum ab electricitate evanuerant, quod prior expertus erat illuſtriſſ. amicus D. Jallabert, & in aliis etiam experti ſumus.

Mirum quantum valeat electricitas ad œdemata pedum reſolvenda; apud artificem qui primus jatreiam Monſpelii exercuit electricam, dum pater ipſius ſexagenarius œdematoſas dudum gerens tibias, ægris electriſandis operam navaret, ipſe intra paucos dies ſanus evaſit.

Memini Doctorem Medicum, tunc temporis, ibi adſtantem ſcintillas ſibi elici curaſſe, ex varo vel tuberculo rubro, quod in manu gerebat, atque intra aliquot minuta ita ſenſibiliter intumuiſſe varum, ut non obſcura ſuppurationis inſtantis ſigna præbuerit.

Non prætermittenda *Baptiſtæ Granier* Monſpeſſulani hiſtoriola. Hic novennis erat, & ab incunabulis lapſum paſſus, unde elumbis evaſerat, ita ut non niſi ſubalaribus fulcimentis innixus progredi poſſet, ſimulque pedes introrſum flexi, externo tantum latere inter incedendum terram pre-

mebant, totum corpus inter ſubalaria illa fulcimina velut campana ſuper axim ſuſtentata, movebatur, à 27 Martii ad 13 Aprilis 1749, ſemel in die electriſatus, eo devenit, ut pedes naturali quoad ſitum & poſituram, ſtatui reſtituti ſint, calorem recuperaverint, & aliquam vim, ita ut inde unico ſubalari baculo, hinc vero ſimplici baculo manu geſtato, & pedibus multo firmius innitatur, & ſat velociter procedat, corpore toto expeditior.

Pluries experti ſumus in *Antonio Picard* & in *Raviſt*, quod ſcintillis ex altero muſculo colli ſterno maſtoideo elicitis, citiſſime caput horizontaliter verſus latus oppoſitum verſaretur, non ſecus ac ſi ſigillo automato fili ope traheretur, quod animi gratia adſtantes repetere amabant, ipſis ægris ridentibus; unde verus illius muſculi uſus quem flectendo antrorſum capiti aptum credebant, ſatis evidenter demonſtratur.

Obſervatio VI. Hemiplegia in epileptico.

Raviſt, octodecim annos natus, Fabri ferrarii Monſpeſſulani filius, ex variolis circa tertium ætatis annum, incidit in hemiplegiam dextri lateris: aquæ balerucanæ fruſtra tentatæ fuerant, latus dextrum macilentum & atrophia confectum eſt, manus juxta carpum inflexa, angulum cum ulna acutum efficit, digiti quidem immobiles, & in ſe invicem appreſſi, non tamen multum rigidi, ſed frigidi & paululum contracti, ſenſu motuque, ut brachium, deſtituti. Tibia ejuſdem lateris exſucca frigida, paululum brevior, unde claudicatio. Verum quod pejus, à pueritia adoleſcens ille frequentiſſimis epilepſiæ perfectæ paroxyſmis convellitur: ita ut ter vel quater in die, & pluries, quavis ſeptimana eos patiatur, ſimulque mens ita ſtupida & hebes, ut non niſi monoſyllabis reſpondeat. Patris precibus exoratus D. Deide illum electriſandum ſuſcepit 12 die Februarii 1749. Primo triduo nihil fere ſenſit, & immobilis ac ſtupidus ne verbum quidem protulit. 15 die, facies minus ſupercilioſa fuit, & ſcintillas vividius ſenſit. 17. Noctu pruritum in partibus affectis ſenſit, & inde commotiones adhiberi juſſimus, ſcintillis ex collo, manu, carpo elicitis. 18. Pater ipſius comes, lætus acceſſit & gnatum minus eſſe melancholicum apud ſe, retulit. 20. Jam facilius firmiuſque incedit, & manus digitos paululum explicat. 21. Noctu paroxyſmum epilepſiæ expertus eſt more ſolito, ſed unicum. 26. Alterum expertus eſt, ſed multo breviorem ſolito, & ex quo nullam capitis gravitatem, ut mos erat, retinuit, de cætero brachium expeditius movebat, & firmius incedebat. Interea ferulam ligneam interiori manus alligavimus, ut ſenſim in rectum exporrigi poſſet.

9 & 15 Martii. Epilepſiæ paroxyſmum, ſed 3 vel 4 minutorum, leviſſimum expertus eſt, qui miris modis per horam aut ſemihoram convelli ſolitus erat. 24. Nunquam antea manus uſum expertus ſumma cum voluptate petaſum capite dimovit, venæ partium paralyticarum conſpicuæ evaſerunt, expeditius artus movet, & hilariter ac cordate loquitur, nec ullum toto reſiduo menſe epilepſiæ paroxyſmum experitur.

Digitized by Google

Nec ulterius proceſſit curatio, quia D. Deyde iter circa hoc tempus meditabatur, non tamen parvi faciendum putamus, hoc multiplex levamenti genus in epileptico & paralytico.

In ſuo paralytico illuſtriſſ. Jallabert, in tribus vel quatuor nos ipſi, artuum prius emaciatorum impinguationem ab electriſatione promotam vidimus, magno dicendi argumento, fluidum nerveum ad partium nutritionem valere, tum vaſculorum explicatione, tum fluidorum prius inſpiſſatorum fuſione.

Obſervatio VII. Hemiplegia in epileptico.

Gevaudan, 20. annos natus, Monſpeſſulanus, ab incunabulis hemiplegicus & epilepticus, eodem modo latus ſiniſtrum infirmum habebat, ac *Raviſé*, ulna ad humerum, manu ad ulnam inflexis, ita ut mancum & carpo truncatum ſtatim dixiſſes; manus vero livida & algens immobilis prorſus eſſet, ac macilenta; claudus erat pede ſiniſtro, ob hujus atrophiam, rigiditatem & debilitatem: electriſatus eſt à 16 Februarii 1749, ad 21 Aprilis.

Ultra duos menſes electriſationes fere quotidianas paſſus eſt, & cum antea graves & æque frequentes, ac *Raviſé* paroxyſmos epilepſiæ pateretur, intra hos duos menſes, & ultra non niſi duos eoſque breviſſimos expertus eſt; ferula poſt primum menſem ad manum erigendam admota fuit: hoc tantum iterata illa effecit electriſatio quoad hemiplegiam, ut manus prius omnino rigida & immobilis ac livida, flexibilitatem & mobilitatem, licet non integram, recuperaverit, ita ut hodie menſe Aprili, ſedile minus hac manu apprehendat & attollat, non tamen eam vim habeat, quæ ad artem manualem factitandam ſufficiat; cæterum & macies & livor evanuere, venæ naturaliter intumuere, calor rediit, & inceſſus facilior evaſit. Perfecta certe non fuit curatio, cum nec manus in naturalem ſitum redierit, nec robur integrum recuperaverit.

Hoc certe non contemnendum eſt emolumentum, quod epilepſiæ paroxyſmi in Gevaudan & Raviſé, multo rariores & leviores evaſerint.

Initio alterius menſis plura in toto brachio paralytico erupere exanthemata, rubra, dolorifica, pruriginoſa, quæ intra quatriduum evanuere, ſcintillis ex hoc brachio quotidie elicitis; idem in trunco ſupervenerat, alteri hemiplegico omnino muto, & interdum febrienti, quem vulgaribus auxiliis præparare maluiſſem, quibus neglectis ab iterata per menſem electriſatione nullum nec emolumentum, nec detrimentum, reportavit.

Aliis ægris puncturæ volatiles, & à parte una in aliam velociſſime repentes ab electriſatione iterata exoriebantur, in iſto vero aliiſque paucis pruriginoſa tantum erat ſenſatio, in paralyticis potiſſimum artubus.

In calce tractatus de electricitate illuſtriſſ. D. Jallabert, editione ſecunda, addidit editor hiſtoriam primi hemiplegici, quem Monſpelii electriſandum in ſe ſuſceperat, vir in lebetibus fabricandis peritus, ſed in morbis dignoſcen-

dis

Digitized by Google

dis minime gnarus; is autem hemiplegicus tuſſi graviſſima ſicca, febri exacerbante quotidiana lenta, ſudoribus profuſiſſimis nocturnis, & macilentia ſumma ſimul laborabat, phthiſi in ultimo gradu ſic abſumtus, aliquoties electriſatus eſt, quod cum reſcivi, ne ulterius electriſaretur præpedivi, cum ſtatim ab operatione ſudores profuſos & tuſſim frequentiorem pateretur. Ex hoc autem experimento ſequitur, electricitatem phtiſicis infenſam videri; nec mirum hoc idem medicamentum, quo fluidorum viſcidorum attenuatio & vaſorum torpentium oſcillatio promovetur, diſſolutorum & acrium intendatur dyſcraſia & ſuppuratio acceleretur. Non minus tamen paralyſis fere in integrum ſanata eſt; ſed æger phthiſi demum occubuit. Sudoris profuſionem, ſed multo minorem experiebatur juvenis Picard, & ſenex nomine St. Jean, quoties per octodecim minuta vim machinæ electricæ validioris experiebantur ipſo menſe Novembri. Unde liquet, quantum ad perſpirationem intendendam ex hoc medicaminis genere expectandum ſit. Quod etiam in plantis expertus erat D. Nollet.

Cum ſeptem numero eſſemus in camera electricitati deſtinata impulit animus, ut vim electriſationis in velocitate ſanguinis adaugenda experiremur, adeoque ex filipendulo, minuta ſecunda pulſante, cujuslibet noſtrum pulſus frequentiam intra centum pulſationes, aliquoties exploravimus, dein ſingulis ſucceſſive electriſationem per horæ quadrantem patientibus, rurſus quotus eſſet pulſuum numerus indagavimus, & ſic compertum fuit numerum pulſuum, una ſexta circiter parte intendi; licet enim aliis una ſeptima, aliis una quinta creſceret, interea pluribus una ſexta tantum creſcebat. Ita ut, qui pulſus quovis minuto 72 habebat, is inter electriſandum 84 numeraret.

Non ita accuratam potuimus adhibere, in augmento magnitudinis menſuram; interea tamen viſum eſt ampliationem arteriæ frequentiæ proportionalem fuiſſe, ni paulo major fuerit.

Unde concludere pronum eſt, ab electriſatione vim ſanguinis creſcere, in ratione 216 ad 343 ſeu ut 73 ad 114 adeoque una fere tertia parte majorem evadere.

Reticendum nequaquam eſt electriſationem, ſine ſucceſſu quibuſdam hemiplegicis adhibitam fuiſſe, ut D. . . quæſtori ſexagenario, & alteri qui ex urbe Vigan, huc devenerat; verum ſi phthiſicum memoratum excipiamus, novi neminem qui ullum ex electriſatione detrimentum paſſus fuerit, atque tantus in dies erat hemiplegicorum, aliorumque ægrotantium pauperum confluxus, ut plures, vel raptim vel nullatenus electriſati recedere coacti ſint; ſingulis fere diebus, per duos treſve menſes viginti circiter ægri, ad jatreiam electricam pomeridianis horis conveniebant; & ſucceſſus multiplicis teſtes occulati, cum viros probitate & religione conſpicuos experimentis præeſſe viderent, non magicis artibus, ſed miraculis per fidem proficuis, curas illas ultimo menſe, plures præſertim mulierculæ, tribuebant.

Guillielmus Julian, Gypſarius Monſpeſſulanus, non paralyſi, ſed vertigine

gine ab aliquot menſibus ita divexabatur, ut auxiliis vulgaribus adhibitis nequaquam convaleſcere, & ad ſua munia reverti poſſet, acceſſit ad jatreiam baculo innixus, & identidem ſedere coactus, ne humi procumberet, ille ſimul objecta duplicata videbat, quoties ad dextras vel ſiniſtras caput horizontaliter vertebat & potiſſimum, ſi quid in hoc ſitu fixis oculis intuebatur; is vero tertia electriſatione abſoluta firmius & ſine baculo incedere, ſine vertigine e lecto ſurgere, demum ſuis muniis incumbere cœpit; verum eo tempore clauſa eſt jatreia electrica, eadem vero die.

N. Daumas, e vico Baillargues, 49 annos natus, herpetes ab anno patiebatur cum genuum dolore acerrimo & tumore, ita ut vix ad ſedendum & ſurgendum flecti poſſet, 21 Aprilis inſtanter oravit, ut electriſari ſe paterentur, quod poſtridie claudenda jatreia recuſabant; interea ſcabellum piceum mediante baculi fulcimine conſcendit, & ſtatim vibrationes ad pedis uſque pollices protendi ſenſit, poſt ſeptem minuta dimiſſus eſt, aſt qua admiratione commotus fuerit, vix dici poteſt, cum ſe doloribus liberatum, & ad motus tibiarum expeditiſſimum cognovit; tanta lætitia percitus erat, ut vix ſe vigilare crederet, & mutationem inexpectatam tripudiando, per ſemihoram demiraretur; verum cum ea ad hemiplegiam non pertineant, hiſce fuſius recenſendis ſuperſedere viſum eſt.

Obſervationes a D. J. Fr. Pivati *Lucenſi*, *Academiæ Bononenſis Socio*, *deſumptæ ex ejus diſſertatione italica*, *cui titulus eſt*, Elettricita Medica.

1°. Notabilis eſt, tum in luce emiſſa, tum in ſenſatione & ſcintillis varietas, pro ut diverſa electriſantur mineralia, ac vegetantia. Si flores, tum plantæ adhærentes, tum avulſi electriſentur, & ad pollicis diſtantiam admoveatur digitus, illico flammula conica, rubro-cærulea, apice petalis inſidente, promanat, quæ nullam digito moleſtiam infert, nec flori nitorem detrahit, quæque indeſinenter digitum verſus dirigitur, quoquo verſum dimovetur; hic flammeus fonticulus, naribus exceptus, odorem, floribus proprium, ſimulque nitroſum refert. Si vero propius accedat naſus vel manus exiguum vibratur fulmen, quod ſpinæ ad inſtar vividiſſime pungit. Si plantæ ipſius folium digitus fere contingat, illico folium digitum verſus inflectitur, etiam uno pollice diſtantem, & emittit filum lucis violaceæ, apice albicans, quod vix crepitat, vix pungit, ſi apici folii digitus obvertatur, crepitat vero ac pungit vivide, ſi diſco reſpondeat. Notandum tamen hujuſce fili flammei colorem eundem ſæpius eſſe qui color floris.

Lapides, animaliaque lucem emittunt & dolorem inferunt, pro ut ſalibus volatilibus vel fixis ſcatent: unctuoſa & adipoſa nullum effectum edunt, niſi ſalita fuerint. Lapides bituminoſi e Veſuvio projecti, nullum effectum præſtant. Nivis jubar emittit mirabile, quo tota cryſtallica inſtar pone quam accenſa fuerit candela, colluſtratur, & ictum vividiorem ſolito

ſito vibrat. Glacies exiguam lucem & multo minorem ictum promit aqua communi.

Nitrum nativum non cryſtalliſatum, vividiſſime radiat, & pulcherrime ſplendet. Ardens titio lineam tenuiſſimam flammeam pedem fere longam emittit. Mineræ vividam ſenſationem & crepitationem inferunt, ſimulque ſcintillas diverſo colore præditas pro diverſitate metalli in ipſis contenti. E plumbo tetra, ex ære rubella cum ſtimulo acuto, ex ferro fortis & gravis, ex argento albiſſima, & maxime ſenſibilis, ex auro ſuavior, ex regulo martis vividior & fulminea vibratur ſcintilla. Calamita ſuis polis armata, & adamas non minus crepitant, ſed jubare vividiore coruſcant: Sal marinum crepitat & lucet, lutum e fonte luxenſi ſalitum, phoſphorum efformat.

2°. Si globus vel cylindrus vitreus interius obducatur reſinis, gummatis, balſamis, aliiſve medicaminibus, deinceps vero vel hermetice, vel picis ope foramen claudatur, atque ad electricas operationes adhibeatur; prima & ſecunda vice vis medicamini propria ubertim exhalat cum effluviis electricis, opacitas vitri diſcutitur, odorque late diffunditur, ac demum iterata electriſatione evaneſcit.

Adhibito balſamo peruviano ad cylindrum obducendum, cum quidam hujus ope fuiſſet electriſatus, is ichiadico dolore prius laborans, nocte ſequente placide dormivit, & copioſe ſudavit, induſia vero & cubiculum, imo dum pectebatur, capilli odorem hujuſce balſami ſuaviſſimum ſpirabant. Si medicamina emmenagoga adhibeantur, jamdudum deficientia reſtituuntur mulieribus catamenia. Ita ut pro diverſis medicaminum viribus parari poſſint cylindri diuretici, antapoplectici, hyſterici, ſudoriferi, cardiaci, aſthmatici, &c.

3°. Inter varias obſervationes nuperrime factas, tres tantum recenſere juvat.

Adoleſcens 26 annos natus, moleſto tibiarum dolore laborans, quem balneis repetitis, & humiditati non ſatis expunctæ tribuebat, vix incedere poterat, ſumptis non ſine aliquali levamento juſculis viperinis, electriſationem tentare voluit, acceſſit ad me, & eum cum aptis cylindris, per pauca minuta electriſavi, & ſcintillas ex tibiis, potiſſimum e ſiniſtra gravius affecta, more ſolito, excitavi. Sequenti nocte pacate dormivit, nec conſuetas anxietates expertus eſt; ſequenti vero mane, oſtendit mihi intumeſcentiam rubram & pruriginoſam, quatuor digitos tranſverſos longam, circa malleolum; unde ſenſus non tamen moleſtus, humoris calidi per tibiam divagantis oriebatur: per ſubſequentes octo dies, horis matutinis profuſe ſudavit hæc tibia, & ſic omnis dolor atque inceſſus difficultas evanuerunt.

Illuſtriſſ. Epiſcopus Sebenicanus, 75 annos natus, digitos manuum ab arthritide conflictatos rigidos, ſemiflexos gerebat, quos nec ulterius flectere nec extendere valebat, genua non niſi ægerrime flectebat, unde adſtanrium brachiis innixus, tantum incedere poterat. Vix electriſatus eſt per

duo minuta, cum digitos movere cœpit; iterata electriſatione per alia duo minuta, ſubito coram omnibus, ambas manus libere explicavit, & ita valide conſtrinxit, ut brachio Monachi manu prehenſo, & compreſſo, ſummum dolorem ipſi creaverit: dein pro lubitu, ſedit, deambulavit ſolus, manus invicem percuſſit ſtrenuiſſime, genua flexit, pedibus terram quatiit, tanta admiratione percitus, ut ſomniare ſe crederet.

Paucis ab hinc diebus, mulier ſexagenaria ad me venit, quæ à ſex menſibus digitos rubros & tumidos gerebat, atque brachia præ tremore notabili, in nullo ſitu continere valebat. Ea vero per duo minuta electriſationem paſſa, & digitos movere & manus ſtringere cœpit; paucis poſt diebus ad me reverſa, tumore & rubore fere liberatas oſtendit manus, quibus pro lubitu utebatur.

Multo plures obſervationes inſtitui, atque ita mihi compertum eſt, hocce novo medicamenti genere digeſtionem juvari, perſpirationem promoveri, vulnera brevi conſolidari, flatus hypochondriacos diſcuti, dolores ſedari, & ſic bene multa ſimilia morborum genera feliciter curari.

FINIS.

SAM

III.

SAM. THEODORI QUELMALZ,

PROGRAMMA

DE

VIRIBUS ELECTRICIS MEDICIS;

Lipſiæ 8 Jun. 1753.

Digitized by Google

Tertium jam agitur luſtrum, quod electricitatis, experimenta, in hac civitate & mercatura bonarum artium celeberrima, non exigua induſtria adornata, & paribus impenſis ſenſim ſenſimque amplificata, plerorumque oculos & animos ad ſe rapuerunt, nec levem admirationem in iis excitaverunt. Cauſas mirandorum phænomenorum illi ſcrutabantur, quicunque frequenter ea coram inſtituebant. Cæteri de uſu, qui hinc in corpus redundare poſſet, ſolliciti quærebant, quærendoque inſtabant. Nec vitio illis vertendum eſſe probe intelligebam, cum, qui mortalium ſunt mores, cuncta in ſuam convertere felicitatem geſtiunt. Ego ipſe prævidebam, facile in mera ſpeculatione rem banc non ſubſtituram, ſed plurium, imprimis medicam artem exercentium, animos occupaturam, ut illam fructuoſam proficuamque olim hominibus ſiſterent. Ingenii proin vires in hoc genere exercere, electrica tentamina ad rationes revocare, &, quid ad ægrorum nonnullorum rem olim conferre poſſint, in ſcripto: *de homine electrico*, ſimili occaſione, edito, prædicere allaboravi. Ac veluti pluribus his elapſis annis, totque notatu dignis inventis locupletatis electricis apparitionibus, quod modum, quo contingant, concernit, eandem, uti tunc, teneo mentem, mecumque poſtmodum alii, ita non minus rem me ſatis aſſecutum eſſe gaudeo, ubi, ſi ullis unquam partibus corporis, ſive ſolidis, ſive fluidis, imprimis nervoſis, tendinoſis ac ſubtiliſſimis ſpirituoſis partibus, præternaturaliter affectis, opem laturam eſſe audacter pronunciavi. Factum hinc eſt, ut ejuſdem ſcripti in obſervationibus variis de electricis experimentis, hiſce annis editis paſſim mentio fuerit injecta. Lubens novas illas obſervationes electricas phyſicas, tempeſtatum tempore tonitruque imminente inſtitutas, vere admiratione digniſſimas, prætereo: quæ rem meam concernunt, propius paullo, & quantum anguſti limites ſcriptionis permittent, traditurus. Vix, ne dicam annus, menſis eſt elapſus, quo non novellis publicis varium eorum ad corporis partes applicatorum ſucceſſum commiſerint. Dedecori profecto cedere videbatur Lipſiæ, ſi exteris, adeo in rem intentis, ſcireque cupidis, quid valeat eadem pro ſcopo medico, quid ferre recuſet, indagare negligeret, cum tamen in inſtituendis variis curioſis, eam illuſtrantibus, experimentis ſtrenue ſatis invigilaverit. Eoque magis, quo minus cœco quodam aplauſu ac fide aliorum promiſcue litteris conſignatas obſervationes excipere, ſed ſollicitius veritati inhiare convenit. Scilicet eum nonnulli ſervant morem, ut pro excitanda aliorum admiratione cunctas circumſtantias morbi, perſonarum, auxilii inde reportati &c. exaggerent. Quale exemplum paralytici, adeo ad incitas redacti, ut intra univerſum menſem vix potulentorum guttulam, ac ne vix quidem, aſſumere potis fuerit, novellis non ita pridem relatum legimus. Machinam igitur pro operis hujus exercitio, propter temporis imprimis ei impendendi penuriam, qua, pluribus diſtentus negotiis, pre-

mor, cogebar inſtruere, ut ad ſummam, quoad fieri poteſt, perfectionem perduceretur. Cum aliæ, quas inſpexi, centies, immo ducenties, repetitam rotationem requirant, priuſquam talem virtutem electricam, inprimis pro experimento Muſchenbroeckiano, ad decentem gradum exaltatam, prodant, ſatis erit, ſi mea viceſies rotata fuerit. Duplici nimirum fundamento fortiores ejus vires inniti experti fateri coguntur. Altero, ut frictio vitri, ad pulvillum, vel, quod olim placebat quibuſdam, ad volam manus rotati, quantum ex proportione magnitudinis machinæ, atque capacitatis rotæ fieri poteſt, intendatur: Errant enim, quicunque contrarium afferunt, quorum multos eſſe reperi, & contra experientiam loquuntur. Altero, ut vis electrica in loco hoc frictionis in, quoad modo fieri poteſt, longiſſimum ſpatium perducatur: quod per catenulas ferreas, funiculis ſericeis convenientis coloris ex tecto vel parietibus prominentibus annexas, pro conclavis tamen capacitate diverſimode diductas, utplurimum fieri conſuevit. In quem finem fila ferrea ſtraminis mediocris craſſitiei per hiatus catenularum gyris magnis ad ſtupendam longitudinem ac tamdiu traduxi, donec virtus electrica hinc ultro augeri deſineret. Quibus modis id obtinui, ut pro ſimplicis experimenti demonſtratione, vix apprehenſu rotæ manubrio, atque ad quartam ſolum unius rotationis circularis partem moto, ſcintillulæ jam producantur, quæ proin ex rotatione conſueta adornata tantum manibus ac digitis, cum clangore acuto imprimunt ſenſum, qui & leniter ad totum brachium uſque ſe extendit. Quibus ſic conſtitutis, experimentum ad mentem Muſchenbroeckii adornatum frequentiſſimum extitit, quod ad corporis humani partes hactenus applicatum fuit. Etſi enim ſimplex illa, ſcintillarum ex tubo electrico exeuntium, ad partes & regiones corporis quaſdam adactarum, admiſſio ſenſum quendam punctorium ſubardentem, ceu vellicationis, imprimat, riteque, ut deſcripſi, conſtituta machina tam potenter pars ab illis feriatur, ut ſexies vel decies percuſſa, maculam quandam rubore perfuſam, quas ipſas ſagaciſſimus harum ſcrutator, *Schaefferus*, in libello *de Viribus electricis* p. 29. §. 13. prodidit, ſignum leviſſimæ ſugillationis contrahat, ſicque, protracta diutius operatione, nervoſas, per cutem diſtributas, papillas, irritare, eoque ipſo commotionem in ſanguine ac prolectionem ejus ad peripherian corporis efficere queat: reſpectu tamen illius imbecillior longe, atque ad notabiles partibus corporis inducendas alterationes impar habenda videtur. Majores hac mihi adhuc polliceor virtutes de viribus electricis, in corpus humanum, pici, vel reticulo ſericeo ſuper ſcabellum expanſo pedibus inſiſtens, ad tempus introductis, aliquoties de die juſtoque tempore repetitis, & aliquandiu continuatis. Vix a veritatis tramite aberro, ſi hanc operationem, ob hominum impatientiam haud ſatis adhuc exploratam, in poſterum curatius indagandam commendem. Illa enim vel toti corpori, vel peripheriæ ſolum ejus inde inducta diſpoſitio emittendi ſcintillulas, cauſas levioris inde productæ ſenſationis, ubi corpus alienum acceſſerit,

ſatis

ſatis mihi documenti ſiſtit, quanta corpori, etſi non ſtatim ad ſenſum manifeſta, alteratio inducta ſit. Hanc mihi ipſi in poſterum magis magiſque explorandam ſumam electricam actionem. Frequentius paullo ejuſdem experimenti proprietates, admotis ejuſdem corporis affectis partibus, rebus extraneis omnique virtute electrica deſtitutis, ut ibidem ſcintillulas easdem & una cum illis vellicationem illam ſubardentem excitarem, tentaſſe me fateor, veluti ab ſupra laudato Experientiſſ. Dn. D. *Schaeffero*, Ratisbonenſi, ejuſdem methodi mentio quædam facta fuit. Siquis conjecturæ locus erit, illæ mox adductæ ſpecies ſanguinem & humores magis ad peripheriam allicient, ſpaſmodicis cutis conſtrictionibus, in pleriſque morbis chronicis urgentibus, relaxandis inſervient, liberioremque aperiendo nervos cutaneos, diapnoen ſiſtent. Niſi me omnia fallunt, inflationem venarum, per dorſum manus diſtributarum, oculis magis patentem, continuata paullo actione, animadverti. Verum enim vero, quod primo nominavi, experimentum ob validiſſimam commotionem & alterationem modis reliquis a pleriſque præpoſitum, ejus deſcriptionem duco ſupervacaneum hic ſuppeditare, cum neminem fore putem, qui electricis demonſtrationibus ſemel adſtitit, ejuſdem ignarum. Nec operandi modum, ab aliis non parum abludentem, rationemque, qua tantos motus in corporis partibus excitet, hic tradere expedit, cum alii, rebus phyſicis inhiantes, paſſim, immo ego ipſe in ſupra allegato programmate, id negotii ſuſceperint. Nec minus & ſitum locationemque ſubjecti ejuſque partium diverſarum, qua vis electrica illis admovenda ſit, tradam, cum & ratio hæc dictitet, eoque hodie pervenerint, ut virtus hæc ad locum affectum ſolum rectius determinari queat, quam olim factum fuit, nec opus ſit, partem ſanam æque impetuoſe commovere. Pro quo ſcopo catenulæ ſupra allegatæ, cum lagenis pro adducto hoc experimento requiſitis connexæ, ſubjecti parti affectæ præciſe applicari, aut manibus ejus comprehendi, aut his vel pedibus circumvolvi, atque pro circumſtantiarum qualitate, vel altera ægri manus clavi vel catenulæ, cum machina noſtra cohærenti, admoveri, ſicque ſcintilla atque una cum illa commotio ſat valida excitari poteſt. Sique utriuſque manus brachiorumque vel pedum miniſterio orbatus fuerit miſer, machinæ funiculis ſericeis proportionatis inſtructæ imponendus extranei omnino poſcit opem. Quem in finem etiam quatuor columnulis ligneis, quadrato aſſerculo inſertis, æquali menſura diſtantibus, utor, a quarum ſuperioribus extremitatibus funiculi ſimiles ſericei circumducuntur. Quibus in operatione tubulum ex laminis ferreis ſtanno obductum, alteraque ſua extremitate acuminatum, & in globulum minimum deſinentem, ulnæ longitudinis, pollicis craſſitiei, impono, ejuſque altero extremo tubo majori, cum globo vitreo connexo, incumbente vis omnis, ope machinæ mox deſcriptæ dirigenda, vel propria aut alterius cujuſdam manu ad punctum requiſitum dirigitur. Quæ, cum, ceu pleriſque nota, a me præſupponantur, verbo ſaltem attingere malui, de viribus potius medicis

ſollicitus. Quo magis integra ſanitate fruuntur homines, quoque ſenſibilius ac debilius nervorum genus præ ſe ferunt, eo minus ſine tædio ac moleſtia quadam motum illum tremebundum fulminis inſtar, nunc utrumque brachium inprimis ob confluxum tendinum ejus olecranon, nunc alterutrum occupantem ſentient. Nec reticere fas duxerim, leviſſimum temporariumque tremorem debilitatemque partibus eorum attactis conciliari, cum elapſis horis aliquot diſpareat. Quo magis contra ea labefactati fuerunt artus ac corporis partes, eo fortiorem commotionem eamque repetitam ſine ullo incommodo perferunt. Aſt tantum abeſt, ut omnibus, qua parte vis electrica applicatur, dicta etiam ſenſatio excitetur, ut potius in nonnullis ſubjectis, etſi paucioribus, truncum fortiſſime percutiat, ſenſatione accedente nulla, nec in manu vel, parte tubo electrico admota, ictumque ipſum perpeſſa, nec multo minus in manu vel parte vas lagenas continens apprehendente, vel per catenas cum laqueis connexa. Cujus phænomeni mirandi, vix in trigeſimo quovis comparentis, manifeſtiſſima exempla tam in ſene ſeptuagenario, adoleſcenteque quindecim annorum, præ nonnullis aliis obſcurius eundem vel bis determinantibus, inveni. Siquis certe conjecturæ locus, ejus in diſtributione nervorum, per ſic dictum naturæ luſum, a regula vel ab ordine naturali, ratione connexionis ac diſtributionis ramorum recedente, quærenda videtur, etſi vix rem clarius explicare quis ſibi præſumſerit. Sponte ſic patere arbitror, operandi modum virtutis electricæ beneficio hujus experimenti inſtituendæ longe alius eſſe indolis, ac illum, quem profeſſus ſum nondum ſatis experientia firmatum eſſe. Hæc enim pro varia intentione, ſeu indicatione medica, jam temperata, jam fortior, immo fortiſſima, cum ſcintillulis in diſtans magis minuſve erumpentibus, ex machina elicietur. Ut, quid expertus circa hanc rem intra annuum ſpatium fuerim, in medium proferam, ſupereſt. Aſt omnium, quotquot in adverſis affectibus hujus rei periculum fecerunt, quorum certe ingens eſt numerus, meminiſſe ſupervacaneum eſſet nimisque longum. Inſuper vero tam pravis moribus multos eorum eſſe præditos, ut mutationes in corpore inde productas rariſſime ſincere profiteantur, immo, quæ ipſorum ingratitudo eſt incredibilis, etſi multum temporis eorum gratia in opere conſumſerim, vix tamen, nec niſi elapſo notabili temporis ſpatio, effectum, quicunque is fuerit, & non niſi occaſione ferente, aut ſpe majoris emolumenti, ubi experimentum pluries in poſterum cum ipſis adornandum exoptant, ad me detulerint. Cauſas incultæ hujus aſperitatis diſpiciens, alias inveni nullas, niſi quod occaſionem forte noſtri quid, vel præmiolum quoddam pro ſtudio & labore adhibito offerendi evitent, quod tamen ego in his nunquam quæſivi, qui potius, adminicula quædam externa medica, pro ſcopo ſanitatis adipiſcendo felicius, iiſdem procurare lætatus ſum. Variis proinde ambagibus, ac magis indirecte, in ſucceſſuum horum electricorum noticiam, imprudentibus ſubjectis ipſis, pervenire ſum coactus. In quibuſdam auſpicati auxilii inde reportati ſignum evidens ipſum

hoc

hoc ſilentium hæcque ingratitudo extitit. Quidam, non niſi tarde revertentes, ut plurimum fructum operis non contemnendum tulerunt, ſpeque, ſine ulteriori electri applicatione fore ſe fine euphoriæ ejus obtenturos incrementum plenius, me certe omni notitia, ceu ſolo laboris non exigui præmio, privaſſent, niſi deſiderium recuperandæ ſanitatis integræ calcar addidiſſet, genuinamque confeſſionem extorſiſſet. Juvenis octodecim annorum phlegmaticæ temperiei ante duos annos, menſe Januarii, hemiplexiam totius lateris ſiniſtri una cum aphonia patitur, adeo ut nec pedibus inſiſtere, multo minus greſſus formare potuerit. Adhibitis remediis, malo opponendis, balbutire denuo incipit. Apparente æſtate a matre Lauchſtadium transfertur, pro aquis ſotericis in forma inſeſſus, ex more conſueto, adhibendis. Quibus tantum profecit, ut ſiniſtro pedi robur maxima ex parte reſtitutum fuerit, remanente tantum in eo digitorum flexione involuntaria, ut, ſolus ſe calceare impos, alterius indigeret adjumento, qui digitos pedum extenderet, inque calceos una cum univerſo pede immitteret, brachio ceterum ad motum ſpontaneum inepto remanente, frigiditate perfuſa manu, digitiſque adeo contractis firmiter, ut non niſi alterius manus ope explicari extendique debuerint, iisdemque ocyus iterum reſilientibus, linguaque balbutiente. Ad inſtantiam matris ipſius, vires electricas adeo decantatas elapſis nundinis autumnalibus ſuperioris anni tentaturus, ante meridiem commotiones in manu aliquoties excito, in tempus pomeridianum actionis repetitionem differens, cujus primo ictu, eoque ſat forti, manui & toti brachio applicato, ſerio eum jubeo extendere digitos, & ecce extendit. Repeto actum; quo facto eundem hac vice dimittens, ut frictionibus frigiditati ſupra dictæ mirandæ manus digitorumque obviam iret, ac, beneficio chirothecarum appropriatarum, calore decenti illos ſemper foveret, inque extenſione ſua, ob eorundem ex diuturna conſtrictione contractum reniſum, per aſſerculi allegationem ad volam manus pro virili conſervaret, negligentiori homini impero. Diebus quibuſdam elapſis, revertens univerſum brachium liberius movebat, diſtinctius loquebatur, ſeque pedem extremum ſine adjumento alierius calceare confitebatur. Communicata ſingulis hebdomadibus ſemel aut bis electrica motione, eo uſque ſe ſanitati reſtitutum affirmat, ut ſaltem ob digitorum manus requiſitæ agilitatis defectum, non æque, ut antea, fidibus canere valeret. Quam tamen ipſis per indefeſſum manus digitorumque uſum reſtitutam iri ſpero. In quibus dum occupabar nundinarum tempore tentaminibus, faber ferrarius atque ſutor, extranei, mox hinc abituri in patriam, meas pulſant fores, quorum uterque brachium dextrum, ex prævia hemiplexia paralyſi affectum, una cum aliis ſymptomatibus monſtrabant; quibus cum primum ictum machinæ beneficio impertiiſſem, ſenſationem inde ad regionem carpi aliqualem altero ictu fortiorem, ad cubitum uſque, tertio & ſuccedentibus ad humerum uſque commotionis perceptio, cum incaleſcentiæ humeri ſenſu, & exigui motus recurſu, pervenit, Qualem ſucceſſivum progreſſum ſen-

 ſationis

ſationis applicati ictus cum in multis aliis ſimiliter affectis, tum in muliere, quinquaginta & aliquot annorum, duodecim abhinc annis brachii totius & pedis ſiniſtri paralyticam impotentiam, faciei in alterum latus retractionem, perpeſſa animadverti, utut parum ſalutis prædici poterat, tamen digitorum pertinaciter contractorum, varieque introflexorum, quandam mobilitatem, incaleſcentiam humeri, hujus defectum toto antecedente tempore perceperat, faciei mutationem, immo continuata actione, dolores atroces noctu aliquoties in brachio percipit, ſpeſque affulſiſſet, fore, ut penitiorem effectum fuiſſet obtentura, niſi curæ domeſticæ variique a parte mariti accedentes animi angores animuſque refractarius obſtitiſſent. Senex, octogenario propior, otioſus, laute vivens, vinoque indulgens, rheumatiſmo humeri dextri non ſine acerbis doloribus, qui omnem denegabant membro motum, affectus, ex laudatis electricis pulſibus ſe mediocrem ſolum commotionis brachii ſenſum, a reiteratis vero iisdem eodem tempore eundem magis magiſque increſcentem indigitat. Utut vero ſe inſequenti nocte doloribus ſtrenue vexatum fuiſſe ſignificaret, inſequenti tamen tempore ex hac unica communicata virtute electrica levamen in eum redundavit exoptatiſſimum. Vir quadragenarius, chiragra cum inſequenti tumore, carpo ſedem doloris continente, detentus, commotione hac intra hebdomadis unius ſpatium bis in eum deducta, cum ſanitate in gratiam rediit. Quam primum vis electricæ ad oculum ipſamque guttam ſerenam ſ. amauroſin feliciter extenſæ primum novellæ meminiſſent, anceps hæſi, ſubtiliſſimæ oculi ſtructuræ nervorumque maximo numero ex cerebro ad eundem properantium gnarus, nolui tamen ipſe ullam, ſiqua ſe modo repræſentaret, prætermittere opportunitatem, facultatem ipſius maxima cum circumſpectione in hac quoque affectione periclitandi. Qua de re cum fuſor typorum æneorum me adiret, eamque oculorum, inprimis ſiniſtri, infirmitatem maximam accuſaret, quæ juſtum ipſi incuteret cataractæ proxime inſtantis metum, annon per famigeratam efficaciam electricam poſſit reſtitui, ſciſcitatus, organum propterea hoc probe introſpexi, obque dilatationem immobilitatemque pupillæ concurrentem ſeu mydriaſin lentiſque tranſparentiam, amauroſin potius ſubeſſe indicavi. Deſiderio interim ejus annuens, cunctiſque, uti decet, pro ſcopo hoc rite adornatis, applico vires electri, ſatis temperatas, aſt ſufficientes, (quas ſic affecti oculi per experientiam longe melius perferunt, atque integro uſu gaudentes,) oculo firmiter clauſo ad foramen præciſe ſupraorbitale dictum, per quod nervus ophthalmicus Williſii, per palpebram vicinaſque partes diſperſus, penetrat, quandoque ad inferiorem temporalis regionis partem angulo oculi propinquam, mutata facie, eas determino. Qua per quartam horæ partem continuata operatione, frictione levi palpebræ præmiſſa apertoque, poſt modum oculo, ego mobilitatem quandam iridi inductam, ipſe vero claritatem majorem obſervat. Effluxo dierum quorundam ſpatio, eadem ratione opus adminiſtro, effectus majores in poſterum expectaturus. Hebdomade una

&

& dimidia præterita, ipſe æger de majori viſus acie, non ſine gaudio, me certiorem reddit, precibuſque inſtat, ut ſemel atque iterum remedii indigitati ipſum participem reddam. Quod ipſi, quamprimum mihi tempus ſuppeteret, facturum me promiſi. Juvenis 18. annorum, ante hos 12. annos, variolis laborans, tempore inſequenti viſus amittit aciem, demumque, pupilla ſemper dilatata exiſtente, ſic in ipſam amauroſin incidit, ut dexter oculus tantillum viſionis exerceat, ſiniſter omni potius deſtitutus ſit. Mater atque propinqui urgentes auxilium anxie, id obtinent, ut miſerum electricis effectibus committam, quos, ſemel applicata opera, tam propitios invenit, ut non ſolum levitatem capitis ac totius corporis, ſed viſus quoddam exercitium, quamvis valde exiguum, obtinuerit, repetitaque aliquoties actione ſenſim ipſius augmentum, prædicet, ſpemque mecum concipiat, fore, ut ſucceſſive ex voto increſcat, ubi, interſtitio quodam intercurrente, quod hac in re omnino obſervandum commendandumque eſt, repetitio decens, Deo juvante, inſtituta fuerit. Quibus ſic conſtitutis, ut plura exempla omittam, virtutem electricam in affectu allegato pluris eſſe faciendam, quam in aliis ſolutas partes ac membra paralytica ſiſtentibus affectibus, perſpexi. Cujus laude digniſſimæ virtutis rationem quicunque tam in pluralitate nervorum, oculi membranas perreptantium, ſenſum atque motum exquiſitiſſimum inducente, quam in connexione eorum propiori cum thalamis nervorum opticorum, atque ſenſorio ipſo communi intercedente quærit, veritatem nonniſi principiis anatomicis perpetuo innixam exprimit. Quæ namque materia ætherea ſubtiliſſima mobiliſſimaque, per tot nervos invicem connexos, retinamque tunicam celerrime penetrans, validiſſimas concuſſiones excitat, fluidi quoque nervoſi preſſioni ac propulſioni apprime inſervit.

FINIS.

I V.

CAR. LINNÆI ET PETR. ZETZELL

CONSECTARIA

ELECTRICO-MEDICA.

Upſal 12 Octob. 1754.

D. D.

NEminem fugit *Fr. Pivati*, juriſconſultum venetum, primum fuiſſe, qui morborum per electricitatem curandorum fecerit pericula: quod inſtitutum tam proſpere ceſſit, ut maximam omnibus moverit admirationem. Literis enim annis 1747 & 49, clarus conſignavit auctor vim electricam in tubis vitreis balſamo quodam obductis excitatam lenimen adtuliſſe podagræ, arthritidi, paralyſi aliiſque hujuſmodi morbis: immo, quod ſingulare plane & inauditum, tradidit etiam exempla ſolutæ alvi, excitati ſudoris & motæ ſalivationis, actis tantummodo in motum vi electrica effluviis medicaminum. Tam mirabilem electricitatis virtutem haud multo poſt novis etiam *D. Joſephus Veratti* partim confirmavit partim auxit experimentis: quibus factis, accidit ut cupiditas novam experiundi medicinam omnium fere ceperit animos. Paucis igitur poſt videre licuit hinc inde per Europam maximi nominis Phyſicos experimentis hiſce occupatos inſtituendis; at non omnes pari cum ſucceſſu. Electriſatione ſanarunt quidem *D. Jallabert* paralyſin quandam brachii; *Nobiliſſ. D. de Sauvages* hemiplegiam, rheumatiſmum doloremque iſchiadicum; ut & *D. Bianchi* morbos paralyſeos atque rheumatiſmi: fuere tamen alii, qui fruſtra omne adhibuerunt ſtudium: immo, ut dicitur, quorum tentamina infauſtos habuere exitus. Hinc tanta orta eſt opinionum varietas atque ſermonum, ut quilibet neſcius fuerit, quid de nova teneret re ſtatueretque.

Hæc erat facies medicinæ electricæ, cum ante triennium primus aggreſſus eſt *Celeb. Aſtron. Prof. D. Mart. Strömer* aliquot inter nos hujus generis inſtituere experimenta. Quorum ſucceſſu aliquali animadverſo, factum eſt opera *Nobiliſſimorum Virorum Dni Archiatri Roſen* & *D. Strömer*, ut ego conſtitutus ſim, qui in novam inquirerem medendi rationem. Ita jam per biennium occaſionem habui in variis ſubjectis & diverſis morbis quotidie per horas aliquot electricam in Noſocomio Upſalenſi experiundi medicinam; qualem vero hanc invenerim, in animo jam mihi eſt tecum, B. L., paucillimis communicare, caſibus interea in medium relictis, donec ephemerides prodeant Upſalenſes.

AMAUROSIS.

In duobus ægris fruſtra ſcintillas ex oculorum viciniis eductas fuiſſe; fruſtra quoque commotionem adhibitam vidimus electricam, ut vix aliquid hoc in morbo de electricitate ſperare liceat.

ARTHRITIS.

Ægritudines articulorum animadvertimus quidem ſcintillis ſæpe ceſſiſſe

Digitized by Google

electricis; dolendum vero materiam repelli arthriticam, alia intus excitantem mala. Sic crebra animadverſione perſpeximus, ſub uſu curæ electricæ, dolores capitis fugaces, vertiginem, nauſeam atque tormina ventris ægros afflixiſſe, quæ incommoda, articulos iterum repetente materia morbi, conquievere. Deprehenſi quidem ſunt hac ſub cura, qui veſicam ſæpius levare coacti ſunt, & quorum corpora nocturno manarunt ſudore, unde ſpes animum ſubiit longinquitate temporis & uſu frequenti malum longe pertinaciſſimum minui tandem atque molliri poſſe; verum enim vero poſt parvam temporis intercapedinem ægros iiſdem, ut antea, malis diſtineri & divelli triſtes ſumus experti. Non obſcurum igitur eſt materiam arthriticam ictus eluſiſſe electricos.

CEPHALÆA ET HEMICRANIA.

In morbo hoc chronico, à materia catarrhalis vel rheumatici generis orto, experimenta cum ſcintillis inſtituentes animadvertimus dolorem, quidem nonnihil leniri & diſſipari; abſoluta vero cura, eadem, qua antea, acerbitate urgere: cui incommodo ut occurreremus, ſimul in uſum vocavimus medicamenta interne ſumenda, præſcribendo ægris ſub uſu electricitatis decoctum quoddam ſanguinem mundificans, vel electuarium purificans *Nobil. Dni Arch. Roſen*, & ſic conſtantiorem nobis præſtitit uſum medicina hæc externa reſolvens.

CONTRACTURA.

Nonnullis hoc in morbo utilitati fuit electricitas, ut haud indigna ſit, cujus periculum faciant ægri. Quendam enim vidimus per plures annos a materia catarrhali membris captum uſu tandem aſſurrexiſſe electricitatis, & aliquot baculo jam diu innitentibus ambulationem conſpeximus reſtitutam: immo, mirum dictu, ſemel videre licuit in contractura quadam genu rheumatica jam quinquenni, membrum, bis tantum electricitate perculſum, ad ſpatium unius palmæ explicatum. In pravitate vero hac articulorum curanda perquam neceſſarium eſt, diligenter exquirere motus membri deficientes, ut pateſcat, quinam muſculi jam morbo laborent. Illi ſcintillis, non vero commotione Muſchenbrœchiana, convellantur electricis, ſtudioſe ſemper evitando punctiones antagoniſtarum vi prævalentium. Hi potius vapori aquæ calidæ per horas aliquot quotidie exponi, & tempore intermedio pannis laneis unguento emolliente, vel oleo quodam expreſſo madidis foveri poſſunt, imponendo hiſce dein veſicam, cum lateribus membro adaptatis & calefactis. Obſervandum vero in malo hoc rheumatici vel arthritici generis, initio curationis implenda eſſe vaſa ægrotantis liquoribus morbo congruis, ne in motum acta materia morbi in nobiliores projiciatur partes.

COPHOSIS ET SYRIGMUS.

Scintillæ electricæ ſtylo metallico materia per ſe electrica veſtito in meatum deductæ auditorium, irritatione ſua ſolvunt cerumen & purem ſtagnantem, ut &, in ſurditate à febribus, metaſtaſin digerunt. Quidquid vero in cophoſi catarrhali, nativa, & quæ ab aere humido nec non in ſyrigmo efficere viſæ ſint, ſolatium fluxum & evanidum fuit.

EPILEPSIA.

Epilepſiam hæreditariam, ut & quæ à timore, nec ſuſtulit, nec exacerbavit electricitas.

FURUNCULUS.

Scintillæ electricæ digerunt.

GANGLION.

In tumoribus hujus generis reſolvendis tria capta experimenta belle cecidere.

HYSTERIA.

Flammulas electricas fruſtra experiuntur hyſtericæ.

ISCHIAS.

Aliis in hoc malo contigit ſub uſu electricitatis doloris lenimen, confecta curatione recrudeſcentis; aliis ne quidem hoc boni commodique evenit; aliis prima quidem ſatis proſpera fuere, ſed poſt aliquot dies converſa eſt vis morbi ad inteſtina, unde ventris tormina aſſidua & quam maxime moleſta. Sic quomodocunque ſeſe res habet, victoria certaminis ſemper penes morbum.

ODONTALGIA.

In odontalgia, quæ dicitur, carioſa, catarrhali, arthritica & ſcorbutica, homines numero inſignes, etiam gravidæ, igneam hanc experti ſunt curam. Pleriſque contingit levamen doloris; pauci vero hoc bono diu perfruuntur; redit enim plerumque acerbitas mali vel intra nycthemeron, & jam per aliquot horas inprimis veſpertinas gravius affligens, ſponte dein decedit; vel diebus ſequentibus, dolor dentes iterum ſed mitius fodit, repetito electricitatis uſu profligandus. Circa curam obſervare licet, quod ſcintillæ electricæ, mediante ſtylo metallico, continuo communicari ſolent rivulo cum dente afflicto, ut tremulus, qui ſic excitatur, motus æqualis ſuſtineatur uſque ad perfectam ceſſationem doloris.

OBSTIPATIO.

In obſtipatione alvi ſæpius experimenta repetivimus Italica, & quidem cum variis haud parvi ponderis pharmacis, e. g. jalappa, ſcammonio & theo; at ſemper oleum & operam vidimus perditam.

PARALYSIS.

Fruſtra tam in hemiplegia, quam in paralyſi commotionem adhibuimus Lugdunenſem; fruſtra quoque ſcintillis paralyticos convulſimus muſculos; tandem vero caſu, hinc inde ſupra paralyticam partem ſpatiola invenimus tam ſenſibilia, ut actio ſcintillarum vix tolerati potuerit. Quibus animadverſis, hæc unice loca ſcintillis aduſſimus electricis, & ſic haud ita pridem in cive upſalenſi paralyſin quandam manus perfecte ſolutam vidimus. Liceat igitur hoc in morbo ſuſpendere judicium, donec anſa detur novum repetendi experimentum.

QUARTANA.

Ex paucis, quæ capere contigit, experimentis, nihil certi concludi poteſt. Bis tamen vidimus morbum hunc lenitum in periodicas ſolum tenſiones mutari, etiam ſemel expugnatas.

QUOTIDIANA.

Duo ſolum electricitatem hoc in morbo experti ſunt, qui per totum corpus ſcintillis percutiebantur electricis. In altero febris ad tempus fugata; in altero vero vis morbi in tertianam converſa eſt non ſublatam. Dubium igitur electricitas febrium intermittentium eſt remedium, nec adhuc ſatis exploratum.

RHEUMATISMUS.

Adductum de malo Iſchiadico judicium hic etiam valet.

Coronidis loco hiſce ſequentia ſubnectere liceat: 1. In febribus intermittentibus nihil valet commotio electrica. 2. In rheumaticis, arthriticis & ſideratoriis morbis rarior ſub uſu electricitatis eſt allevatio ſine indiciis retrogreſſus cujuſdam materiæ. 3. Magna inter morbos ſideratorios & rheumaticos adeſt convenientia; vidimus enim rheumatiſmum cum ſurditate, tremore, decubitu & mobilitate difficili unius ejuſdemque lateris, nec non hemiplegiam, ubi ſcintillæ electricæ hinc inde ſolito majorem excitarunt dolorem, & in qua reſtituto ad aliquam partem brachii paralytici motui ſucceſſit opthalmia, qua frigidis ab ægro repreſſa, eadem iterum cepit brachium imbecillitas. 4. In paralyſi quadam digitorum annularis & auricularis, ſemel vidi ſcintillarum ex parte affecta eductionem non ſucceſſiſſe. 5. Omnibus ſub uſu electricitatis continuato accidunt tarditas alvi & aucta ciborum cupiditas, ſine dubio ex incremento perſpirationis. 6. Eductis ſcintillis ex parotidibus, ut & ex partibus oris internis, inprimis linguæ, augentur ſputa. 7. Si in odontalgia educantur ſcintillæ ex ſtylo metallico nervis portionis duræ ſeptimi paris ad auriculam impoſito, queruntur ægri ad quamlibet emicantem flammulam de acutiſſima in afflicto dente punctione, ut bis vidimus. 9. Serpentes commotione electrica percuſſi moriuntur, cum ſumma poſt lethiferum ictum corporis rigiditate.

TANTUM.

MATTHIAS

V.

MATTHIÆ ERN. BORETII

ET

J. GODOFREDI ARNOLDT

DISPUT. INAUGUR.

DE EPILEPSIA

EX DEPRESSO CRANIO.

Regiomonti 18 May 1724.

Digitized by Google

§. I.

HOmo a prima origine, vermis eſt, non abſimilis illi, quem ſolers *Malpighius* vidit in ovo incubato, conſtans ſolo capite & carina. Id quod *Antonius Leevenhoek* & illuſtris *Frid. Ruyſchius* obſervarunt. Enim vero cum in una gutta ſeminis, multi vermiculi, omnem ſenſum fugientes, exacto tamen microſcopio facile deprehenduntur, patet hominem a primo ſuo ortu aliis vix conſtare quam fluidis, &, ea coercentibus vaſculis; ita tamen ut reliquæ partes omnes in his contineantur, non aliter ac in gemma, tota arbor. Rem totam accuratius concipies, ſi ſumas tempore opportuno ſperma ranarum, ipſum remixtum in vaſe vitreo ad ſolem detineas, & ſedulus notes, quid omni die eveniat? Quemadmodum enim hic ex tuberibus quatuor, pedes, ita hominis artus prodeunt; Et qua ratione ibi reliquæ partes omnes evolvuntur: Ita hic omnia fieri exiſtimes. Adeo, ut pro figmento inani reputaveris ſingula, quæ de ranis Americanis non ſcribuntur ſaltem, ſed elegantiſſimis figuris delineantur; utpote & analogiæ & autopſiæ contraria (*a*).

§. II.

Itaque multæ parvitatis homo a matre ſuſceptus, calore fotus, evolvitur ac explicatur, ita tamen, ut quoad partes firmas ſingulas, membranas, carnem, oſſa, cranium, non ſit, niſi contextus vaſorum minimorum, id quod Anatome Embryonum & artificioſa injectio monſtrant.

§. III.

Linquo libenter omne id, quod nobis *Caro* audit, cum omnibus ejus integumentis, ſaltem ut ad ſcopum propius accedam, de oſſibus verba faciam, utpote corporis noſtri fulcimentis. Hæc *Clopton Havers*, Anglus, primus & fere perfecte deſcripſit. Conſideravit ille os homogeneum, quod nec apophyſes nec epiphyſes habet, viditque illud conſtare ex plurimis lamellis, quæ in cylindraceam figuram contortæ, & ſibi impoſitæ, cylindrum unum faciunt. Animadvertit præterea lamellas has omnes ita ſibi appoſitas eſſe, ut inter ſingulas duas hæreat membrana, quæ vaſa arterioſa & venoſa ſuſtinet. Hunc in finem os injectione tam artificioſe præparavit, ut diſſectum, tam tranſverſe, quam per longitudinem, in omni puncto, liquore injecto ſcateret.

§. IV.

(*a*) Vid. pecul. tractat. ſuper hanc rem *Alberti Seba* Amſtelodamenſis, qui eſt additamentum libri *Merian* in fol. ubi aſſeritur, ranas Americanas pedes retrotrahere in corpus, tumque degenerare in piſces.

§. I V.

Iſta §. 3. dicta quadrant apprime ad cranium. Hoc enim in prima origine ex ramis minutis arteriarum duræ matris producitur, qui aliis occurrentes plexus ſubtiliſſimos conſtituunt; dum interea rami alii carotidis externæ, integumentis cranii externis, ut & cranio ipſi proſpiciunt; atque ſic decurrendo dant vaſa lateralia, quæ rurſus aliis occurrentia, plexus alios formant; hinc in craniis embryonum quaſi ſtratum ſupra ſtratum membranarum tenuiſſimarum conſpicitur, quæ per duræ matris, ut & reliquarum arteriarum pulſum ad invicem coguntur, lamellas formant, in quarum medio remanet plexus vaſculoſus; ſed ex eadem cauſa numerus lamellarum ſenſim evaneſcit, donec in adultis craniis, unum ſolidum os appareat, ex duabus tabulis conſtans, & in medio ſui *diploen* habens, quæ eſt congeries cellularum medullam gerentium, oriturque ex vaſis lateralibus utriuſque tabulæ cranii, recta via huc tendentibus, non alio modo ac carotis interna ad ſolum cerebrum recta via pertingit.

§. V.

Ex hac cranii phyſiologica Analyſi, patebunt multi morbi, ipſi accidentes. Ex læſo enim per externam vim tabula ejus exteriori, lamella mox ſubjacens comprimitur; intermedia membrana vaſculoſa quoque: hinc accidit morbus mollibus partibus ſimilis: Vulnus, inflammatio; & ſi humor vaſculoſus exeat, putreſcit, lamellæ ſuperioris elevatio: ſi idem lamellæ ſubjacenti, tertiæ, quartæ &c. ad Diploen uſque contingat, earum *exfoliatio*, quæ male caries quibuſdam audit. Læſa *Diploe*, læditur tabula utraque cranii in ſua flexibilitate; exareſcit; ſequitur caries *diploes* & *exfoliatio* tabularum. Pinguedo enim ibi ſecreta facit, ut partes terreſtres firmiter cohæreant, quæ ſecus ab invicem ſecedunt.

Quodſi læſio penetret ad tabulam ejus vitream, fiunt omnia dicta, ſed eo notabiliora, quo læſio cerebro & medullæ ejus propinquior.

Si cranium læditur ita, ut pars ejus intro premitur, ſequuntur pro varietate loci preſſi, pro varia magnitudine, profunditate, hebetudines, ſopores, vertigines, tinnitus, caligines, deliria, vomitus bilis, dolores capitis, convulſiones, paralyſes, apoplexia, lotii fæcumque ſpontanei exitus, epilepſia.

§. V I.

Eſt autem intropreſſio ſeu depreſſio cranii iſta ejus conditio, qua per flexilitatem ſuam obſtaculo externo cedit, abſque fractura, fiſſura, aliiſque.

§. V I I.

Patet hinc homines huic morbo eo obnoxiores eſſe, quo nativitati ſuæ

ſunt

ſunt propinquiores. Adeoque infantes præ aliis. Vidi ego infantem decem ſeptimanarum ex fimbria linteaminis capitis, quam mater imprudens craſſiuſcule confecit, hacque caput ejus fortiter conſtrinxit, totum convulſum; convulſio mox ceſſavit, linteamine, me jubente, amoto.

Non minus immunes ſunt ab hoc malo adoleſcentes, quippe hominis viventis oſſa decuplo flexiliora ſunt, quam defuncti; inprimis, ſi verberibus ruditer tractentur, aut per petulantiam contra ſolida corpora capite allidant. Adultis vero morbus hic non eſt proprius quin, potius fiſſuræ, fracturæ contra fiſſuræ iis contingant.

§. VIII.

Mitto jam morbos reliquos ex depreſſo cranio provenientes, & §. 5. notatos, dum mihi ſufficiet diriſſimi mali, epilepſiæ, ejuſque naturæ, phænomenorum explicatio.

Quotieſcunque homo ſubito proſternitur amiſſis ſenſibus externis, interniſque, cum concuſſu violento, involuntario muſculorum omnium vel aliquorum, reciproco, alterna cum requie, & novo paroxyſmo, dicitur epilepſia, ἀπὸ τȣ̃ ἐπιλαμβάνεσθαι, apprehendere, corripere, ſupervenire.

§. IX.

Ex hac data morbi deſcriptione, differt epilepſia a convulſione, atrocitate & magnitudine ſymptomatum; a ſpaſmis, quod hic proprie non ſit alterne repetens contractio muſculorum, ſed eorum rigiditas, ſenſibus adhuc intactis remanentibus.

§. X.

Ita autem ſcenam ſuam ludit: antecedunt capitis dolores, vel gravativi, vel ſimul aliquando vertiginoſi; cardialgia & anxietates maxime præcordiorum, quas interdum ita increviſſe ſcio, ut patientes auram trahere vix potuiſſent. Obſervantur homines præterea ſolito triſtiores; pallet eorum vultus, ut & extrema, quæ plerumque ſimul frigent vel tremunt, imprimis lingua; vel ab extremis auram veluti aerem frigidamve cerebrum verſus elevari ſentiunt. Nonnulli ſæpe de nullo, ante inſultum, conqueruntur ſymptomate, niſi quod triſtiores ſolito, & ingenio & judicio obtuſiores, ac ſubinde non nihil, abſque cephalalgia, vertiginoſi exiſtant. Quidam vero ſolummodo gravitatem occipitis moleſtam; Alii vero nil niſi viſus quandam obſcuritatem, ſcintillas oculis obverſantes immediate ante inſultum animadvertunt. Illi, qui malo hoc aliquoties laborarunt, ſæpe novos paroxyſmos incurrunt, quando amici dolorem ſuum ægrotis manifeſtant, aut flent, aut ſi cantus religioſos ejuſque affectuoſos canunt.

§. XI.

Præſente paroxyſmo, alii ſenſim, alii ſubito corruunt. Alii in gyrum agun-

tur aliquoties, antequam in terram concidant; Hinc *epilepſia rotatoriæ* nomen. Alii currunt velociter & ſubito cadunt, jam cum, jam abſque alvinarum fæcum, ſeminis ac lotii excretione; alii terræ aſſident & corruunt. Quidam una cum paroxyſmo vociferantur; unde, *er krabet wie ein Hahn.* Fere omnibus pollices in pugnum imprimuntur. Concurrunt communiter oculorum linguæ & labiorum torſiones, ſtridor dentium, & reſpiratio ſonora, cum clamore ſæpius ingente. Item violentæ artuum, immo totius ſæpe corporis jactationes & concuſſiones. In quibuſdam caput perpetuo agitatur, ut fortiſſime illud, ad ſanguinis uſque profuſionem, terræ allidant. In quo gravi inſultu ſenſibus tam internis quam externis pro tempore privantur, ita, ut vellicationes, ſolutiones, inuſtiones licet profundiores, doloreſve ipſius partus haud percipiant, omniumque actorum plane immemores ſint. Quid dicam? Morbus hic tam mirabilis apparet aliquando, ut Diis, dæmonibus, iræ Divinæ, incantamentis, & ſimilibus cauſis, naturalibus majoribus, adſcriptus ſæpe fuerit.

§. XII.

Sæpe inſultus hi horrendi poſt ſe relinquunt ſitim vehementem, laſſitudinem, languorem univerſi corporis ingentem, quia valde illorum corpora, parteſque illius pene omnes præternaturaliter motæ, horſum vorſum contractæ & convulſæ fuere; dolorem omnium pene artuum vulgo oſſifragum, ob vehementem membrorum conquaſſationem; nonnulli de vigiliis nimiis, inſomniis plerumque horrendis, memoria nonnihil & ſæpius valde læſa, nec non de manuum pedumque, immo totius corporis tremore querelas fundunt; ſæpe de terrore quodam ſubitaneo conqueruntur, quare leviſſima ex cauſa illico horreſcunt.

§. XIII.

Inde ob ſævitiam ſymptomatum & curationis dicebatur olim *Morbus comitialis*, quod concidente epileptico comitia mox ſolverentur. Vocabatur præterea morbus *contagioſus*, hinc eo correptos rus ablegabant, ne familias aut alios inficerent teſte *Apuleio* (*b*). Nominabatur morbus *Herculeus*, ob atrocitatem & magnitudinem teſte *Galeno*, & quod Herculeo labore opus ſit ad eum debellandum. Itidem morbus *ſacer* audiebat, ob eandem cauſam, magnitudinem ſcilicet. Apud *Poetam* enim ſacrum idem eſt quod magnum, quemadmodum apud *Virgilium* (*c*): *Auri ſacra fames*; aut quod ab irato & ſacro Jove immiſſum malum crediderit veneranda antiquitas; Aut quod caput, veteribus partem ſacram, invadat, cauſamve ejus, utpote penitus ignorantes, τὸ θεῖον vocaverint, teſte Hippocrate (*d*). Dicebatur in-

(*b*) Apologiarum I.
(*c*) Libr. 3. Aeneid.
(*d*) Libr. de morbo ſacro text. I.

inſuper morbus *Caducus* ob lapſum ſubitaneum ; *Lunaticus* , quod ſæpius circa lunæ phaſes ingraveſcat ; *Puerilis* denique , quod huic ætati inprimis infeſtus ſit , & familiaris.

§. XIV.

Cauſa phænomenorum §§. 10. 11. 12. in noſtro caſu eſt *Depreſſio cranii.* Ratio vero effectuum phyſica hæc eſt. Cranio intropreſſo , premitur dura & pia mater , cortex cerebri , ejuſque medulla , nervorum origo. Hinc præciſe in hac parte cerebri, in qua premitur , fomes ſemper hæret ; qui a cauſa quadam phyſica , eaque minima , in actum deductus , nervos afficiendo ſuum ſortitur effectum. Et initio vertiginem , ſenſum auræ frigidæ , ſcintillarum in oculis , paralyſin , apoplexiam , ex compreſſo cerebro oriri, probant experimenta Virorum Wepferi & Pejeri in canibus facta; ut & illud recens Luteciæ pariſiorum obſervatum : fuit ibi homo ſtipem oſtiatim petens, cui magna pars bregmatis caſu ablata erat. Huic ſi cerebrum paululum premebatur , dicebat ſibi ſcintillas ex oculis egredi ; ad paulo fortiorem compreſſionem , dicebat ſe tinnitum aurium percipere. Poſt obſervabatur vertigine ; tunc ſopore corripi ; poſtremo cecidit apoplecticus ; ubi vero ſibi ipſi relinquebatur , & preſſio remittebatur , ſenſim reſtitutus cernebatur. Id quod quilibet quovis tempore experiri poterit , ſi ad conſilium Wepferi , cani vivo , cerebrum denudet , iſtudque ſucceſſive premat leviter.

Aſt motus epilepticos ita phyſice concipies , ſi cogites , partem cerebri in aliquo ejus loco , compreſſam , reliquam omnem in conditione vigiliarum , ſeu , quod idem eſt , liberam ita , ut ſpiritus in tanto majori copia per aliqua loca fluat. Sed ſimul admittas oportet, medullam oblongatam eſſe originem nervorum , eſſeque canales infinite parvos , tamen pervios , per quos fluunt *ſpiritus* , quos *corpora impetum facientia* , dixit *Hippocrates* ; ut & illud , quod ſolerti indagatione obſervarunt celeberrimi viri *Williſius* & *Vieuſſenius*, nervos quoſdam ex theca vertebrarum retrogredi in cranium , ut ſe jungant nervis cerebri & cerebelli. Ita enim omnes motus , quos in epilepſia miraris, facile explicabis. Medullam autem oblongatam non eſſe niſi congeriem canaliculorum infinite parvorum demonſtravit anatomicæ ſcientiæ hoc ſeculo facile Princeps , clariſſ. *Frider. Ruyſchius* , Profeſſor Amſtelodamenſis , dum enim ille portiunculam medullæ,eamque in aqua tepida reponit granum ſabuli haud excedentem aſſumit, tum illa putrefacta & in aqua agitata , in centenos flocculos diſſilit,microſcopio conſpiciendos. Porro aſſumit fibrillam nervi non niſi ad illapſum ſolis conſpicuam,hanc capillo ſuſpendit,& arte ſua ita præparat,ut ſtupenda certa ratione in plurimos flocculos diſſiliat,halitu evaneſcentes.

Sed canales hos pro fibrillis haud perviis exiſtimaveris , niſi aſſerti veritatem evinceret celeberrimus , multiſque mihi titulis colendus *Hermannus Boerhaave* , Profeſſor Lugdunenſis clariſſimus. Lege ac relege ipſius verba in inſtitutionibus medicis a §. 274. ad 289. Certe rei

 par-

parvitas fecit, ut ridicula appareat veritatis ſimplicitas. Sed qui anatomen callet, omnia facillime comprehendit.

Verum dices I. Nullus oculus, nullum microſcopium præſentiam ſpirituum docet. ℞. Hoc magis meam ſententiam firmat. Fieri non poteſt, ut craſſo ſenſui hæc ſubtiliſſima corpora patere poſſint; Si enim acutiſſimam viſus aciem non refugerent, non eſſent ſpiritus, & tunc plane convicti eſſemus, nos male aſſerrere non eos ſpiritus eſſe; non quidem ſenſu *metaphyſico*, ſed longis abhinc annis recepto *medico.* Non vero inde ſtatim neganda præſentia eorum, quam oculo aſſequi nequimus. In hoc muſæo, ubi nunc ſum, nec aërem, nec aqua conſpicio, quis tamen audacter pronunciabit? Ergo nec aër nec aquam adeſt. Conſtat enim, adhuc plura corpora aëri inhærere heterogenea plane.

II. Inquies: ligatura injecta nervo, inter cerebrum & ligaturam eum intumeſcere debere. ℞. Quilibet nervus bene nudatus & dein ligatus aut intumeſcit aut non. Si tumet, argumentum hoc contra nos non militat; ſin minus, confirmat potius ſententiem noſtram, quam deſtruit; indicat enim, ne quidem vaſa ſanguifera, ſerifera, lymphatica, quæ quemlibet nervum ambiunt, ſemperque & ſimul cum nervo ligantur, turgere. An idcirco illa non adſunt, liquidumque non ferunt, ad quorum præſentiam demonſtrandam certiſſima nobis ſuppetunt argumenta? Cum ergo nec ab illis longe craſſioribus, quando motus illorum ſuſſlaminatur, turgeſcentia fit, longe minus hæc à ſpiritibus expectanda erit. Botanici docent, ingentem liquidi copiam continuo per pedunculum adſcendere ad cucurbitam Italicam, *Pepo major falcata forma J. B.* dictam. Verum inter ligaturam pedunculo injectam, & terram, pedunculum minime intumeſcere. Quando cucurbita recenter abſciſſa ponderatur, & poſt 24 horas ad lancem revocatur, multum ponderis amiſiſſe obſervatur. Sed quod, dum terræ adhuc adhæret, æque ponderoſa maneat, ac ante, non obſtante ligatura, ratio hæc eſt: e terra tantum liquoris iterum accipit, quantum amittit. Ergo pedunculus licet non intumeſcat, humorem tamen non tranſmittit. Arbor plurimas libras ſucci ſurſum vehit, quas e terra recipit; ligata tamen nullum tumorem exhibet. Chirurgus, dum venæ ſectionem inſtituit, brachium ligat, tunc quidem venæ majores non vero minores, id eſt ultimæ, intumeſcunt. Plura adhuc adſunt argumentum hoc confirmantia, ſed omnia hic recenſere velle, præſentis non eſt inſtituti. Ex ſuperſluo tamen illud ſtabiliunt: corporis noſtri in origine, progreſſu, operationibus, excretionibuſque, ratio; inſectorum fabrica; ea, quæ manifeſtiſſime accidunt plantis.

§. XV.

Adſunt vero præter cauſam §. 14. Cauſæ aliæ plurimæ, epilepſiam producentes, quas ſingulas, ordine decenti, ex obſervatione propria & aliorum

rum, accurate collegit, laudatus Clariſſ. *D. Herm. Boerhaave* (*e*), dum apud alios ſparſim ſolummodo, nec, qua decet, attentione recenſitas invenies.

§. XVI.

Prognoſes quoque, pro diverſitate cauſæ, inſtitues. In noſtro caſu, non eſt, qui metuas; prudenti enim manu chirurgi, morbus, licet horrendis ſymptomatibus præditus, intra aliquot dies curabitur, niſi forte cum intropreſſo cranio, ſimul ſpinas ejus advertas, quæ perforando duram & piam matrem, ipſum cerebrum ejuſque medullam, cerebrum inflammatione, ſuppuratione, gangræna, fungo, hæmorrhagia, corrumpunt; unde hebetudines, ſopores, vertigines, tinnitus, caligines, deliria, vomitus bilis, dolores capitis, convulſiones, paralyſes &c. producuntur. Atque tum pro diverſitate circumſtantiarum, mali eventus judicabis.

§. XVII.

Liquet inſimul, non unam eſſe epilepſiarum §. 15. curam, adeo, ut inanis ſit ſpecificorum in epilepſia jactatio. Ille vero ſolus morbum curabit, qui ejus cauſas cognoſcit; *noſſe enim cauſam morbi, eſt noſſe arcanum.* Et in caſu depreſſionis cranii, ſola ejus elevatio feliciter curat. Reliqua, quæ ægroto propinantur, dantur ſymptomatum mitigationis ergo. Elevatio depreſſi carnii fit ſolo dropace applicato, præciſe in ea parte, ubi eſt depreſſio. Cognoſcitur locus applicationis ex ſolicita perveſtigatione capitis, deraſis capillis; quam adjuvant fovea cranio impreſſa; dolor capitis præciſe in uno loco; dolor punctorius capitis ex morſu nucis juglandis, aut alius corporis duri. Loco depreſſionis cognito, emplaſtrum ex pice, aliquando colophonia remixta, in medio ſui anſam habens ex filo triplicato, forti, pro diverſitate depreſſionis & cranii imponitur; emplaſtrum per ſeſquidiem applicitum manet; tum adveniens chirurgus anſam trahit ſurſum, vel ſola manu, vel bacillo ferreo inter duplicaturam anſæ immiſſo. Anſa ſurſum tracta, trahitur emplaſtrum, & quia integumentis capitis fortiter adhæret, ſequuntur illud cutis, muſculi & cranium. Succedit curatio aliquando ſimplici vice, aliquando emplaſtrum bis, ter, aut quater eſt repetendum, donec plenaria cranii elevatio eveniat. Adultos, quibus raro depreſſio ſola accidit, ſed juncta potius cum ſpinis, fiſſuris, cranii *trepanatio* juvat. Quæ, quid ſit, & quomodo inſtituatur, ex chirurgiæ libris petendum.

§. XVIII.

Atque ita rem bis mihi per *Dei* gratiam in praxi mea ſucceſſiſſe, gaudeo. Eſt

(*e*) Conſ. ejus Aphoriſm. de cognoſcendis & curandis morbis §. 1075.

Eſt in ſuburbio noſtro puella nondum 10 annor., quæ ante tempus aliquod, dum apud amicos cum aliis puellis luderet, ſpectrum horrendum ſe vidiſſe credidit, quo perterrita valde clamare, anguſtari cœpit, ita ut ſemimortua domum matris ſuæ reportaretur. Paulo perhibuit ſe idem ſpectrum vidiſſe ſub concione ſacra in templo ſupra caput verbi divini Miniſtri, quo aliquoties perterrita, ædes ſacras frequentare amplius non potuit. Sed idem ſpectrum poſthac aliquando domi matris ipſi apparuiſſe perhibuit, atque vocatæ matri digito monſtravit, quæ vero nunquam aliquid vidiſſe faſſa eſt. Interea conqueſta eſt aliquoties de doloribus capitis & caligine oculorum, itemque de laſſitudine corporis. Poſthæc derepente corripiebatur anguſtiis maximis cardialgicis & ſpaſmis ventriculi, ita ut auram trahere vix potuerit. Mox ſequebantur horrendi motus epileptici multis vicibus per diem miſeram invadentes. Qui haud raro recurrerunt, quando mater de apparitionibus à puella viſis erga adſtantes verba fecit. Vulgus, ſuperſtitioſa, mira fingebat, totumque morbum a Satana proveniſſe putabat, hinc neſciens, quonam titulo morbum inſigniret, eam obſeſſam a Dæmone cenſebat. In qua opinione firmabatur admodum, poſtquam audiviſſet, puellam poſt cantus ſacros affectuoſos, itemque invocationes de JEſu Chriſto, novos ſæpe incurriſſe paroxyſmos. Poſt multas adhortationes & remonſtrationes ſeveras a venerando verbi Divini miniſtro factas dixit puella, ſibi videri totum domicilium ſtellis fulgidiſſimis illuminatum, dum inſimul matri adſtanti hoſtem ſuum, ſpectrum horrendum, digito monſtrat, in perſona mediocris ſtaturæ, ſed lucida veſte induta, prehenſum; nuncque humiliatum. Mater reſpondet, ſe nil horum videre. Interim paroxyſmos novos quotidie patiebatur. Inter tot anguſtias acceſſit me amicus, rogans, ut miſeram aliquando inviſerem, quidve rei inſit, explorarem. Vix domicilium intravi, & ſtatim horrendis inſultibus corripiebatur miſera, mox cardialgicis, mox epilepticis, iiſque diriſſimis. Ego rei cauſam nondum agnoſcens, præſcripſi ſtatim antiſpaſmodica, & illa, quæ contra hunc affectum ſpecifice laudantur. Sed ſimul varia rogavi, donec ad quæſtionem fateri cogeretur, ſe inter ludendum capite allidiſſe contra ferrum januæ infixum. Hinc advocato chirurgo dexterrimo *Ottone Roſcio*, caput perveſtigavimus, deraſis capillis ſedulo, moxque fomitem mali deteximus. Erat autem cranium depreſſum in ſiniſtro oſſe bregmatis oblique, ad ſuturam verſus ſagittalem, Applicito dropace, elevatio cranii erat facta, ſicque datis interea remediis idoneis miſera convaluit perfecte.

Sed morbo ceſſante, ceſſarunt inſimul beneficia Patronorum; cum ergo *egeſtas ſit ingenioſa*, feriæque natalitiorum Chriſti adventarent, quibus homines, ad miſericordiam commoti, liberaliores ſolito eſſe deprehenduntur, puellam de novo, inſultibus epilepticis, correptam audivi. Ego adveniens, malitiam matris protinus ſenſi, moxque abii, quæſtum poli-

liticum egenti permittens. Dominica I. poſt Epiphanias inter prandendum rogat mater per epiſtolam, ut venirem, viderem que miſeram filiam, tantis enim paroxyſmis infeſtatam ait, quantis ante correpta nunquam fuerat. Conqueritur præterea de hemiplexia ſiniſtri lateris totius, cum paralyſi linguæ, quo malo nunquam affectam fuiſſe filiam ſcribit. Rogatus acceſſi ante concionem poſtmeridianam, & quidem citius, ac ſpectabat mater nequam. Vidi filiam decumbentem, & ex linteo lato, rubro, propendens brachium dextrum. Ita enim homines ſub concione venientes ad benefaciendum commovere putarunt. Quæſii, quid jam cum brachio dextro? cum iſtud ſanum, ſiniſtrum vero affectum per literas nunciaverit. Nullo reſponſo dato, auferre linteum, brachiumque ſiniſtrum movere juſſi. Puella perterrita, quid faciat, neſcit; tandem movet brachium ſiniſtrum, itidemque pedem. Sed, ut loquatur, volui; puella aliquot verba, quæ non intellexi, protulit, & chirurgus adſtans, de facinoribus ſceleratis probe gnarus, joci gratia dixit: Domine loquitur Anglice. Mox vero, timore inducto, articulate omnia pronunciavit. Advertens ego malitiam hominum, trepanationem craſtina die inſtituendam chirurgo intimavi, non quidem ſerio, nulla enim aderat cauſa, ſed ut terrore inducto a ſceleribus deſiſterent mater & filia. Mater ſingula percipiens, flet, rogat, ut operatio differatur. Reſpondi, alia via nos incedere vix poſſe, tamen, ut ſumeret, juſſi, verſus noctem pulverem, & alterum craſtino mane, cardiacum. Erat autem pulvis alter digeſtivus, alter vomitum creans. Die ſequenti poſt undecimam adii puellam, chirurgus quoque cum ſuis miniſtris. Intrantibus nobis conqueſta eſt mater de cardiacis; vomuiſſe enim filiam aliquoties dixit. Reſpondi, nec ſic male; exiiſſe enim ita malum ſpiritum penitus, confidat. Chirurgus interim ſcatulam aperit, inſtrumentaque ad trepanationem apta oſtendit. Mater perterrita flet, ſummiſque precibus contendit, ut operatio adhuc differatur uſque craſtinum diem. Nos vero perſiſtimus; tandem, quia omnia articulata voce proferebat, nec de ullo ſymptomate querebatur, petitioni damus locum. Chirurgus interim thecam cum inſtrumentis ex oppoſito lecti reponit contra oculos puellæ. Sequenti die veneramus ambo, videndi ergo quid contingeret? & ſtatim ad acceſſum noſtrum mater pro præſtitis officiis nobis gratias plurimas agit; neque enim inſultus epilepticos ullos, neque paralyſin linguæ, neque hemiplexiam ſe obſervaſſe amplius, ait, quin potius, filiam reconvaluiſſe penitus autumat. Et ab hoc tempore ſalva manſit, ad hunc uſque diem, & quidem *ex metu trepanationis.*

§. XIX.

Caſus alter: eſt in platea, *die Kittelgaſſe*, adoleſcens 17. annorum, Memelenſis, qui a Præceptore in domo parentis ſui, verberibus multis tra-

ctatus, in epilepſiam incidit. Miſſo regiomontum, ut curaretur, data ſunt plurima remedia, aſt in caſſum omnia. Ego vocor, dumque ab amicis de omnibus certior eram factus, advocato chirurgo dexterrimo *N. Schradero*, nuces juglandes, morſu diffringendas juſſi, & ſtatim de doloribus capitis conquerebatur adoleſcens. Perveſtigantes ſeduli cranium, deprehendimus foveam per baculum forte illatam, qua, dropace aliquoties applicito, elevata ab omni inſultu liber hucuſque vivit.

F I N I S.

CAROLI

VI.

CAROLI AUG. à BERGEN

ET

J. MART. FRIDER. MULLER

AUCTORIS.

DISP. DE MORBO EPIDEMICO SPASMODICO CONVULSIVO CONTAGII EXPERTE.

Francof. ad Viadrum 19 Nov. 1742

Digitized by Google

P R O OE M I U M.

INter alia, quæ medicum practicum maxime exercent, haud infimum locum merentur morbi inſoliti & complicati. Horum enim utplurimum ea eſt conditio, ut cauſas primo intuitu incognitas exhibeant, atque tenebris obrutas: medicus propterea, deſtitutus experientia, eoſdem nodo gordio magis intricatos exiſtimans, in ancipiti continuo verſatur, neſcius, in quam ſententiam abire conſultum ſit. Hinc mirandum non eſt, ſimiles adfectus tot curas, tot negotia faceſſere medico ſolerti & religioſo, omnem in eo operam collocanti, ut veras morborum cauſas, &, his perſpectis, demum medendi genuinam methodum probe eruat, quippe auream a Seneca regulam edocto: nihil magis periculoſum eſſe quam immaturam medicinam. *Neque enim quemquam latere poterit, ſumma hic opus eſſe cautione, & ad omnes circumſtantias probe attendendum, ne in devia ſlectamur, & cuncta, medicamentis intempeſtive adhibitis, vertantur in deterius; ſed ut obſervationibus ſedulo, crebro & circumſpecte inſtitutis, vera tandem mali cauſa eruatur, & inimicus corpori adfectus prudenti remediorum & medicamentorum adminiſtratione fauſte propulſetur: cum æque non nocere ægro deceat medicum ac opem eidem ferre, ex ſententia Hippocratis:* Ἀσκεῖν δεῖ περὶ τὰ νοσήματα δύο, ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν. *Inter morbos epidemicos, vere & autumno utplurimum graſſantes, ſæpius obſervari adfectus inſolitos & complicatos experientia docet. Hi, quamvis habeant quandam cum aliis morbis ſimilitudinem, attamen nunc hoc, nunc illo ſymptomate à morbis regularibus recedentes, ſemper aliquam præ ſe ferunt anomaliam. Quibus vero perſpectum eſt morborum epidemicorum ingenium, & quam omnes ex aëris temperie & mutatione, nec non meteororum varia ſerie & viciſſitudine plerumque trahant originem; illis ratio diverſitatis ipſorum perpetua, non dicam neceſſaria videbitur. Qua in re ipſe ego, per exiguum trium annorum ſpatium, quo ingenii dotes patriæ conſecrare, & praxi clinicæ manum admovere cæpi, multum ab experientia magiſtra ſum edoctus. Inter alios vero, quos obſervavi, morbos, notatu videtur dignior ille adfectus epidemicus ſpaſmodico-convulſivus, qui menſe Auguſto anni præteriti MDCCXLI. in quibuſdam veteris Marchiæ urbibus & præcipue pagis primum graſſari cæpit, & per integram hiemem uſque in Maium anni præſentis in permultos inimice ſæviit, quemque vulgo ab effectu: Die krumme Kranckheit vel etiam ob rei novitatem: Die neue Kranckheit vocavere. Hinc e re fore duxi, ſi huncce materiam pro themate Diſſertationis inauguralis ventilandam ſuſciperem. Et quamvis non ignorem, huncce morbum aliis jamjam iiſque doctioribus viris materiam ſcribendi ſuppeditaſſe; non plane tamen inutile vel vituperandum credidi, ſi, quid ego in hoc morbo obſervarim, & quomodo ejuſdem curam inſtituerim, exercitii gratia literis mandatum cum eruditis communica-*

nicarem, eorumque benevolo & amico judicio me, ſi quid forte erraſſem, ſubmitterem. Faxit vero ſumma Archiater, ut omnia vergant in Divini ſui nominis gloriam aliorumque emolumentum.

---

§. I.

UT morbi hiſtoriam, cujus deſcriptionem jam aggreſſuri ſumus, ordine & methodo, in concinnandis morborum hiſtoriis requiſita, abſolvamus, e re fore arbitramur, eundem ſecundum varia ſua tempora & periodos, tum principii, tum augmenti & ſtatus, tum denique declinationis reſpectum habendo, exponere, ſimulque oſtendere, quibus ſymptomatibus hic morbus noſter cum aliis ſui ſimilibus, à neotericis quibuſdam deſcriptis, congruat, quibuſve etiam recedat. Graſſari vero incepit ingruente autumno anni præteriti circa meſſem, ſuamque tyrannidem uſque ad veris finem præſentis anni in Stendalienſi veteris marchiæ tractu æque ac trans Albim in Havelbergenſi ditione per varias urbes & pagos exercuit.

§. II.

Incipientis morbi ſymptomata ſequentia erant: conquerebantur omnes & ſinguli in principio morbi de artuum inſigni laſſitudine, intercurrente ſæpius nunc caloris, nunc frigoris & horripilationis ſenſu, capitis dolore gravativo, anxietatibus præcordiorum, quibus ſuperveniebant ſubſultus ſpaſtici digitorum & pedum, modo hos vel illos dictarum partium muſculos infeſtantes. Hi ſubſultus tendinum & muſculorum ſæpe ſub cute viſibiles erant, quod noſtrates exprimunt: *Sie hätten es bey einigen* patienten *recht ſehen können, wie es in ihren gliederen lauffe und ſich bewege.*

§. III.

Increſcente morbo, non ſolum exacerbari videbantur cuncta ſymptomata, ut lecto ſurgere non poſſent; ſed etiam ſub continua febre & æſtu accedebant ſtupor capitis, in aliis deliria convulſiva, pectoris coarctatio & conſtrictio, indeque reſpiratio difficillima ac ſuffocationis metus, ſermonis præterea difficultas & plenaria ſæpe abolitio. Maxime vero notandum eſt, ſub his diris ſymptomatibus convulſiones (§. ii.) memoratas fuiſſe acerbiſſimas, quarum vehementia utplurimum formicationis ſenſu, (*durch das Kriebeln*) in manibus & pedibus præeunte, indicabatur. Artus tunc temporis tam ſuperiores quam inferiores per ſuos quosvis flexores muſculos ſpaſtice, & quidem non ſine dolore acuto lancinante convellebantur. In pedibus inprimis flexores tibiæ, in manibus flexores carpi & digitorum mem-

membra immobili hoc ſpaſmo rigida reddebant. Sub eadem paroxyſmi vehementia oris aliarumque partium faciei diſtorſiones adſpectum reddebant horrendum, raro tamen ſpaſmum cynicum me vidiſſe recordor. Pauciſſimos etiam à contorſionibus membrorum plane immunes vidimus, utcunque reliqua ſigna morbi hujus præſentiam declararunt. Remittente vero difficili reſpiratione & pectoris adfectu, ſermonis uſus redibat quidem, contorta vero membra in ſitu per ſpaſmum acquiſito manebant, hac tamen cum differentia, ut rigor non eſſet adeo inſignis, & digiti adſtantis ope facilius extendi poſſent.

§. IV.

In ſtatu hujus epidemici mali, quod in aliis diu & per aliquot ſeptimanas durare, in aliis vero citius tranſire viſum eſt, prædicta (§. 3.) ſymptomata, recurrente paroxyſmo, modo mitiora, modo graviora, modo hoc, modo alio ſymptomate novo aucta obſervabantur. Sic v. g. alii lumbricorum copiam ſponte ediderunt, alii inciderunt in diarrhœas, alii durante paroxyſmo immodica ſiti & conatibus vomendi vexati fuerunt vel plane delirarunt. Præcipue vero circa novilunium & plenilunium exacerbabantur in infantibus ſymptomata, ut ſæpe convulſiones in totalem epilepſiam degeneratas viderimus. Præterea in junioribus æque ac adultis ingens appetitus & quaſi bulimus, qui maxime ſub convulſionum paroxyſmo vigebat, aderat, ægros, digitorum miniſterio deſtitutos, ita ſæpe concitans, ut eſculenta in ſtragulis poſita, inclinato corpore, labris & ore, brutorum inſtar, avide deglutirent.

§. V.

In declinatione morbi tota ſymptomatum ſyndrome miteſcebat, ita ut die undecimo, in aliis decimo quarto, in multis viceſimo primo vis morbi remitteret, quod ipſum vero non, niſi copioſis ſudoribus & exanthematibus purpureis ſcorbuticis erumpentibus accidere ſolebat. Sudores in primis ſemper ſymptomata levaſſe obſervavi; conſtantes autem non fuere, ſed brevi iterum ceſſarunt. In aliis ſymptomatum remiſſio in plures hebdomades procraſtinabatur. Plenaria virium reſtitutio in omnibus lente ſucceſſit. Stupor capitis, artuum rigiditas, facillimus in ſpaſmum niſus ea erant ſymptomata, quibus ad plenariam reſtitutionem vexabantur ægri reconvaleſcentes. In quibus vero hic morbus funeſtum exſeruit eventum, iis non ſolum circa dies criticos ſymptomata exaſperabantur, ſed & convulſiones perfecta & totali epilepſia terminabantur. Poſtquam vero morbus hic, qui initio acuti indolem præ ſe ferebat, temporis progreſſu in χρονικότητα tranſiit, raro id ipſum factum eſſe meminimus. Quoſdam tamen poſt diuturnos cruciatus tanquam tabe confectos interiiſſe compertum eſt.

§. VI.

§. VI.

Tradita morbi hujus epidemice graſſantis hiſtoria, notaſſe expedit, quod, licet nulli pepercerit ætati, infantes tamen frequentius præ adultis corripuerit. Quoad vitæ genus, ruricolas & infimæ plebis homines adeo eminenter aggreſſus eſt hic morbus, ut ex honoratioribus urbium civibus vel literatis hominibus vix ullum noverimus hoc morbo conflictatum, manifeſto documento, ſingularis hujus morbi ſingularem fuiſſe cauſam. Porro memoratu dignum judicamus, quod, licet hic morbus non fuerit contatagioſus, nec unquam in honoratiorum civium vel nobilium familias graſſatus ſit, ſed intra plebeculæ domunculas ſubſtiterit; nihilominus id commune habuerit cum contagioſis affectibus, quod primis eruptionis temporibus acuti ſatis morbi, & intra decimum quartum diem homines e medio tollentis, in progreſſu vero chronici, per ſolidos menſes ægros excruciantis indolem præ ſe tulerit.

§. VII.

Ad quam morborum claſſem hic noſter morbus jure referendus ſit, ex penſitatione ſymptomatum circa hallucinationem determinare licet, quare nil impedit, quo minus morbum hunc nomine *affectus epidemici*, *ſpaſmodico convulſivi*, *non contagioſi* ſalutare poſſimus. Noſtratibus vernacula veniebat ſub nomine *der krummen Kranckheit*, *des krummen Jammers*, *der Kriebel Kranckheit*, quamquam cum *Longolio* adæquate ſatis etiam *die Kornſtaupe* dici poſſit. Sicuti epidemici morbi nunquam præſentium, ſed præcedentium conſtitutionum producta & ſoboles ſunt, ita inferius, in cauſarum ſcrutinio, probatum dabimus, cauſas hujus epidemici mali in conſtitutione præcedente, & anomala rerum ſic dictarum non-naturalium indole fuiſſe fundatas. Tanto magis adfectus epidemici titulum meretur, quo certius demonſtrabimus, quod, licet communiſſimam & univerſalem non habuerit cauſam, ſat communem tamen agnoverit. Non minus hic affectus ex genere morborum convulſivorum & ſpaſmodicorum eſt, quum prædictæ convulſiones (§. 2 3 & 4) quaſi pathognomonicum mali ſignum conſtituerint. Contagii expertem ideo præprimis vocavimus, quia vitæ generis utcunque rationem habuit, nec in omnes indiſcriminatim graſſatus eſt. Plures vero urbanæ plebis & ruricolarum familias, uno correpto, hunc in morbum incidiſſe, nondum miaſmatis contagioſi ſuſpicionem involvit, dum id potius communi humorum diatheſi ad maturitatem eodem tempore evectæ tribuendum eſt, non ſecus ac videmus autumno præſente fructus eodem tempore matureſcere. Quidam medicorum exiſtimant, hunc morbum arthriticæ ſimul eſſe indolis; aſt pleraque ejuſdem ſymptomata eo conſpirant, ut ſedem affectam indicent genus nervoſum, cum arthritis magis in articulis & ligamentis articulorum ſit ſita.

§. VIII.

§. VIII.

Populares ſive epidemicos morbos à communibus cauſis progigni, extra controverſiæ aleam poſitum eſt, quare præſens noſter adfectus eaſdem agnoſcat, neceſſe eſt. Sunt autem hæ aër, communia alimenta mali ſucci, aquæ corruptæ, ventorum plagæ &c. quarum aliæ magis, aliæ minus univerſales dici merentur. Aër inprimis, ceu commune animantium pabulum, ſi ſolus epidemicæ luis ſcaturiginem conſtituit, nulli ætati, nulli vitæ generi, nec divitibus nec pauperibus parcit, adeoque vix memorati à nobis & deſcripti morbi auctor eſſe poterit, quum ſuperius (§. *6.*) annotatum fuerit, pauperes & egenos, non æque divites & honoratiores homines hoc malo laboraſſe. Cibi & potus noxæ etiam ſuo jure ad cauſas morborum epidemicorum referuntur, tam univerſales vero non eſſe, differentia vitæ generis ſatis indicat. Diſquirendum nunc jam nobis ſupereſſet, quibus dictarum rerum noxis præſens hic affectus ſuos debeat natales, niſi certo conſtaret, frumentaceum venenum, ſcilicet ſecale rubigine corruptum, jure hic accuſari, cum ros melleus, ſive rubigo, anno præterito, in tractu veteris Marchiæ frequens, & ſecali præ reliquis frumenti ſpeciebus magis infenſus fuerit.

§. IX.

Cum omnes, quos evolvi, ſcriptores, qui adfectus hujus epidemici cauſas in alimentorum frumentaceorum noxas rejecere, unanimes non inveniam, multique ſint, qui noxas rubiginis partim ſecali vulgari corrupto, partim ſecali monſtroſo, (*dem ſogenanten Mutter-Korn*) partim graminibus & Zizaniæ intra ſecale vegetanti adſcribunt, convenientiſſimum erit, hic paucis exponere, quodnam horum primaria noſtri morbi cauſa exſtiterit.

§. X.

Inter omnes conſtat, ſecalis ſpecies uſitatas eſſe *ſecale hybernum vel majus* C. B. (*das Winter-Korn*) & *ſecale vernum vel minus* C. B. (*das Sommer-Korn*) quorum utrumque, uti aliæ fruges cereales, rubiginis ſubjectum proprie conſtituit, in primis vero poſterius. Vocatur vero ros melleus ſive rubigo (*der Honigthau*, *Brand*) materia viſcoſa glutinoſa, flava, ſaporis primo ſubdulcis, in acrimoniam poſtea vergentis, ſpicis frumenti inhærens. Ipſum autem frumentum rubiginoſum (*das Brand-Korn*) in eo conſiſtit, quod in folliculis granorum pulvis nigricans, in cineres converſam farinam exhibens, inveniatur. Hoc autem, quod ſolatio eſſe poterit generi humano, rubiginoſum frumentum vim ſeminalem amittit, nam terræ commiſſum & ſatum nunquam vegetat. Differunt ab hoc ſecali

rubiginoſo ariſtæ monſtroſæ, quæ inter utraſque ſecalis ſpecies quandoque reperiuntur, quarum grana exterius nigricant, interius alba ſunt & duriora, ſi exſiccantur, quam ſecale ordinario eſt, neque differunt ſapore, ſed duntaxat creſcendi modo. Plures enim ſæpe ariſtæ, uni culmo adnatæ deprehenduntur. Culmus etiam longitudine excedit reliquos, & hoc eſt, quod ſub nomine *ſecalis luxuriantis* ſub ſingulari ſpecie recenſet *Caſp. Bauhinus*, quodque Clariſſ. *Hoffmannus* (*a*) vocat ſeca'e corniculare nigrum. Peculiarem autem ſpeciem ſecalis eſſe non dixerim, quia partim in *ſecali hyberno majore*, partim in *verno minore* quibuſdam annis inveniri ſolet. Rectius itaque eſt *varietas*, quam *Tournefortius* pro vera ſpecie non agnoſcit, & non niſi priores duas recenſet. Quantum vero experientia teſtatur, conſtat, noſtrates tum frumentum rubigine corruptum, tum etiam ſecale illud monſtroſum promiſcue uno nomine *des Schmidt*, *Brand-Kornes*, *Korn-Zapfen*, *Mutter-Korns*, *der Wolffes-Zahne*, ſalutare conſueviſſe, quod tamen falſum exiſtimo. Sæpe enim ſecale corniculare ſ. luxurians vulgari immixtum reperitur, & citra noxam comeditur; cum non niſi una cum reliquo frumento à rubigine cadente venenoſam contrahat indolem. A ſecali rubigine corrupto probe etiam differt *lolium gramineum ſpicatum caput tentans* C. B. *lolium ſpicis ariſtatis radice annua* Linnæi, *lolium vernum Moriſoni* Germ. *Lulch*, *Treſſpen*, quod, quippe teſte Ill. *Hoffmanno* (*b*), epidemicorum morborum cauſa exiſtit, ſi frugibus, quibus veſcuntur ruricolæ, vel ex quibus parantur cereviſiæ, immixtum reperitur. Gallico idiomate obſervamus, nomine *Ergot* partim frumentum rubiginoſum, partim frumentum luxurians deſignari. Noſtrates e contrario diſtingunt inter rubiginem in cerealibus, quam *den Brand oder Honig-Thau* vocant, & rubiginem plantarum & arborum, quam *den Meel-Thau* nominare ſolent, quum tamen idem morbus ſit.

§. XI.

Poſtquam itaque probatum dedimus, rubiginis ſedem eſſe in ſecalis prædictis duabus ſpeciebus, ordinis ratio nunc exigit, ut formalem rationem hujus corruptionis paulo curatius explicemus, & quidem mihi ſententia *D. Fagon* (*c*), admodum veritati conſona videtur, nocivam nempe humiditatem, cum nebulis ariſtis applicatam, primo rodere & penetrare epidermidem grani, qua corrupta & nigreſcente ſenſim ſubſtantia grani farinacea vitiatur. Interea ſucci, qui ex radicibus frumenti per culmum adſcendunt, ubi granum ſua epidermide nudatum inveniunt, ſenſim in copia accumulantur, & ariſtam monſtroſam formant, utique ſanitati inſenſam & nocivam, quia ſupponit mixtionem ſucci cerealium cum humiditate

(*a*) Medic. Syſtem. Tom. II. 304.
(*b*) Medicin. ſyſtemat. Tom. II. p. 303.
(*c*) Hiſt. de l'Acad. des Sciences An. 1710. p. 62.

Digitized by Google

ditate vitioſa. Effigiem vero ejuſmodi corruptæ ariſtæ videſis apud *Scheuchzerum* (*d*). Non pauci ſunt, qui nocivam indolem hujus humiditatis ponunt in venenato quodam rore, cum nebulis cadente & grani exurente, ſapore ſubdulci & glutinoſo inducti, quem utique inveniunt. Sic enim *J. G. Hoier* (*e*) ſequentia tradit - *humor quidam ſaporis ſubdulcis & glutinoſæ naturæ in frumentis, arborum & fruticum frondibus viſebatur. Mellea hæc humiditas ſive ros grati quidem ſubdulciſque ſaporis erat, ſed acrimoniam volatilem occultam quaſi ſubvelantis. Curioſi, qui primoribus labris deguſtaverunt hunc rorem, ſingularem nauſeam & vomendi conatum ab eo ſentiebant. Nonnullis ulcuſcula labiorum ſuſcitaverat. Pauci, qui diutius eo temporis momento in campis commorati ſunt, febribus ardentibus corripiebantur, immo, qui nudis pedibus inceſſerant, ut ruricolæ ſolent, puſtulis & ulcuſculis pedum nigricantibus vexabantur. Ipſa vero frumenta quædam, præprimis ſiliginis grana, quibus roralis lympha largius inhæſerat, mirum in modum notabantur corrupta & nigricantia.* Ortum rubiginis in frumento alii deducunt ex ſucco frugum cerealium nutritio, viſcoſo, qui, poſtquam calore ſolari rarefactus per earum poros tranſſudavit, aeris tempeſtate pluvia corrumpitur, aceſcit & vaſcula plantarum non ſolum obſtruit, ſed & ulteriorem maturationem plane impedit, ſicque inſignem plantarum morbum conſtituit (*f*). *Chriſt.* de *Hellwig* (*g*), ex Huetianis ingenioſam magis, quam veram rubiginis cauſam adfert, quod nempe pluvia decidens in ſuperficies foliorum & frugum cerealium pulviſcula hinc inde latitantia corripiat, & horum ope in ſphærulas coeat, quæ, ubi directe radiis ſolis penetrarentur, inſtar lentis uſtoriæ, foliis & ariſtis maculas inurerent.

§. XII.

Sive nunc quis rorem, ſive nebulas, ſive pluviam, ſive alias cauſas accuſet, gigni rubiginem ſolius frumenti vitio non exiſtimamus. Potius enim ſtatuimus cum *Fagono*, (§. 11.) grana ejus prius alterari ex atmoſphæra delapſis. Hoc enim aeris receptaculum continuo abundat effluviis omnis generis, ſalinis, ſulphureis, cauſticis, quæ ibidem ſolis ardore exaltatæ, modo nobis imperceptibili, in liquores coeunt, & vel ſub forma nebulæ, vel roris decidunt, plantiſque adhærent, easque maculis diverſi coloris ſugillant. Etenim, præter cereales fruges, plantas & arbores hoc morbo affici, teſtis eſt *Ramazzinus* (*h*), propriis verbis: *non ſolum cereales opes abſumpſit hæc peſtis, ſed omne etiam ſubſidium, quod pomifer autumnus ſolet ſuggerere, ſuſtulit*, moxque ſubjungit: *uvarum quoque*, po-

L 2

(*d*) In Bibl. Phyſ. Tab. 104. 11.
(*e*) Ephemerid. Nat. Cur. Decur. 3. An. IX. & X. p. 172.
(*f*) Vid. Clariſſ. *Hilſcheri* Programm. de rubigine.
(*g*) Ephemerid. Nat. Curioſ. Volum. II. p. 130.
(*h*) Conſtit. An. 1692. &c. cap. 6.

Digitized by Google

proventus ob eandem cauſam non niſi parciſſimus prævidebatur, & alio loco: *rubigo*, inquit, *peſſimus omnium frugum morbus eſt*, *paullatim augeſcens*, *frumenta & omnia legumina*, *ſed præſertim fabas occupavit*, *neque ſolum in locis humidioribus*, *ubi computruerant*, *ſed & in editioribus.* Idem auctor (*i*) curioſe obſervavit, nuces juglandes in illo luctuoſo ſpectaculo, ubi omnes campi circumquaque non virentes ſed atrati & fuliginoſi videbantur, rubiginis noxam non ſenſiſſe, cujus phænomeni cauſam in corticalem viridem nucum ſubſtantiam, ſale volatili abundantem & rubiginis acido reſiſtentem rejicit. Quod vero noſtram hanc tractationem attinet, non recordamur, nos præter ſecale ſimul reliquas plantas & arbores hac lue infectas vidiſſe, quod aliis cauſis non tribuimus, niſi, quod ſine dubio tales nebulæ vel talis corruptus ros in has plantas non ceciderit.

§. XIII.

Rubiginem, quoad materialitatem ſuam, naturæ eſſe acris & corroſivæ, ipſe teſtatur ſapor ejus, primis quidem labris dulcis, poſtea vero in conſtrictoriam acrimoniam vergens, (§. 10. 11.) Clariſſ. *Ramazzinus* (*k*) corroſivum hoc non dubitat cum ſpiritibus acidis corroſivis, ſpiritu nitri, vitrioli, vel ſalis, atque ſtygiis aquis rectius eſſe comparandum, quam cum acrimonia alcalina, quod ipſum variis experimentis corroborare ſuſtinuit, dum notavit, plantarum folia, liquoribus acidis corroſivis conſperſa, peticulas & maculas tales contraxiſſe; neutiquam vero ex liquoribus alcalicis, cujus ſententiæ quoque eſt Celeb. *Behrens* (*l*) quamquam in eo erraſſe videtur, quod rubiginem meteoris annumeraverit, quæ potius eſt tertium productum ex rore vel alio meteoro corrupto & corrupta frumenti ſubſtantia. Clar. *Hoffmannus* (*m*) cauſticam & venenatam rubiginis indolem optime ſali ſubtili cauſtico, ſulphuri viſcoſo inhærenti, adſcribit, quod peculiari ratione in partes nervoſas graſſatur, cujus rei rationes ſequentes ſuppeditat:

(1) Quod plantæ paludoſæ, nec non fungi, agarici &c. plerumque ſint cauſticæ & virulentæ indolis.

(2) Quod ſymptomata nervoſarum partium à ſalino principio ſtimulante clarius explicari poſſint.

Volatilitatem hujus ſalis cauſtici inde evincit, quod grana ejuſmodi, diu in aëre detenta & exſiccata, innoxia obſervata ſint, ejuſmodi farinæ vero fermentatione & incaleſcentia hæc deleteria vis iterum reſuſcitata fuerit, quam *Hoffmanni* ſententiam mea utcunque experientia confirmatam vidi,

(*i*) L. c. §. 18.
(*k*) II. conſtit. Ann. §. 58. Op. Lond. 29.
(*l*) Select. Diætet. Sect. I. cap. 3. §. 5.
(*m*) Med. Syſtem. Tom. II. p. 305.

vidi, dum obſervavi, omnia hujus morbi ſymptomata graviora fuiſſe ex pane granorum recentium, quam exſiccatorum. *Joh. Dan. Longolius* (*n*) rubiginis vitiatum ſuccum ponit in putredinoſa vegetabilium dulcedine, certumque auctorem *Williſchium* allegat (*o*) qui ſpecificam rationem hujus fermenti in ſale volatili corroſivo vegetabili, ſali cicutariæ, ſolani furioſi, vel mandragoræ ſimillimo quærit, quod tamen, an probabile ſit, aliis dijudicandum relinquimus, qui norunt, effectum prædictarum plantarum venenatarum eſſe ſolere celerrimum & brevi tempore deleterium.

§. XIV.

Nullum itaque eſt dubium, in ægris noſtris hoc ſal cauſticum, cum pane quotidiano ſimul ingeſtum, ſuccis ventriculi & chylo ſolutum, per vaſa lactea ſanguini fuiſſe admixtum, ſicque ſanguinem, hoc peregrino miaſmate ſemel infectum, totum genus nervoſum irritaſſe, & muſculos ad convulſiones diſpoſuiſſe, quod meum aſſertum ſequentibus etiam probatur:

(1) Omnibus iis in locis, ubi feralis hic morbus graſſatus eſt, referentibus id incolis, rubigo in ſecali obſervata eſt.

(2) A pluribus relatum accepimus, in uno eodemque pago illos, qui antiquo, puro & integro ſecali, per priores annos aſſervato, in conficiendo pane uſi ſunt, immunes à morbo extitiſſe, eos vero, qui propter inopiam recens & rubigine corruptum ſecale comedere coacti ſunt, paulo poſt finitam meſſem decubuiſſe.

(3) Quod ſupra (§. 6.) notavimus, peſtis hæc ruſticos & vilioris ſortis homines, non vero divites, laute viventes & literatos invaſit, & ſic illos aggreſſa eſt, qui maximam partem panem pro alimentis ſolidis adſumſere.

(4) Ipſa morbi periodus, ſecundum quam paullo poſt meſſem primo ſub larva morbi acuti, poſtea vero ſub ſpecie chronici adfectus ſtragem ſuam edidit, de cauſa adducta ſatis clare teſtari videtur (§. XXII).

(5) Oeconomorum quorundam obſervatio fuit, ſues gravidas ſecali corrupto ſaginatas fere omnes abortiiſſe, ut & grana corrupta & pulverulenta, lacti injecta & muſcis expoſita, his mortem intuliſſe.

(6) Quod *Longolius* (*p*) ſingulari exemplo teſtetur, hominem, qui ex ſola curioſitate aliquot frumenti grana rubigine infecta comedit, incidiſſe in dolores membrorum, non niſi dejectionibus aliquot curatum,

(7) denique huc referas, velim, teſtimonia ſcriptorum, luis convulſivæ hujus cauſas ex cerealibus frugibus rubiginoſis deducentium, quorum mentio-

L 3

(*n*) In judic. medic. *von der Kornſtaupe.*
(*o*) Vid. §. ultim.
(*p*) L. c. p. 28.

tionem inferius facturus ſum. Quibus vero hæc ætiologia inſufficiens videtur, in contrarium allegant, inventos fuiſſe, qui licet hunc panem vitiatum comederint, nullum tamen inde ſanitatis perceperint detrimentum, quorum objectioni regerendum ducimus, quod noſtra quidem ſententia, de hac obſervatione non certo conſtet, fuiſſe & repertos eſſe tales homines, ſed ſi vel maxime de hac re dubitandum non eſſet, alia quæſtio nunc eſt, numne ipſæ hæ fruges mitioris fuerint acrimoniæ? numne etiam major puri ab impuro fuerit factus ſelectus? conſtat enim, diverſos fuiſſe acrimoniæ in rubigine gradus, alibi etiam ruricolas optima ſecalis grana ſelegiſſe, & ab impuris ſeparaſſe. Tandem etiam valet hic canon phyſiologicus, quod cujuſvis alimenti, medicamenti, veneni activitas & vis, in corpus animale, vivum, neutiquam ex ſe, ſed conjunctim ex ſe & ex receptivitate corporis animalis, plus minus ad recipiendas & determinandas has vires diſpoſiti, æſtimanda ſit. Hic prono fluit alveo, non omnes ac ſingulos, in hac vitioſa diæta viventes, eodem morbi gradu affectos eſſe.

§. XV

Quamquam nunc ex antecedentibus (XI. XII. XIII. XIV.) ſatis ſuperque probatum ſit, primariam hujus epidemicæ luis cauſam latere in vitiatio & corrupto pane & veneno frumentaceo, inficiandum tamen non eſt, alias, caſque diverſas cauſas ſocias, quæ vel corpus humanum ad majorem receptivitatem §. (XIV.) veneni iſtius vegetabilis diſponunt, vel ipſam corruptelam vitiati frumenti exacerbant, huc ſymbolam ſuam contuliſſe. Sic enim aeris conditiones hoc malum exaſperaſſe in paludoſis locis, refert *Ramazzinus* l. c., in quibus nempe craſſius & vitiatus aër epidemicum magis & rebelle hoc malum reddidit. Certum enim eſt, quod ſi aër reſpirationi, & conſequenter vitalibus functionibus exercendis idoneus eſſe debet, neceſſe ſit, ut quandam ſervet mediocritatem, nec nimis tenuis, nec ſupra modum craſſus ſit, quale quid machina pneumatica ad oculum demonſtrat.

§. XVI.

Ad noxas rerum non naturalium, quæ procreando huic malo ſimul famulari potuerunt, jure referre poſſumus leguminum varii generis uſum, quorum quædam forſan ejuſdem rubiginis noxas perpeſſa, corpus humanum magis magisque ad hanc luem præpararunt. Præter frumentaceum genus autem, & legumina, & omnem plantarum familiam hoc malo affici poſſe, ſuperius (§. XII.) a *Ramazzino* (q) æque ac ex teſti-

(q) l. c.

ſtimonio *J. C. Brunneri* (*r*) relatum legimus, Ut taceam multa legumina, ceu cauſas προηγυμένης, propter viſcoſitatem & flatulentiam ſuam. M. Seam ad viſciditatem & corruptionem diſpoſuiſſe. Conſtantem aquarum crudarum potum in gente ruſtica hunc morbum magis promoviſſe quam imminuiſſe, quiſque vel me tacente perſpicit. Intenſiſſimum frigus anni MDCCXL, ejuſdemve lentum & paullatinum in corpore humano effectum, pro unica & primaria luis hujus cauſſa præſupponere velle, prorſus inſufficiens mihi videtur, & certiſſimis criteriis, quæ vitiatum accuſant frumentum, (§. XIII.) adverſum, utcunque non inficiamur, inter cauſas ſocias remotiſſimas referri potuiſſe. Quoad alimenta denique notat *Longolius*, (*s*) quod caro ſuilla & diæta lactea his patientibus valde nocuerit, id, quod, licet ipſimet non obſervaverimus, propter coagulabilem lactis naturam, craſſum vero, & viſcidum chylum caro ſuilla ſuppeditat, vero judicamus ſimillimum.

§. XVII.

Quas cauſas ex rerum naturalium conſtitutione diverſa huc trahendas cenſemus, has tanti momenti non judicamus, quæ eodem gradu & effectu cum prioribus (§. XVI.) ſociarum cauſarum officium præſtare potuerint, unicam ſi exceperis ætatem infantilem, quæ, ut teſtatur morbi hiſtoria, §. VI.) in hunc magis proclivis fuit, cujus quidem phænomeni cauſa partim a majori generis nervoſi ſenſilitate, partim a ſpongioſiori corporis habitu, pleniorem ſuccorum abundantiam ſupponente, primario vero ab illa huic ætati familiari ingurgitatione & repletione derivanda venit. Quum etiam ruſtica gens hoc morbo unice fere conflictata fuerit, obſervare cum *Longolio* non licuit, an hæmorrhoidarii vel menſium obſtructione laborantes fœminæ plus perpeſſæ fuerint?

§. XVIII.

Superius (§. XIV.) aſſeruimus, cauſticas frumenti corrupti particulas maſſam ſanguineam ſenſim inquinare, eamque vitiatam genus nervoſum irritare. Cum ergo cauſa mediata proxima in irritatione generis nervoſi merito ponatur; diſquirendum reſtat, qua ratione ſanguis hic vitiatus in ſyſtema nervoſum agat. Ex phyſiologicis autem conſtat, ſanguinem eſſe fontem omnium reliquorum fluidorum, quæ per ſecretoria organa ſeparantur, quo poſito, verum erit, liquidum in cerebro præparatum, & per nervos diſtributum, ſanguinis eſſe ſobolem; ejuſmodi autem re vera adeſſe, non tam experientiis, ſenſus noſtros convincentibus,

(*r*) in Ephem. N. C. Dec. III. A. II. O. 284.
(*s*) l. c. p. 61.

bus, quam ratiociniis, indubitatis præmiſſis innitentibus, probatur. Vocatur vero hoc, liquidum nervorum, vel ſpiritus animalis, quod per nervos in omnes muſculorum villos, ſecundum naturam vel imperio mentis, vel citra id, ita influit, ut determinati muſculorum motus conſequantur. Quodſi ergo ſanguis peregrino miaſmate vitiatur, quod non ſolum globulos ejus rubros, ſed etiam ſeroſos & lymphaticos inficit; a lymphæ autem ulteriori defæcatione in cerebro ſecretio puriſſimi nervorum laticis maxime dependeat, mirum non eſt, quod ex impura ſanguinis lympha ſegregetur nervorum latex eodem vitio laborans. Citato autem loco docuimus, ex eſu rubiginoſi panifici alimenti cumulari partes ſalinas cauſticas in ſanguine, quæ, utpote a tenuiori ſanguinis parte magis ſolubiles, lymphæ adeo tenaciter adhærent, ut etiam ſecretorios corticis cerebri tubulos ſimul tranſeant. Concipi hinc poterit, qua ratione hoc fluidum, naturali ſua elaſticitate & energia villos muſculares inflans, acredine ſua præternaturali fibras ſimplices irritet, & ad convulſivos motus concitet.

§. XIX.

Cognita ſic cauſa mediata proximiore, res facilis negotii erit, omnia cum hoc morbo complicata ſymptomata ad ſuas veras cauſas reducere. Proſtrationem virium ſubitaneam, (§. II) diuturnitati morbi haud conformem, præſupponere vel penuriam liquidi nervoſi, vel vitiatam ejus indolem, tam ſtatus naturalis, quam præternaturalis indicat. Exhauſtis viribus laſſata eſſe membra in ſanis, quis eſt qui neſcit? Et proſtrationem virium ſubitaneam in morbi contagioſi & maligni initio non niſi miaſmatis penetrationem ad interiora uſque atque ſubtiliſſima fluida ſupponere, omnium prorſus eſt ſententia. Ne itaque hic mireris laſſitudinem & proſtrationem virium principium hujus morbi concomitari, nidulantis inprimis in partibus nervoſis, gerentibus fluida impetum facientia. Alternum frigoris & horripilationis ſenſum, (§. II.) ceu febrilis motus indicium, ſublato æquilibrio actionis fluidorum in ſolida & reactionis ſolidorum in fluida adſcribimus; nec ultra generales has cauſas progredimur, cum communiſſimum ſit ſymptoma & Morbonæ indivulſus comes. Qui denique perpendit; pabulum iſtud vitioſum cumulaſſe acres & ſalinas particulas in ſanguine, has involutas viſcidulo ſero peragraſſe latifundia corporis, illi perſpectu difficile non erit, dolorem capitis, anxietates præcordiorum, muſculorum ſpaſticos ſubſultus, pependiſſe a violenta menyngum & fibrarum muſcularium vellicatione & roſione, quæ omnia, creſcente materiali cauſa, adeo exacerbata ſunt, ut poſtmodum convulſiones, pectoris coarctatio, reſpiratio & loquela difficilis (§. III.) ſubſecuta fuerint.

§. XX.

Viſcidula lympha, viſcoſitate ſua non liberata, ſed potius aucta, cum ſan-

Digitized by Google

ſanguine arterioſo ad cerebrum propulſa modum, non ſervat, ſed tenuiſſima corticis vaſcula implet, diſtendit, & leviſſimam in partibus vicinis medulloſis compreſſionem cauſatur, cui unice familiaris noſtri adfectus ſymptomatis ſcil. ſtuporis (§. III.) productionem tribuimus. Uti igitur in vulneratis leviſſima corticis compreſſio ſtuporem ægro inducit, & naturali veſpertina cerebroſæ ſubſtantiæ ſubſidentia ſomnum naturalem fieri compertum eſt; Ita nullum eſt dubium, explicationem hujus ſymptomatis ſuis cauſis non deſtitui.

§. XXI.

Reverti citius tardiuſve paroxyſmus (§. III. IV.) videbatur eo, quod ſemel ſtagnans ſtimulorum ſalinorum copia proxime facta convulſione ex villis muſculoſis expelleretur, nec novam contractionem moliri poſſet, niſi poſtquam tempore aliquo elapſo, per fluidum nervorum jugiter influens nova progenies iterum advecta erat, quæ priorem ludere queat tragœdiam. Sicuti porro ſpiritibus eſurinis, aliiſque id genus acidis glandulæ ventriculi contrectatæ fortius emulgentur, & liquoris gaſtrici profuſiori quantitate ſenſum famis in ſtatu ſecundum naturam excitare ſolent, ſic parem properrodum effectum habuiſſe ſpicula hujus corrupti frumenti ſalina (XIII.) probabile eſt. Accedit, farinacea ejuſmodi alimenta, quotidie uſurpata, ſponte, & ſuapte natura in aceſcentiam & fermentationem prona, auxiſſe acidum ventriculi. Quum vero hoc rubiginoſum acidum ſal aliquod cauſticum pro fundamento habeat (§. XIII.) non dixerimus, illud eſſe proſapiæ acidi vegetabilis, quum ſalia in meteoris reperiunda ex omni naturæ regno noſtro judicio, participent, & vi ſolis in atmoſphæra jam mutata ſint. Ulteriori argumento eſſe poterit obſervatio quorundam, acida nempe vegetabilium ſimplicia huic adfectui profuiſſe, quod fieri impoſſibile foret, niſi conſociatam & compoſitam ſalis hujus geneſin ſupponamus. Quod in infantibus convulſiones in plenariam epilepſiam (§. IV.) pro variis lunæ phaſibus commutatas obſervaverimus, partim nervoſi generis teneritudini, partim peculiari energiæ hujus terræ ſatellitis tribuimus, qua quippe conſtat, epilepticos convulſivis motibus obnoxios, imo & alios, ut hydropicos &c. varie a luna affici, ut habet *Mead*, (*t*) & paſſim plures.

§. XXII.

Non minus obſervatum eſt, luem hanc in initio acuti, in progreſſu vero chronici morbi decurſum (§. V.) affectaſſe, cujus rei ratio mihi in eo poſita eſſe videtur, quod in granis recentibus ſecalis, ex quibus ſtatim poſt meſſem conficiebatur panis, acre & cauſticum illud ſtimulans magis activum fuerit, (§. XIII.) ſicque ejuſdem effectus celerior & vehe-

(*t*) De imperio ſolis ac lunæ.

mentior. Hinc in his, qui ex eſu granorum recentium acuto laborabant morbo, ſudores copioſi critici, (§. V.) quibus acres iſtæ quiſquiliæ ex humoribus rejiciebantur, ſalutares fuere. Mirandum etiam non eſt, materiam hanc acrem & cauſticam, in ejuſmodi excretionibus periphericis, corroſiſſe & deſtruxiſſe fibras cutis, ſicque exanthematum, vel potius ulcuſculorum generationi anſam præbuiſſe. Succeſſu vero temporis, poſtquam grana aëri expoſita & ſiccata multum ſubtilium partium effluviis perdidere, reſiduum iſtud, viſcoſitatibus magis obvolutum & fixius, activitate tanta gaudere non potuit, ſed lentum effectum & mitiora produxit ſymptomata. Remediis nihilominus obſtinate reſiſtens, in longum protrahebatur malum. Eadem erat durationis cauſa, ſi tam primæ viæ, quam M. Sea tenaci & viſcida humorum ſaburra ſcatebant, quæ ſalia iſta obvolvendo activitatem quidem eorundem refrenabat, plus tamen ſimul temporis requirebat, quo debito modo attenuari, atque a corpore eliminari poſſet. Neque eorum rejicimus aſſertum, qui putant, corpora continuo & diuturno veneni hujus vegetabilis uſu, eidem paullatim ita adſueviſſe, ut tandem minus inde perceperint detrimentum, atque ſic plures, gravioribus & truculentis ſymptomatibus, acutis morbis ſolemnibus, non colluctaſſe; cum experientia doceat, corpora hominum quorundam, quotidiana & continuata opii vel venenorum adſumtione, ita tandem fuiſſe diſpoſita, ut majorem harum rerum nocivarum quantitatem abſque ullo ſanitatis incommodo ferre potuerint.

§. XXIII.

Cum in hoc adfectu nervoſum genus, ob irritationem a ſpiculis ſalinis, in convulſiones adeo proclive ſit; mirandum non eſt, plenariam ægrotorum reconvaleſcentiam tarde ſucceſſiſſe (§. V.) quod in primis in iis deprehenſum eſt, qui ab eſu inquinati frumenti, propter penuriam melioris, non abſtinuere. In novas hinc neceſſe eſt, incidant convulſiones & dolores, antequam prioris & antecedentis inſultus effectus ſublati plane fuerint. Et ſic arbitramur, nos omnia hujus morbi ſymptomata ad ſuas cauſas revocaſſe. Id unice notamus, fuiſſe aliquos, qui per contagium hunc morbum propagari contendunt, infimam autem plebem faſcino ejuſdem ortum tribuiſſe; uti vero hujus ignorantiæ indulgendum eſſe cenſemus, ſic priorum ſententiæ ſubſcribere pariter non poſſumus, cum tam ſubtile miaſma huic morbo non inſit, quod ex ægri corpore perſpiratum, ſanorum adſtantium corporibus ſeſe inſinuare, hancque maſſæ ſanguineæ corruptionem inducere valeat.

§. XXIV.

Cadavera hoc morbo fatis ceſſorum cum nullam ſecandi & inſpiciendi occaſionem nactus ſim, necquicquam certi de viſcerum & humorum conditione aſſu-

aſſerere licet. Interea, ſi noſtri hiſtoriam morbi conferamus cum ea, quam a Domino *Buddeo* (*u*) Domino *Joh. Dan. Longolio* (*v*) deſcriptam habemus, quamque parallelam admodum cum noſtro affectu deprehendimus, nullum dubium eſt, quin ſub iiſdem conditionibus denudata in conſpectum prodierint viſcera. Hæ autem fuere: veſica fellea magna & plena, bilis copia in venis gaſtricis loco ſanguinis, inflammationes eryſipelatodes hinc inde in ſuperficie pulmonum, hepatis, lienis, ventriculi, inteſtinorum, mucrone cordis. Quod ultimum phænomenon de cauſtica indole hujus frumentacei veneni ſatis ſuperque teſtatur, quum ex plurium venenorum adſumptorum effectu idem ſæpiſſime conſequatur. Magna & plena ciſtis fellea ſupponit impedimentum excretionis bilioſæ per ductum ciſticum, quod ſine dubio ſpaſticis ſtricturis tunicarum & fibrarum, a miaſmate hocce inductis, tribuendum reor. Imo ex obſervatis *Brunnerianis* (*v*) conſtat, corpora hominum hoc morbo correptorum jam durante advectu ſphaceloſa (*) reddi cœpiſſe: unde ſepulturam mortuorum, non citra prægnantes rationes, urgendam ſuadet, ne corruptio iſta ſphaceloſa colliquatione ſua effluvia latius per aera diffundat, & in contagioſam indolem convertat.

§. XXV.

De hujus noſtri truculenti adfectus præſervatione & cura, ſequentia ex propria experientia teſtamur. Præſervatos fere omnes, licet ruſticæ gentis fuerint, novi, quibus ingruente malo, loco ſecalini panis triticeus, vel etiam ſecalinus bonæ notæ, aliorſum advectus, ad comedendum præbebatur. Qui autem aliquoties vitioſum hoc alimentum adſumſerant, neque tamen in febriles commotiones & convulſivos motus inciderant, illis interdicto prius ulteriori panis ſecalini uſu, non ſine ſymptomatum jam præſentium levamine, lene vomitorium ex rad. Ipecacuanh. & ſale quodam medio combinatum præſcriptum dedimus, quo præmiſſo, jejuno ventriculo, ut & poſt prandium, in vehiculo calido eſſentiam ex rad. reſolventibus & balſamicis paratam, ut v. g. eſſent. ſcord. pimpin. alb. caryophyllat., gentian. rubr. helen. caſcar. &c. propinavimus, quibus & ſimilibus medicamentis, tempeſtive adhibitis, obſervato ſimul decenti regimine, fomitem mali in primis ſæpe incunabulis ſuffocavimus.

M 2 §. XVXVI.

(*u*) In conſil. medico.
(*v*) In ludic medic. *von der Kornſtaupe.*
(*w*) E. N. C. l. c.
(*) *Eſſe enim aliud nihil videtur rubigo, quam gangrana vegetabilium, a qua, monente verſatiſſimo quodam rerum naturalium ſcrutatore, alius adhuc cerealium morbus differt, nempe ubi corruptis & nigricantibus extus granis, interne laudabilis ſat farina reperitur, qua nunquam hunc morbum producit; quanquam vulgo plures utrumque cerealium hunc adfectum invicem confundant.*

§. XXVI.

In curatione noſtri adfectus, primario ad ſequentes indicationes implendas, quantum per artem fieri poterat, reſpeximus, ut

(1) ſymptomata maxime urgentia mitigarentur,

(2) lymphæ acrimonia dilueretur, ejuſdem coagulum expediretur, & acre corroſivum evacuaretur,

(3) debilitatum nervoſum genus roboraretur, & membranis ligamentis & tendinibus priſtinus reſtitueretur tonus.

§. XXVII.

Symptomata maxime urgentia in noſtro caſu erant convulſiones, ad quas mitigandas (§. XXVI, n. 1) non ſine laudabili effectu externe adhibuimus frictiones cum pannis calidis, quibus membra contorta & convulſa modeſte fricuimus. Interne vero laudabilem effectum edidit liqu. min. anod. *Hoffmanni* ad gtt. XX. vel per ſe, vel cum pulveribus antiſpaſticis datus, item, eſſent. caſtorei & liqu. C. C. ſuccinatus. Pulveres etiam ex nitro, lap. 69. citrat., C. C. philoſ. pulv. epil. March. ſem. pœon., caſtoreo, ſpec. ceph. D. M. aliiſque, per ſe, vel ſub forma potiuncularum extemporanearum cum aquis lil. convall, epil. Lang., primular. ver., flor. til., ceraſor. n., &c. addito ſyrup. pap. rh. vel poeon. non ſine eximio effectu exhibuimus, quibus ſæpe optimo cum ſucceſſu extr. caſtor. ad aliquot grana adjunximus.

§. XXVIII.

Secundæ indicationi (XXVI.). n. 2) ſatisfecimus pulveribus leniter ſudoriferis & ſalinis ex antimon. diaphor., ſuccino, tartar. vitriolat., nitro, lumbric terreſtr., cinnabar. antimon. rad. gramin. zedoar., pentaphyll., viſc. quern., addito vel ſale volatili C. C., vel viperar., paratis. Sub forma liquida partim reiteravimus eſſent ex pimp. alb. ſuccin., trifol. fibrin., vincetox., aliis, partim etiam MR. S., liquor bez. *Buſſii* & decocta ex rad. liquir., ſcorzoner., rad. & herba pentaphyll. hb. meliſſ. &c. præſcripſimus. Non obſtante hoc lymphæ coagulo, facile largimur *Longolio*, acidiuſcula vegetabilia, nec non per fermentationem parata, potiunculas cum ſucco citri, ſuccum ceraſorum acidorum, rob. ſambuc., aceta bezoardica, hic ampliſſimi uſus fuiſſe, cum noverimus, hæc & ſimilia ſanguinem & lympham non coagulare, ſed magis diluere. Interim conſiliis viri hujus tunc temporis deſtituti, quod candide profiteri non erubeſcimus, hiſce & ſimilibus non ſumus uſi. Inter externa vero remedia, & quæ ſummam opem præſtitere, hic non omittenda ſunt veſicatoria, quæ ſuris, brachiis, cervici impoſita, acris & corroſivæ lymphæ excretionem mirum quantum pro-

promoverunt. Et ne ſalutaris iſta excretio citius, quam par erat, ceſſaret., empl. de ſpermate ranar. pulvere cantharidum conſperſum toties applicuimus, quoties ſeri adfluxus minui, ulcera vero ſiccari videbantur, quibus ad tres ſæpe hebdomades continuatis, ægris noſtris optime proſpeximus, hac in re ſecuti celeberrimorum quorundam medicorum conſilia, qui in adfectibus convulſivis & epilepticis eximiam veſicantium medicaminum virtutem experti, eadem juſtis efferunt laudibus.

§. XXIX.

Sedatis maximam partem ſymptomatibus, ſumma utplurimum ægris ſupererat membrorum debilitas, ut vix ambulare vel erecto ſtare corpore poſſent; quare ad corroborandum genus nervoſum (§. XXVI. n. 3) uſi ſumus elix. viſceral. *Hoffm.*, eſſ. caſcar., ſuccin., aurantior., ſale volatili oleoſo Sylv. &c. Externe vero linimentis, ex oleis deſtillatis, ſpirit. ſerpill., ror. marin., lumbr. terreſtr., & aliis balſamis nervinis compoſitis, articulos membrorum, ſpinam dorſi inunximus, quibus rite adhibitis, non pauci divino auxilio cum priſtina ſanitate in gratiam ivere.

§. XXX.

Ex ſuperius dictis patet, adfectum noſtrum acrimoniam & coagulum lymphæ pro ſua proxima cauſa agnoviſſe. Quilibet ergo facile intelliget, venæ ſectionem hic fruſtra adhibitam fuiſſe, immo plus nocuiſſe, quam profuiſſe, quod quippe etiam de purgantibus acribus, ſtimulantibus, draſticis intelligendum eſt. Cui noſtræ inprimis ſententiæ maximum robur addidit experientia eorum, qui ſua ſponte, vel ad V. Sionem, vel ad draſtica purgantia, ceu ad ſacram anchoram confugere, quippe longe abeſt, ut quicquam profecerint, ut potius fatalem horam acceleraverint.

§. XXXI.

Diætæ & regiminis præſcripti regulæ partim patent ex iis, quæ (§. XV. & XVI.) de rerum non-naturalium noxis tradita leguntur. Sed & alia, ut carnes fumo induratas, muria conditas, fructus horæos, veneris immodicum uſum, animi pathemata quævis hoc in adfectu omnino interdicenda fuiſſe, quilibet facile conjicere poteſt, cui horum morborum natura ſatis cognita eſt atque perſpecta.

§. XXXII.

Truculentiſſimum hoc malum (§. II. ad VI.) ab omni ævo mortales infeſtaſſe, & peſti aliiſque morbis epidemicis coævum eſſe, adeoque antiquiſ-

ſimum & a Deo, ad puniendum genus humanum, terris illatum, ſacræ nos paginæ docent. Deuteron. cap. XXVIII. v. 20. ita comminatur Deus Iſraëlitis. *Infeſtabit vos lova tabe, febre, ardore, æſtu, armis, uredine, rubigine* · quod malum & ſimilia a locuſtis, erucis, cerealibus fructibus inducta, LXX. Interpret, per ἀνεμοφθορίαν. verterunt, quanquam alii græcorum ſcriptorum id ipſum ἐρυσίβην ſive rubiginem vocare conſueverint, ſic & Amoſus cap. IV. v. 9. peſtis hujus mentionem facit, quod LXX. πυρώσει καὶ ἐν ἰκτέρῳ interpretantur. *Caſtellio* autem: *adfeci vos uredine ac rubigine*, vertit. Hunc fructuum & frugum cerealium communem morbum adeo exhorruerunt antiqui, ut ad avertendam hanc peſtem ſibi Deum finxerint, quem Robigum teſte *Varrone* (*x*) nominaverunt, & cujus in reverentiam *Numa Pompilius* IIdus Romanorum Rex, undecimo regiminis anno, Rubigalia Feſta in XXV. April. condidit, in quibus lactantem catulum litabant, eo, quod à rubigali numine, mediante maligno canis ſideris influxu, putarent hanc luem terris immiti, quare *Columella* (*y*):

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactantis catuli placatus & extis

Naſo (*z*) autem, ficulneam hanc rationem ſalſe ridens, cecinit:

Pro cane ſidereo canis hic imponitur aræ.
Et quare id fiat, nil niſi nomen habet.

Veteres vero etiam ſerio cogitaſſe de averruncando hoc malo, ex C. *Galeno* (*a*) diſcimus, qui ſuadet, ut piſtores ejuſmodi vitioſum frumentum probe cribris expurgent & prava ſemina ſeligant. Utcunque vero ex his allatis ſatis ſuperque conſtat, morbum hunc cerealem penitus non fuiſſe incognitum veteribus, nullibi tamen, quantum ſcimus, morbum, morbique ſymptomata, ex eſu ejuſmodi frumenti prognata, litteris conſignata legimus. Antiquiſſimum, quod de hujus morbi natura conſignarunt medici, apud *D. Sennertum* legimus, qui hunc morbum ſub nomine *ſpaſmi maligni & epidemici cum febre* adeo graphice deſcripſit, ut talpa cæcior eſſet, qui eundem noſtro multum diſſimilem judicaret. Libet Excell. D. A. O. *Goelicke* (*b*) verbis uti, qui hiſtoriam hujus morbi ex variis auctoribus collegit & invicem comparavit: *cæpit vero hic morbus in Germania graſſari Anno MDXCVI & MDXCVII totumque Archiepiſcopatum Colonienſem, Weſtphaliam, Comitatus Waldeccenſem & Witgenſteinienſem pervagari cum convulſionibus, veterno, delirio ac mentis alienatione, nunc cum nunc ſine febre aliiſque ſymptomatibus. Hinc factum eſt, ut laudatiſſima facultas medica Marpurgenſis, ea de re conſulta, conſilium medicum petentibus ſubminiſtraverit, eoſque de vera methodo inſtruxerit, qua ejuſmodi malo cum effectu*

(*x*) Lib. de re ruſtica.
(*y*) De cultura hortor.
(*z*) Faſtor. lib. 4.
(*a*) Lib. I. de medicament. facult. c. 37.
(*b*) Exercit. ſubciſivar. Francofurt. Tom. II. ſect. 7.

fectu obviam procedere poſſint. Seculo XVI. lues iſta ſpaſmodica variis denuo locis recruduit, & prima quidem vice in Voigtlandia anno 1648, 49, *deinde vero* 1675. *Plaviæ ad fluvium Elyſtrum, in que toto, qui urbem iſtam circumjacet, tractu maximam rabiem exercuit. Neque hoc loco reticendum eſt, quod anno* 1702 *in toto montano tractu metalliſero, præprimis vero circa Freibergam idem denuo malum emicuerit, ut noviſſima omnium ſit lues ſpaſmodica, quæ anno* 1716. *in Saxonia & Luſatia ſuperiori miſerrime mulctavit homines.* Toties reiterata luis hujus ſtrages omnino effecit, ut plures auctores huic deſcribendo inſudarint. Præterquam enim, quod *Sennertus* & Fac. Med. Marpurgenſ. hac de re litteris aliquid conſignarunt, idque poſterius *Gregor. Horſtius* in ſu's operibus annotaverit, *D. Gotl. Buddæus* in conſil. medico *Joh. Dan. Longolius* ſcripto ſæpius citato, *Joh. Chriſt. Haberkornius*, *D. Chriſt. Gotthart Williſchius* ſcripta de hoc morbo eum publico communicarunt.

§. XXXIII.

Sicuti vero nunquam morbi epidemici, diverſo tempore graſſantes, utcunque unam eandemve principalem cauſam agnoſcunt, iiſdem prorſus ſymptomatibus ſeſe manifeſtant, ſic pariter ex comparatione hujus noſtri adfectus, cum illis morbis, quos citati auctores (§. 32.) deſcripſere, licet una eademque omnibus ſit cauſa, conſtabit, ſymptomata nec unius ejuſdemque indolis fuiſſe, nec eodem in omnibus gradu ſeſe manifeſtaſſe. Morbi v. g. à *Williſchio* deſcripti ſymptomata, quæ & noſtrum comitantur, ſunt: (1) ſpaſmum iſtum non fuiſſe opiſthotonum, vel emproſthotonum, vel tetanum, ſed tantum contractionem ſpaſmodicam crurum & brachiorum (§. 3.) (2) convulſiones has, nimis exaſperatas & auctas epilepſiæ fuiſſe ſimillimas (§. 5.) (3) Appetitum in pleriſque non ſolum ſalvum permanſiſſe, ſed in multis in bulimum & famem caninam mutatum (§. 4.) (4) Pleroſque fuiſſe temulentos quaſi & inebriatos, deque debilitate corporis & membrorum laſſitudine (§. 2. 3. 5.) conqueſtos eſſe. Paroxyſmi recidivam ſæpius fuiſſe inſperatam (§. 5.). In quibuſdam tubercula quædam, humore ſeroſo viſcido plena, in cute in conſpectum prodiiſſe. (§. 5.) Morbum non fuiſſe contagioſum. (§. 6.) Cervos aliaſque feras beſtias in eodem ſolo viventes eodem morbo correptos eſſe (§. 14. n. 5.) Quod vero in noſtro morbo non obſervavimus, fuit, quod *Williſchii* deſcriptus morbus omnem promiſcue ætatem invaſerit, quod ægri de continuo frigoris percurſantis ſenſu conqueſti ſint. Symptomata morbi, à Cl. *Buddæo* deſcripti, cum noſtro congruentia, ſunt: invaſio cum febrili ſanguinis orgaſmo, (§. 3.) dolores tenſivi & punctorii artuum, (§. 3.) capitis ſenſus quaſi temulentus, (§. 3.) periodum morbi abſolvi interdum ſpatio 7. 9. vel 14. dierum, in aliis vero nonnunquam ad 3. 4. vel plures ſeptimanas extendi, (§. 4. 5.) appetitum in famem caninam tranſiiſſe, (§. 4.) morbo in longum protracto diarrhœam tandem acceſſiſſe, vario tamen eventu, (§. 4.) ſudores rarius emicuiſſe, (§. 5.) morbo utcun-

Digitized by Google

cunque ſuperato, relictam nihilominus fuiſſe capitis debilitatem, & artus rigidos tam debiles evaſiſſe, ut iiſdem inſiſtere haud potuerint. (§. 5.) Sequentia, ab eodem auctore relata, obſervare mihi non contigit, nempe (1) ægros, cum doloribus artuum, etiam conqueſtos eſſe de doloribus viſcerum, pulmonis, cordis, hepatis &c. (2) manus pedeſque frequentius intumuiſſe, & in quibuſdam, ſuperato morbo, caliginem oculorum, privationem auditus fuiſſe ſequutam. Poſſemus quidem comparationem hanc ad plures auctores, ſuper hoc morbo commentatos, extendere; aſt cum Exc. *D. D. Goelicke* l. c. hoc labore nos maximam partem jam ſublevaverit, vela hic contrahimus & ſpecimini huic finem imponimus.

S. D. S. L. E. G. I. S.

PHILIPPI

VII.

PHILIPPI CONRAD FABRICII

ET

J. GEORG. ALBRECHT KIPPING,

DE

PARALYSI BRACHII UNIUS

ET

PEDIS ALTERIUS LATERIS

DYSENTERICIS FAMILIARI.

Helmſtadii 31 Jan. 1750.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Communis inter eruditos eaque haud injuſta querela eſt, tot extare de cujuſvis fere generis doctrinæ exercitationes Academicas, quæ Diſputationum nomine inſigniuntur, ut vix Thema quoddam inveniri queat, quod ab aliis nondum ventilatum fuerit, & de quo in utramque partem tam multa alii non jam tum dixerint, ut operam ludere videatur, qui ejus tractationi de novo ſe accingit. Quod quemadmodum in pleriſque artis ſalutiferæ capitibus conſtantiſſimæ quoque veritatis eſt; ita tamen rerum Phyſicarum & Medicarum tractatio & ſedula ſtudii obſervandi in eis cultura adhuc hoc emolumenti & prærogativarum ſecum conjunctum gerit, ut in conſideratione hominis ſani æque ac morboſi unum & alterum haud raro momentum nobis objiciat, ab aliis vel omnimode nondum adnotatum, vel tamen minus ſecundum omnes res circumſtantes exhauſtum adeoque dignum, in quo ingenii & doctrinæ periculum inſtituatur. Individua enim humana, ut unicuique conſtat, diverſitate ſunt innumera, & in ſtructura Anatomica ac reliqua œconomia animali hominum ſubinde aliquid novi ſe exerit, quod in centum & pluribus aliis fruſtra quæſiveris. Morborum decurſus quoque ratione ſchematis, quod in uno quovis ægroto ſervant, mire variant, nec conſtanti ſemper ſymptomatum ordine ſcenam ſuam ludunt. Ut de eo jam nihil proferam, quod vires attentionis & intelligentiæ humanæ tam arctis limitibus circumſcribantur, ut haud pauca in artis ſalutaris tractatione occurrentia illas ſæpe ſubterfugiant, a ſubſequentium temporum Medicis curatius adnotanda examinandaque. Pertinere mihi inter alia huc videtur obſervatio Pathologico-Practica de paralyſi brachii unius & pedis alterius lateris Dyſentericis familiari, *quam licet pro plane nova haberi minime velim, a nemine tamen, quantum mihi quidem conſtat, ea peculiari tractatione & ex profeſſo, ut aiunt, examinata adhuc fuit, id quod in cauſſa eſt, cur nos illam pro Themate hujus Diſſertationis nobis ſumſerimus. Faxit ſummum* numen, *ut hi & omnes reliqui noſtri conatus litterarii in nominis ſui gloriam non ſolum cedant, ſed etiam in rem Medicam & ægrotantium ſalutem commodum inde redundet quam uberrimum!*

§. I.

DUm *Paralyſeos* in fronte hujus Diſſertationis mentionem injeci, unicuilibet artis Medicæ, vel leviter gnaro ſtatim in animum & memoriam incurret, mihi hoc nomine illud morborum genus indicari, quo vita machinæ humanæ utcunque ſuperſtite muſculis corporis vel plures vel unus & alter tantum eorum immobilitate afficiuntur, ita ut partem corporis, cujus motui dicati ſunt, extendere vel flectere, levare vel deprimere, adducere vel abducere, aut in gyrum agere, comprimere vel dilatare, claudere vel aperire nequeant, facultate ſentiendi ſimul in eis vel omnimode ſæpe ablata, inſigni tamen modo imminuta.

§. II.

Effectus hujus morbi in ſenſus incurrentes obſervantur: ſi unus vel alter congenerum muſculorum tantum eo corripiantur, antagoniſtarum ob æquilibrium deſtructum ſpaſtica (*a*) contractio; ſi vero utriuſque generis motores muſculi labem patiantur, membri & partis movendæ primum flacciditas, inertia, ſtupor, frigus & ob Synoviæ in ligamentis articulationum oſſium capſularibus accumulationem & ſpiſſitudinem ingraveſcentem plenarius denique artuum affectorum rigor & mobilitatis jactura, ac ſudoris non minus quam tranſpirationis inſenſilis in eis defectus.

§. III.

Ad ſpecies Paralyſeos quod refert, tot illius fere obſervantur, quot muſculorum vel partium muſculoſarum genera exiſtunt, ita ut nulla fere corporis humani pars ſit, cujus muſculi non aliquando huic vitio ſubjecti a Scriptoribus Pathologiæ & Therapeutices referantur. Sic verbi gratia Amauroſin ſeu Guttam ſerenam a paralyſi fibrarum orbicularium tunicæ uveæ conſtrictioni pupillæ oculi inſervientium cum nervorum viſoriorum relaxatione conjuncta potiſſimum oriri, inſolita pupillæ dilatatio in hoc morbo fere ſemper conſpicua fidem facit. A paralytica muſculi elevatoris palpebræ ſuperioris adfectione oritur morbus, quem Chirurgi Phalangoſin appellant. Paralyſin utrarumque palpebrarum allegat *Lentilius* Eteodrom. Med. Pr. p. 441. & *Timæus* a Guldenklee Epiſtol. Med. 1. Paralyſin muſculorum oculi deſcribit *Stalpart van der Wiel* Obſerv. X. Centur. poſter. A paralyſi muſculorum oſſicula auditus movere ſolitorum ſurditatem ſæpe induci, ſtructura & functio eorum ex Anatomicis & Phyſiologicis cognita nos dubitare

(*a*) Rationem hoc ſuppeditat, cur in omnibus morbis paralyticis medicamenta ſpaſmos lenientia cum roborantibus maritanda, in ſpaſmis vero medicamina roborantia & nervina antiſpaſticis ſemper interponenda ſint, ſi Medicus & ægrotus voti compotes fieri deſiderent.

bitare non ſinit. Paralyſin linguæ adnotavit *Lazarus Riverius* Obſ. communicat 7. p. 692. nec in ægrotis Apoplexia tactis aliquid ea obſervatu frequentius eſt. De paralyſi linguæ multoties recurrente videantur quoque Acta Phyſica Medica Academ. Natur. Curioſor. Volum. IV. Obſerv. 109. Paralyſin labiorum recenſet *Hartmannus* Prax. Chymiatr. Libr. 2. Cap. 68. De paralyſi muſculorum œſophagi agit ſupra laudatus *Stalpart van der Wiel* L. c. obſ. 27. quæ in plerisque ægris febre quadam acuta maligna inſanabili decumbentibus utplurimum adhuc hodie quoque facultate deglutiendi penitus ablata ſe manifeſtat, & finem vitæ imponit. Prout & muſculo ſternomaſtoideo alterius lateris paralyſi adfecto, caput in oppoſitum latus trahi & inſignem deformitatem ab inde induci, experientia conſtat. Paralyſin vero totius corporis & omnium partium infra caput ſitarum, organis vitalibus exceptis, poſt inſultum Apoplecticum ſæpe oriri, ſicque morbum, quem Paraplegiam Medici vocant, induci, nemo niſi in doctrina ſalutari plane hoſpes ignorat. Quemadmodum & Hemiplegia, ſeu alterius dimidii corporis cum artubus adnexis paralytica tantum reſolutio nemini ignota eſt. Paralyſin muſculorum intercoſtalium & Diaphragmatis & lacertorum muſculoſorum Tracheæ ac bronchiorum illuſtris *Morgagni* (*b*) catarrhum ſuffocativum inducere; & mortem ipſam nihil fere aliud quam paralyſin cordis eſſe, nemo niſi, cui circuitus ſanguinis & vita humana inde unice dependens haut ſatis perſpecta ſunt, inficias facile abire poterit. Ructus cum ſingultu a paralyſi fibrarum ventriculi oris ſuperioris & ſiniſtri muſcularium, cum ſemi convulſivo diaphragmatis motu conjuncto frequenter oriri, triſtis, qui ſæpe hoc ſymptoma inſequitur, in Lienteria, Diarrhoea, Dyſenteria, morbo iliaco aliiſque eventus nos dubitare non ſinit, imo totam integri inteſtinorum canalis muſcularem tunicam in his morbis ſæpe paralyſin pati, concomitantia & inſequentia ſigna confirmant. Sicut & incontinentia urinæ & alvi a paralyſi ſphincteris veſicæ anique producta tota die occurrit. De Paralyſi penis videatur celeberrimi *Alberti* Juriſprud. Med. Parr. I. Cap. 2. §. 23. not. m. quæ & ab incauto mercurialium medicaminum uſu externo nonnunquam producitur. De paralyſi vero artuum ſeu extremitatum corporis vel omnium vel unius alteriuſve tantum Auctores Medicarum obſervationum evoluti, & quotidiana experientia nemini pariter dubitare permittunt, quum hæ corporis humani partes frequentius, quam omnes reliquæ illa labe corripiantur; id quod tum calori nativo earum per ſe debiliori, quam in viſceribus & partibus interioribus exiſtenti, tum tono earum ſub greſſu & labore quotidiano valde debilitato magna ex parte tribuendum videtur. Plerique enim mortalium artuum labore ſubſidia vitæ ſibi parare coguntur, alii vero ſi vel maxime muros urbis, in qua degunt, nunquam egrediantur, tamen in vita ſua quovis anno pluria milliaria ſub conſueta negotiorum quotidianorum expeditione ambulando conficiunt.

N 3 §. IV.

(*b*) Adverſar. Anatom. I. Tab. I. Edit. Ann. 1741.

§. IV.

Cauſſ.s univerſaliores Paralyſin excitantes ille vero facile inveniet, cui ex Phyſiologicis conſtat (*c*) quod ad actionem cujuſque muſculi perfecte exercendam tum integritas ipſius ratione fibrarum eum componentium, roburque nativum & elaſticitas (*d*) illius illibata, tum liber & ſufficiens vegetusque liquidi nervei in eum influxus (*e*) tum etiam vaſorum ejus ſanguiferorum, præcipue arteriarum & ſanguinis in eis contenti pervia & intaminata conſtitutio ac ſufficiens fluiditas abſolute opus ſint, adeoque in unius vel plurium aut omnium horum requiſitorum defectu illæ numquam non perquiri & inveniri debeant.

§. V.

Cauſſæ paralyſeos ſpecialiores vero propemodum innumeræ ſunt. Lubet tamen præcipuas earum apud *Boerhaavium* in Aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis §. 1060. in compendio ex parte traditas ex Auctoribus Obſervationum Medicarum hic paulo uberius indicare, quum illud ad explicandum noſtræ diſſertationis Thema haud parum conducere poſſe videatur. Metallorum foſſores, inauratores, alioſque metalla tractare conſuetos

(*c*) *Bohnius* Circul. Anatom. Progymnaſm. XXIX. de motu animali p. 459. & 460. qui experimenta Stenoniana & Bartholiniana huc facientia & ab aliis toties allegata ex autopſia confirmat. *Bergerus* de Natura humana Cap. XXII. p. 296. & ſeqq. Conferatur quoque elegans Diſſertatio inaugularis rationem paralyſis Anatomicam ſiſtens Ann. 1735. a Cl. *Duncwerts* hic Helmſtadii ventilata.

(*d*) Illuſtris poſt fata *Hoffmannus* Medic. Ration. Syſtem. Tom. I. Cap. IV. de motu fibrarum elaſtico §. VIII. potentiam fibrarum elaſticarum & robur partium a ſufficienti boni ſanguinis per vaſa, & fluidi cerebri per nervos adfluxu potiſſimum deducit, & beatorum choro itidem adſcriptus celeberrimus *Schulzius* elegantiſſima de elaſticitatis effectis Diſſertatione rigoris & virium tonicarum naturalium fibrarum ex ſtructura earum absque fluidi nervei vel ſanguinei concurſu reſultantium nullam plane mentionem injicit: ad illas vero in explicatione actionum & morborum muſculorum itidem aliquomodo reſpiciendum eſſe, vel ſolus ille rigor emortualis poſt circuitum humorum omnimode ſublatum & mortem, etiam absque motibus convulſivis, dum homo animam agebat, contingens & permanens comprobat. Conſentit quoque inmortalis *Boerhaavius* Prælection. Academ. in propr. Inſtitut. rei Medicæ ab illuſtri *Hallero* edit. Volum. III. p. 391.

(*e*) Quomodo Paralyſis a fibris medullæ cerebri vel in toto vel ex parte compreſſis, nerviſque ob denegatum fluidi nervei ingreſſum infirmitatis & ab ordinaria tenſione deficientibus contingat, ſolide explicat *B. Verdriesius*, de Æquilibrio ment. & corp. p. 300. Hinc a vero minime aberrat. Clar. *Drummond* Scotus, dum in Obſerv. Edimburg. Tom. I. N. 25. paralyſin ab Apoplexia non niſi gradu differre adfirmat, cum quo eadem ſentit *Eyſelius* Compend. Pract. Cap. V. Non mirum itaque, quod in ægrotis paralyſi defunctis poſt mortem vaſa cerebri atro ſanguine turgida, & illius ventriculi ſero repleti deprehendantur, ut fide Pezoldi & Harderi refert *B. Hoffmannus* M. R. S. Tom. 3. Sect. I. Cap. 18. §. 39.

ſuetos artifices ab evaporationibus mercurialibus & ſaturninis ut plurimum paralyſi adfici elegantiſſimus *Ramazzini* Tractat. de morb. artific. paſſim indicat. Paralyſin muſculorum oculi ab ictu in caput vide ſis apud *Foreſtum* Libr. 10. Obſ. 89. Paralyſis corporis inferioris a vulnere ſclopetario aliiſve ictibus recenſetur a Felice *Platero* obſ. Libr. I. p. 129. & ſeqq. Idem pagina 136. paralyſin linguæ ab opio per clyſma infuſo ortam refert. Paralyſis a ſiniſtro Leucophlegmatiæ remedio adnotatur a *Rhodio* Obſ. Med. Centur. 3. Obſ. X. Paralyſin ex opiatis in colica copioſius adhibitis ortam indicat *Baglivus* Prax. Med. Libr. I. de colica p. 65. & apud *Schenckium* Obſ. Libr. I. de paralyſi plura deſcribuntur exempla paralyſeos ſeu pareſeos ex colica diuturna, mœrore, vel a violentia externa ortæ. Idem adnotavit *Lommius* Obſ. Med. Libr. 2. p. m. 74. Paralyſin a vulneribus capitis legimus apud *Scultetum* Armamentar. Chirurg. Part. 2. Obſ. 9. & 23. Paralyſin ex ſuppreſſione lochiorum obſervavit *Zacutus Luſitanus* Libr. I. Prax. admirabil. Obſ. 38. & *Fontanus* Reſponſ. Libr. I. p. 25. Paralyſin ex pleuritide ortam indicat *Riolanus* Encheirid. Anatom. Libr. 3. Cap. 9. Paralyſin ſeu Pareſin vino lithargyrio corrupto inductam recenſet *Lentilius* Jatromnemat. Med. pract. Part. I. Cap. XII. p. 74. ab exhalationibus piceis Cap. XIII. a frigore externo Cap. XCIX. Paralyſin a frigore ortam quoque conſiderat meritiſſimus noſter Brandanus *Meibomius* in Diſſertatione ægrum paralyſi laborantem exhibente Anno 1720. publicata. Paralyſeos ex venæſectione ortæ mentionem injicit modo laudatus *Lentilius* Eteodr. Med. Pr. p. 431. Paralyſin a lapſu & inde inducta ſpinæ dorſi inferioris fractura adnotavit *Th. Bartholinus* Centur. V. Hiſtor. VIII. Paralyſin a febre tertiana duplici deſcribit *Riverius* Obſ. 74. Cent. I. a puerperio Obſ. 98. Cent. 2. Paralyſin brachii ab epilepſia Obſ. communic. 2. Paralyſin partium inferiorum a luxata vertebra lumborum coxæ proxima videre eſt apud *Hoefferum* Hercul. Med. p. 29. Paralyſin ſcorbuticam nemo Medicorum ignorat, prout mihi inter alia ejuſmodi homo notus eſt, cui præter robur artuum a Scorbutica humorum dyſcraſia penitus fere deſtructum, tantus inſuper linguæ ſtupor ineſt, ut non niſi a cibis acerrimo aromate & ſale multo conditis ſaporem percipiat. De paralyſi a medicaminibus volatilibus nimis large propinatis videantur acta Berolinenſia volum. 7. Decad. I. p. 11. Paralyſis ab inſolita medullæ ſpinalis exareſcentia producta deſcribitur in Ephemerid. Natur. Curioſor. Volum. 2. Obſ. 2. Artus podagricorum denique paralyticos fieri, quod muſculos extenſores ſpectat, flexoribus ob æquilibrium deſtructum ſe eo vehementius contrahentibus, res vulgatiſſimæ experientiæ eſt. Paralyſin a vertebræ dorſi octavæ & nonæ carie exhibet *Cowperus* Anatom. corp. human. Tab. 93. Similem fere obſervationem ſiſtit *B. Crellii* noſtri Programma ſectionem puellæ gibboſæ recenſens An. 1745. publicatum. Paralyſin a gibbo annotavit quoque *Hildanus* Centur. 5. Obſ. 7. Hemiplegiam a ſuppreſſione fluxus hæmorrhoidalis idem Auctor libro de conſervanda ſanitate tradit. De pareſi ex colica peculiarem Diſ-

Diſſertationem ſcripſit *B. Schelhammerus* noſter. Paralyſin ſcorbutico leproſam videre licet apud celeberrimum *Alberti* in ſupra citata Juriſprud. Med. Part. 2. Caſ. XLIV. De pareſi ex colica & abuſu medicamentorum Narcoticorum non ſolum, ſed regiminis ſudoriferi quoque oriente agit celeberrimus *Junckerus* Conſpect. Med. Theoret. Pract. Tab. de paralyſi. Poſt dolores atrociores non Podagricos tantum, ſed cujuſcunque partis, paralyſin ſupervenire ex autopſia confirmat ill. *Hoffmannus* Medic. ration. Syſtem. Tom. 3. Sect. I. Cap. X. §. XXVI. Denique paralyſin ex ſphacelo artuum inferiorum corporis in puella 10. annorum a frigore externo inductam deſcribunt celeberrimi Collectores Actorum Edimburgenſium Medicorum Tom. I. Obſ. 36. Paralyſin autem pedis dextri a plurium muſculorum in eo defectu deſcripſit, & elegantiſſime explicavit *B. Saltzmannus* Præceptor quondam meus poſt fata venerandus in Diſſertatione elegantiſſima de plurium pedis muſculorum defectu. Plures fortaſſe cauſſæ paralyſin inducentes apud Auctores reperiri poſſent, ſi eos evolvendi tempus jam ſuppeteret. Hinc illud ſaltem adhuc adnotare liceat, quod obſtructio nervorum ab humore craſſo, viſcido, pituitoſo, plurimis pro cauſſa ſtuporis paralytici habeatur, illam vero haud facile contingere in nervis, amplitudo eorum exilis ingreſſum humorum craſſiorum excludens fidem facit. Ex eadem itaque ratione cauſſæ Guttæ ſerenæ, cujus ſupra aliqualem mentionem injecimus, potius in remiſſione toni vel compreſſione externa nervorum ciliarium aliorumque ad bulbum oculi deproperantium, qui indice illuſtri *Winslowio* Expoſ. Anatomic. T. IV. §. 224. 225. & 226. ad organum viſus & tunicam retinam conſtituendam plus, quam ſic dictus nervus opticus faciunt, potius quam in obſtructione eorum quærenda erit.

§. VI.

His de Paralyſi ejuſque diverſis ſpeciebus & cauſſis generatim præmiſſis, ordo expoſcit, ut nunc illud paralyſeos genus, quod mihi in hac Diſſertatione ventilandum propoſui, & cujus apud Scriptores Pathologicos rarior (*f*) mentio injicitur, uberius indicem. Accidit nempe in ægrotis, qui Dyſenteria epidemica, & qualis ut plurimum eſt, maligna gravius decubuerunt, convenientia vero remedia evacuantia præſertim rhabarbarina initio incurii vel omiſerunt, vel deinde tamen medicamenta adſtringentia & opiata nimis mature & larga doſi aſſumſerunt, ut fluxus ille doloris plenus & cruentus alvi quidem ceſſet, & ægri ad qualemcunque orthoſtadiam redire & ſe colligere videantur, ſimul vero immobilitate brachii in uno, & pedis in oppoſito corporis latere corripiantur, cum quo ſymptomate nonnunquam dolores arthritici ſatis acuti conjuncti ſunt, utplurimum vero integra fere ſentiendi facultas in illis evaneſcit: cujuſmodi tamen ægroti tam

(*f*) Apud *Lentilium* Jatromnem. Med. Pr. Part. 2. Cap. XXII. p. 477. occurrit paralyſeos brachii ſiniſtri dextrique femoris exemplum in puella 2. anni obſervatum.

tam facile non reſtituuntur, quam in quibus facultas ſentiendi adhuc aliquomodo ſuperſtes eſt, influxus liquidi nervei non penitus ceſſantis nuncia. vid illuſtris quondam *Wedelii* ſenioris Exercit. Medic. Philolog. Dec. 5. exerc. 2. de paralyſi torquente. Indicat enim hoc phænomenon, quod minimum per ramos nervorum cutaneos motus fluidi nervei adhuc continuetur. Hoc malum nunc in iiſdem membris ſemel adfectis ſubſiſtit, nunc vero alternatim illis relictis membra oppoſita occupat, & niſi convenienti medela tractetur, in paralyſin inſanabilem frequenter terminatur. Interim tamen, quum æque ac omnes paralyſeos ſpuriæ ſpecies non in morboſa adfectione totius principii nervorum, ut infra uberius probabimus, ſed in nonnullis tantum nervorum paribus morbum patientibus conſiſtat, ſemper facilius hic morbus quam paralyſes ab inſultu Apoplectico productæ curatur. Conferatur *Hoffmanni* Medic. ration. Syſtem. Tom. 3. §. 1. Cap. III. §. 41.

§. VII.

Obſervatur hic morbus ejuſmodi potiſſimum ægrotos corripere, qui abundantia ſanguinis cum cacochymia & acrimonia conjuncta laborant, iræ & potui ſpirituoſo ſæpe indulgentes, & inſultus arthriticos antea ſubinde experti, in confiniis ætatis virilis & ſenilis conſtituti, vel ulceribus quoque manantibus antiquis infeſtati.

§. VIII.

Licet vero in toto Schemate hujus morbi primo intuitu haud adeo multum inſoliti obſervandum occurrat, ætiologia tamen illius eo explicatu difficilior eſt. Conſtat enim ex Anatomicis (*g*) quidem, quod a medulla oblongata cerebri intra cavitatem cranii nonſolum ſic dicta IX. paria nervorum cum intercoſtali utroque & acceſſoriis octavi paris e theca vertebrali per foramen magnum oſſis occipitis reverſis formata, & per diverſa foramina egreſſa capiti, collo, eorumque partibus nec non viſceribus thoracis & abdominis in innumeros ramos diviſa, & ſibi mire implicata diſtribuantur: ſed quod etiam reliqua medullæ oblongatæ pars per foramem magnum oſſis occipitis ad thecam oſſeam a XXIV. vertebris & oſſe ſacro formatam deproperans, 32. nervorum paria per foramina lateralia vertebrarum & anteriora præcipue oſſis ſacri emittat, reliquis partibus colli & occipitis nec non eis, quæ cavum thoracis & abdominis efformant, artubuſque tam ſuperioribus quam inferioribus deinde diſtributa. Novimus quoque, quod mediante nervorum intercoſtalium, paris vagi & portionis duræ nervi acuſtici multiplici cum reliquis unione tam intime totius ſyſtematis nervorum nexus & harmonia ſtabilita ſint, ut ne mininus quidem nervi alicujus ramus

 lædi

(*g*) Conſulantur, ſi placet, Compendium Anatomicum Heiſterianum & Winslowianum, aut Vieuſſenii Neurograpia & Tabulæ Anatomicæ Euſtachianæ.

& morboſe paulo gravius affici queat, quin totum reliquum ſyſtema ſimul in conſenſum rapiatur, & varii motus anomali & ſenſationes moleſtæ in reliquo corpore humano oriantur. Neque nos latet, quod quam plurima machinæ humanæ ſanæ æque ac morboſæ phænomena pulcherrime ſane & evidentiſſime ſicut ex ſyſtematis vaſorum diſtributione, ita ex Anatomico illo nervorum & partium conſenſu a Medicis diverſis explicata fuerint. Prout verbi gratia tot aliis cedro dignis ingenii & doctrinæ monimentis immortalitati famæ dudum traditus Fridericus *Hoffmanus* jam Anno 1717. Diſſertationem conſcripſit & publicavit, de conſenſu partium præcipuo Pathologiæ & Praxeos Medicæ fundamento, ubi quam plurimorum morborum conſpiratio ex principiis Anatomicis & Phyſiologicis explicata legitur, licet hinc inde ingenio nimis indulſiſſe, nec veram partium ſtructuram ubique in conſilium vocaſſe videatur, dum inter alia §. XXXIV. p. 37. nervum intercoſtalem ad crura pertingere, & nervum anticum cruralem & poſticum conſtituere affirmat, & inde conſenſum inter pedes & caput deducere tentat. Quem præſtantiſſimum virum deinde alii, & inter hos adhuc recentiſſime illuſtris *Hallerus* feliciori ſucceſſu ſequuti fuerunt, & exquiſitam, qua pollent, ſtructuræ corporis humani cognitionem ad conſenſionem Pathologicam machinæ humanæ, ejuſque ſingularum partium inveniendam & exponendam accomodarunt.

§. IX.

Sic & experientiſſimus *Baglivus* Tract. de fibra motrice, dum de morborum ſucceſſionibus agit, §. 2. jam adnotavit, quod morbi partium e directo poſitarum dextri cum dextris ſiniſtri cum ſiniſtris infra ſupra & contra converti, & ad invicem mutari ſoleant, hujuſque rei teſtem ipſum *Hippocratem* Epid. 6. Sect. 2. excitat, de ſimultanea tamen & ſingulari ſuperiorum & inferiorum artuum oppoſiti lateris adfectione morboſa nihil ibi expreſſis verbis adnotatum deprehendas. Et tota die Hemiplegias, hemicranias alioſque morbos dimidium tantum corporis vel capitis latus infeſtantes obſervamus vel apud ingenioſiſſimum *Pechlinum* Libr. II. Obſ. LIV. uberius adnotatos legimus.

§. X.

Singula tamen hæc ad explicandam noſtri morbi cauſſam ſpecialiorem parum vel nihil lucis adfundere poterunt. Etenim autopſia Anatomica optimorum auctorum ſuffragio corroborata unumquemque quidem convincit, quod ex medulla ſpinali utrinque egredientia 4. inferiora cervicalia paria & primum dorſale nervorum par muſculis & reliquis partibus 2. artuum ſuperiorum fere maximam partem impendantur, & cuilibet brachio, plexu quodam inſigni formato, VI. fortes ſatis nervos ſuppeditent, quorum 2. in cute pro organo tactus & papillulis nerveis ſenſoriis conſtituendis diſperguntur, reliqui vero muſculis ibi ſitis, tunicisque vaſorum ſanguivehorum, perioſtio & medullæ oſſium potiſſimum dicati manent. Quævis vero extremitas corporis

Digitized by Google

poris inferior, cultro Anatomico illud itidem confirmante, nervos ſuos a crureo & iſchiadico omnium nervorum maximo accipit, quorum ille a primo, ſecundo, tertio, quarto & quinto lumbari & tribus vel quatuor ſuperioribus nervis ſacris oritur, hic vero ab inferioribus lumbaribus & ſuperioribus nervis ſacris componitur. Quilibet vero ex jam prolatis perſpicit, quod horum nervorum ex medulla ſpinali exortus & principia, tam longe a ſe invicem remota diſtent, ut nulla ratione comprehendi queat, quomodo a cauſſa quadam communi morboſa uno eodemque tempore ita adfici queant, ut reliquis corporis partibus & artubus integris, ſolum brachium unius & pes oppoſiti lateris exinde paralyſi affligatur. Et licet ſimul ex Anatomicis conſtet, quod nervi intercoſtales per totum ſuum decurſum cum omnibus medullæ ſpinalis nervis communicent, adeoque optimo jure inde ratio petatur, cur poſt colicam diuturnam & canalis inteſtinorum ac plexuum meſaraicorum, qui nervorum intercoſtalium ſoboles ſunt, ſpaſmum vehementem nonnunquam vel omnium extremitatum vel, quod ob vicinitatem majorem ſæpius accidit, pedum tantum paralyſis exoriatur. vid. illuſtr. *Vateri* Diſſertatio de conſenſu partium corporis humani Wittembergæ 1741. habita: in noſtro tamen morbo in contrarias partes actio nimis determinata eſt, quam ut a vaga ejuſmodi cauſſa commode deduci queat, quum unicuique conſtet, quod inter inteſtina & oppoſiti lateris artus nullus ſpecialis conſenſus intervenientibus nervis conſtitutus ſit. Ob eandem rationem elegantiſſima illa obſervatio Anatomico-Chirurgica doctiſſimi *Petiti* (*b*) vi cujus in læſionibus capitis extravaſationem ſanguinis medullam oblongatam comprimentem inducentibus utplurimum oppoſiti lateris corporis humani membra paralyſi afficiuntur, huc trahi nequit, quum in noſtro, quem explicandum ſumſimus, morbo caput intactum maneat, & nulla ægritudine incommodetur, ſed cauſſa mali in longe remota corporis regione quærenda ſit.

§. XI.

Nec ab altero communicationis partium corporis humani remotiorum inter ſe invicem medio, Syſtemate vaſorum ſanguivehorum nempe hic morbus certiorem ratione cauſſæ illum producentis explicationem lucratur. Arteriæ enim brachiales & crurales quam maxime diſſitis locis ex trunco communi arteriæ aortæ producuntur, venæ vero brachiales venæ cavæ ſuperioris; & crurales inferioris ſoboles ſunt, adeoque a nulla quoque cauſſa communi morbifica ſimul & ſolitariæ, reliquis ſalvis, affligi poſſunt. Et licet quod alias paralyſeos particularis ſpecies ſpectat *B. Hoffmannus* M. R. S. T. 3. S. 1. Cap. III. §. 41. rem acu tetigerit, dum *Hæc* ſcilicet ſpuria, inquit, *paralyſis quoque in colicis, cardialgicis & ſpaſmodicis gravioribus paſſionibus, ſi præſertim a ſanguinis reſtagnatione in plethoricis fiunt, originem ſuam ſæpiſſime*

O 2

(*b*) Vid *Winslowii* Expoſit. Anatom. Tom. 4. §. 110. conferatur vero ſimul *Morgagni* Epiſtol. Anatom. Operibus *Valſalvæ* ſubjunct. XIII. §. 14. & ſeqq ubi obſervatio illa Anatomica de decuſſatione fibrarum medullæ oblongatæ aliquomodo limitatur.

Digitized by Google

me trahit, quando nimirum ſanguis ad nervos vel etiam muſculos, qui manus & pedes movent, transfertur & ſtagnatione ſerum viſcidum deponit, quod membranis nerveis incumbens motus quidem impotentiam ſenſu tamen & dolore reſiduo efficit: Semper tamen in noſtro caſu quæſtio remanet ventilanda, quam ob rem hic morbus contrariorum adeo artuum muſculos reliquis intactis conſtanter infeſtet, in nullo arctiori nexu & vicinitate exiſtentium. Sic & imperium nervorum in arterias, quod alias maximum eſt, in artubus ceſſat, ex obſervatione illuſtris *Halleri* Diſput de nervor. imperio in arter. §. XI.

§. XII.

De canali inteſtinorum vero, quem in Dyſenteria primum affici nemo temere negare poterit, autopſia Anatomica docente novimus, quod ille ex v. tunicarum generibus membranacea, muſculoſa, cellulosa muſcularem utrinque obtegente, nervea, villoſaque componatur, vaſaque ſua ſanguifera ab arteria aorta & vena portæ, intervenientibus arteria cœliaca & utraque meſaraica, nec non ramis venæ portæ per meſenterium diſtributis, meſaraica magna ſcilicet & hæmorrhoidali interna nanciſcatur, nervos vero a plexibus meſaraicis inſignibus ab utroque nervo intercoſtali ſuppeditatis quidem accipiat, cum neutris tamen artuum vel ſuperiorum vel inferiorum inſigni aliqua ratione cohæreat.

§. XIII.

Sic & hepar biliſque utraque, quæ præter Naturam affecta in dyſentericis plerumque, præſtantiſſimis obſervatoribus Medicis teſtantibus, deprehenduntur, cum brachiis pedibuſque in nullo propinquiori cognationis nexu exiſtunt.

§. XIV.

Prout nulla ſufficiens quoque cauſſa allegari poteſt, quæ materiam morbificamDyſenteriæ, vel intempeſtivo adſtringentium uſu ſuppreſſam, & intervenientibus vaſis lacteis & venis meſaraicis in maſſam ſanguinis reſorptan, vel Metaſtaſi ſalutari illuc translatam ad artus contrarios determinet.

§. XV.

Interea quum nihil in machina corporis humani accidere queat, quod in partibus ejus vel ſolidis vel fluidis vel utriſque ſimul rationem ſufficientem non agnoſcat, & in omni paralyſi vel nervi vaſave aut fibræ muſculares præter Naturam nunquam non adfecta ſint, etiam morbus a nobis indicatus & explicandus in uno vel altero horum aut pluribus vel omnibus ſimul procul dubio radicabitur.

§. XVI.

§. XVI.

Ut itaque cauſſam proximiorem hujus ſymptomatis inveniamus, ad phænomena illud vel antecedentia, vel concomitantia inſequentiaque ante omnia attendendum erit. Hic vero ſe ſiſtit præcipue: copioſa evacuatio non fluidorum excrementitiorum ſolum, ſed liquoris & muci inteſtinalis quoque, nec non ſanguinis & fluidi nervei ob extremitates nervorum & vaſorum ſanguivehorum per tunicam villoſam & nerveam inteſtinorum diſtributorum in Dyſentericis arroſas & fauciatas (*h*) contingens. Porro prægreſſi ſpaſmi & dolores non potuerunt non inſignem naturalis toni dejectionem, ſicut in fibris muſcularibus & nervis inteſtinorum & meſenterii potiſſimum, ita in toto quoque reliquo ſyſtemate nervoſo efficere. Per oſcula vero vaſorum meſaraicorum venoſorum in cavum ductus inteſtinorum hiantium neceſſario humorum corruptorum illuc confluentium haud exigua portio ſimul reſorbetur, & in maſſam ſanguineam revehitur. Aderit itaque ſemper in ejuſmodi ægrotis maſſa ſanguinea impura, vapida, liquidi nervorum copia imminuta & impetus remittens, ac fibrarum nimia flacciditas.

§. XVII.

Quum itaque ex ſolo partium ſolidarum nexu, ut ſupra probavimus, hoc morbi genus explicari nequeat, agedum videamus, an ex hac fluidorum corporis conditione, & in partes ſolidas actione, cauſſa genuina illius facilius inveniri, & in apricum produci queat.

§. XVIII.

Novimus nempe ex Phyſiologicis principiis ſupra allegatis, quod ad functiones corporis noſtri tam vitales quam naturales, animaleſque perfecte exercendas præter partium ſolidarum integritatem potiſſimum utriuſque fluidi tam ſanguinei quam nervoſi nulla dyſcraſia laborantis ſufficiens copia & æquabilis per canales, quibus continetur, diſtributio requiratur. Conſtat porro ex effectis naturalibus, quod hæc duo vaſorum & fluidorum ſyſtemata in perpetuo reniſu conſtituta ſint, & quod ex perpetua æquilibrii illorum deſtructione & reſtitutione omnia phænomena corporis naturalia explicanda ſint. Scimus præterea, quod in actionibus voluntariis & motu præſertim locali animæ humanæ inexplicabilis quædam in fluidum nerveum efficacia, hujuſque inde producta major vel minor ad nervos quoſdam determinatio & ablegatio pro cauſſa genuina habenda ſit, quæ vi nervorum præ reniſu vaſorum ſanguivehorum prævalentiam procurando muſculos ad certas actiones & contractiones & motus partium, quibus inferuntur, edendos idoneos reddat.

 §. XIX.

(*i*) Hoc ita ſe habere, integræ tunicæ villoſæ particulæ & lamellæ in hoc morbo per alvum, infauſto omine, ſæpe excretæ nos dubitare non ſinunt.

§. XIX.

Adhæc ex Phyſicis certum eſt, quod in quovis corpore naturali cohæſio partium ejus in nulla alia re, quam in communi quodam omnium materiei illud componentis particularum verſus ſe invicem niſu conſiſtat.

§. XX.

Formatio corporis humani ſani exterius ſpectata nos quoque convincit, quod omnia in illo quam maxime ſymmetrice conſtructa ſint, ita ut dimidium & latus alterum hominis cum artubus adnexis dimidio oppoſito perfecte utplurimum mole & figura æquale ſit. Prout ex Anatomicis quoque manifeſtum fit, quod ſingulum corporis dimidium totidem fere vaſa ſanguiveha & nervos numero & diametro, directione & diſtributione, æqualia quam alterum accipiat, & totidem ac ſimilibus mole pondere & figura ordinario muſculis & oſſibus, quam alterum inſtruatur, reliqua vero viſcera quoque ita diſtributa ſint, ut nullum corporis dimidium alteri facile præponderet.

§. XXI.

Fluit ex his, niſi omnia me fallunt, conſequentia quadam naturali, quod corpore humano in ſitu erecto ad perpendiculum conſtituto, vel ad horizontem decumbente, cor in propellendo ſanguine per vaſa unius lateris ſeu dimidii corporis tantumdem reniſus experiatur, quam in altero, id quod de principii nervorum in ſyſtema ſuum actione pariter valebit.

§. XXII.

Quodſi jam ex Anatomicis nobis inſuper in memoriam revocemus, quod moles medullæ oblongatæ unius dimidii capitis æqualis ſit moli medullæ alterius dimidii capitis, adeoque tamtundem liquidi nervei quam alterum ex maſſa ſanguinis ſecernat, & quod fibræ medullares & nervi e dextro dimidio medullæ oblongatæ orientes ſint æquales mole & numero fibris & nervis medullæ oblongatæ ſiniſtri lateris corporis, facile convincimur, aliter fieri non poſſe, quam ut tanta ſanguinis inertia exiſtente, ut ſpiritus pro repletione ſyſtematis nervorum neceſſarii ex illo ſecerni nequeant, hic defectus in uno corporis latere eodem gradu quam in altero ſe exſerat & conſpiciendum deinde ſe præbere debeat, ita ut vel utraque brachia, vel ambo pedes, vel manus alterius & pes oppoſiti lateris facultatis ſentiendi movendique imminutionem vel totalem abolitionem patiantur.

§. XXIII.

Cauſſa genuina hujus mali, defectu ſcilicet liquidi nervei, ex principiis Ana-

Anatomicis & Phyſiologicis demonſtrata, non difficile erit ſymptomatum illud comitantium rationem reddere, cur ſcilicet a fluxu alvi in dyſenteria nimis mature cohibito hic novus morbus paralyſis ſæpe oriatur? Nulla enim alia hic cauſſa ſubeſt, quam quod ſic materia acris, impura, corrodens in canali inteſtinorum nonſolum incarceretur, ſed etiam virium imminutio ab opiatis incaute propinatis inſigni modo augeatur. Hunc enim verum medicamentorum opiatorum præſtantiſſimorum de reliquo, ſi recte adhibeantur, remediorum agendi modum eſſe, ut viſciditate ſua mobilitatem fluidi nervei impediant & illud quaſi ligent, ſicque ſenſum doloris quidem ad aliquod tempus obtundant, de reliquo vero maximam Naturæ humanæ vim in ægrotis debilioribus inferant, nemo negare poterit, qui ſuis oculis ad lectum ægroti ſæpius obſervavit, quanta totius habitus corporis immutatio & vigoris oculorum jactura viriumque ſuperſtitum imminutio poſt opiatum intempeſtive aſſumptum in plerîſque ægrotorum ſe ſpectandam exhibeat. Prout & alterius & contrarii priori phænomeni ratio non minus in propatulo eſt, cur nempe fluxu illo alvi cruento copioſo nimis diu durante abſque opiatis adhibitis ſimilis effectus paralyticus inſequatur? dum hoc modo una cum evacuatione illa cruenta inſignis ſimul fluidi nervei deperditio per nervos inteſtinorum ſauciatos contingit.

§. XXIV.

Dolores, quibus hæc paralyſis ſæpe ſtipatur, ut ſupra monuimus, ab aliquali fluidi nervei in nonnullas fibrarum nervearum & muſculorum influxus libertate ſuperſtite, & eorum ob antagoniſtarum inertiam ſpaſmodica criſpatura facta procul dubio derivandi ſunt, adeoque ſpem felicioris ſanationis in talibus ægrotis nonſolum ſuſtinent, ſed etiam in curatione Medicum eo magis admonent, quod ille in formatione indicationum non minus ad partis affectæ atoniam, quam ad ſpaſmos complicatos reſpicere debeat.

§. XXV.

Amiſſio facultatis ſentiendi conjuncta indicat, quod nervi cutanei non minus, quam illi, qui ad muſculos ablegantur, morbo correpti ſint, hos ultimos enim prioribus ſalvis, & illos ordine verſo nonnunquam ſolos corripi, probat obſervatio illuſtris *Heiſteri* perelegans monimentis Academiæ Naturæ Curioſorum quondam inſerta.

§. XXVI.

Sic quoque frigus membrorum ægrotorum in paralyticis noſtris obvium a motu ſanguinis tam circulatorio quam inteſtino per vaſa illorum retardato & imminuto; eorum flacciditas vero ab influxu liquidi nervei intercepto, & rigor

rigor eorundem denique ſubſequens a plerarumque fibrarum muſcularium contractione & motu nimis diu intermiſſo ſine difficultate, & maxima cum probabilitatis ſpecie deduci & explicari poterunt.

§. XXVII.

Neque Prognoſeos hujus morbi inventio ſuperioribus præmiſſis adeo multum negotii faceſſere poterit. Statim enim comprehendimus, quod in noſtro caſu, ubi totum ſyſtema nervorum ratione ſubſtantiæ ſuæ non ſolum integrum manet, ſed etiam tranſitus ſpirituum per pleroſque illius ramos illibatus relinquitur, præcipue in junioribus vel tamen vegetæ adhuc conſtitutionis hominibus ſpes reſtitutionis minus abjicienda ſit, quam ubi paralyſis a cauſſa quadam ipſas partes ſolidas nerveas deſtruente, vel principium commune nervorum comprimente, orta fuerit. Solum enim medico id curante, ut inertia humorum tempeſtive corrigitur, illique ita diſponantur, ut ſufficiens ſpirituum copia in cerebri cortice e ſanguine puriori & defæcato iterum ſecerni queat, maximum ſanationis momentum confectum erit. Interea quum probatiſſimis Medicorum pragmaticorum obſervationibus teſtantibus morbi omnes nervorum pertinaciores quam alii ſint, tonuſque eorum dejectus minus cito & feliciter, quam in fibris muſcularibus reſtituatur, ratio iterum in aprico poſita eſt, cur in valetudinariis, ſenibus aliiſque debilioris Naturæ hominibus hoc malum vel omni & optima medela adhibita ſæpe inſanabile fiat, & in Maraſmum, Hecticam vel inſultum Apoplecticum denique terminetur. Imo in noſtra paralyſeos ſpecie illud ſæpe quoque obtinet, quod Medici uſu medendi illuſtres in aliis paralyſeos ſeu pareſeos e morbis inteſtinorum exorientis ſpeciebus obſervarunt, quod ſcilicet ex recentes difficilius paulo, antiquiores vero facilius ſanentur. Quo plus enim temporis præterlapſum fuerit, eo magis per vires Naturæ machinæ humanæ ab auctore ſuo impreſſas maſſa ſanguinis ſenſim corrigitur &, conveniente præcipue Diæta & regimine accedente, ſpirituum copia ſenſim iterum imprægnatur in cerebro ſecernendorum, ut idoneo auxilio Medico ſubjuncto functiones partium eo citius reſtituantur, id quod tamen cum grano ſalis intelligendum erit, ne in ejuſmodi ægrotis neceſſaria medela nimis diu intermittatur.

§. XXVIII.

Quod ad ſanationem hujus mali ſpectat, naturali quadam conſequentia ex indole ejus præcedentibus paragraphis abunde declarata fluit, quod Medico hic maxime curæ cordique eſſe debeat I. ut defectus fluidi nervei reſarciatur, motuſque ejus vividus per nervos & muſculos inſtauretur. II. ut copia humorum inertium in membris paralyſi adfectis eorumque vaſis coacervatorum & actioni nervorum retinentium imminuatur, & ab inde revocetur. III. ut tonus nativus fibrarum amiſſus reſtituatur. IV. ut ſpaſmi concurrentes leniantur.

§. XXIX.

Digitized by Google

§. XXIX.

Ut primæ indicationi ſatisfiat, ægro diæta euchyma & eupepta ac moderate aromatica cum uſu vini generoſi Medico potiſſimum commendanda eſt. Abſit omne frigus nervis tantopere inimicum & humectatio membrorum aquoſa. Animus ſit tranquillus ad ſpem & hilaritatem potius, quam ad mœſtitiam compoſitus, paralyſin lætitia ſanatam enim apud *Gaſſendum* in vita *Peireſcii* Libr. IV. p. 26. legimus, ira vel terrore ſanatam vero refert *Valeriola* Lib. II. Obſerv. IV. prout paralyſin fiducia & imaginatione curatam, ſed deinde fortiori illa mentis idea alia contraria deluſa & ſublata recurrentem apud *Pechlinum* Obſ. XXXII. Libr. 3. reperire poſſumus. Cruditates a tono ventriculi & inteſtinorum adhuc debili generatæ remedio laxante rhabarbarino ſubinde eliminentur. In ſubſidium ſimul vocentur medicamenta nervina roborantia & ſpeciatim Eſſentia ſuccini, liquor cornu cervi ſuccinatus, Tinctura tonico nervina Stahlii, Tincturæ ex antimonio vel tartaro paratæ, liquor quoque anodynus mineralis Hoffmanni, ſpiritus & ſalia volatilia ex ſale Ammoniaco confecta hic nunquam negligantur.

§. XXX.

Secundæ indicationi ut ſatis fiat, nihil præſtantius eſt, quam ut venæ ſectio revulſoria (k) in pede vel brachio ſano ſimul in ſubſidium trahatur, quæ eo abſolutius neceſſaria eſt, ſi æger manifeſte plethora & quidem, ut utplurimum fit, cum cacochymia conjuncta laboret, Dyſenteriaque febre acuta ſtipata, neque tamen ſub initium morbi illius primarii iſta operatio Chirurgica facta fuerit. Interea ratio ſuadet, quod intuitu quantitatis ſanguinis emittendi ſemper ad vires Naturæ in ægroto ſuperſtites ſimul maximopere reſpici debeat.

§. XXXI.

Ad tonum amiſſum partium afflictarum reſtituendum præter medicamina nervina interna ſuperius commendata exterius medicamenta ſpirituoſa roborantia cum demulcentibus maritata potiſſimum adhibenda erunt. Inſtar omnium hic laudari merentur ſpiritus vini camphoratus & crocatus cum oleo lumbricorum terreſtrium & ſpiritu ſalis Armoniaci. Præcipue vero Unguentum nervinum officinarum, quod optimus *Sydenhamius* Proceſſ. integr. in morb. omn. curand. p. m. 721. jam commendavit, cum pinguedinibus

(*k*) Utpote qua a ramo oppoſito tantum ſanguinis revellitur, quantum in illum, ubi reſiſtentia debilitata eſt, derivatur. Conferantur Chevalierii Animadverſiones criticæ in Tractatum de uſu diverſarum venæ ſectionis ſpecierum in Novis Actis Eruditorum Lipſienſibus A. 1732. menſ Mai. p. 229. & ſeqq. recenſitæ ut & illuſtr. *Morgagni* Epiſtol. Anatom. ſupra allegat. §. 24.

animalibus recentibus, medulla caſtorei & oleis nonnullis deſtillatis cephalicis & nervinis combinatum, & juncturis membrorum paralyſin patientium calide illitum hic egregie ſe gerit, præſertim ſi ſacculi ex herbis nervinis & paregoricis confecti & calefacti aut alia epithemata calida ſicca quovis vice ſuperaddantur.

§ XXXII.

Ad quartam indicationem pulveres nitroſi lumbricales bezoardici fixi cinnabarini liquori cornu cervi ſuccinato inter poſiti, & per aliquod tempus continuati, ſubjuncto leni regimine diapnoico, quam maxime præſtantes ſunt, prout experientia in univerſum confirmatur, quod ſanitatis redire incipientis ſignum ſit, ſi ægroti his adſumtis in parte adfecta æque ac in toto corpore leni ſudore perfundantur.

§. XXXIII.

Juvat quoque membra paralyſi affecta prævia frictione linteis fumo gummatum anticatarrhalium imbutis calidis inſtituenda leni ſubinde flexionis extenſioniſque motu reciproco exercere, tum ad Synoviam in articulis membrorum reſolutorum collectam & inſpiſſatam attenuandam, & ulteriorem ejus coagulationem impediendam, tum etiam ad motum progreſſivum ſanguinis per vaſa illorum promovendum. (*l*) Quibus non ſufficientibus & contractura membrorum cum articulorum rigore ingruente ad Thermas denique confugiendum eſſet ab illuſtri *Hoffmanno* de convenient. element. ac virium in Thermis & acidulis §. XXXVI. ad hunc finem impenſe commendatas, quas tamen in ægrotis hoc morbo laborantibus mihi notis adhibere haud opus fuit, utut morbo exantlato uſus Acidularum Schwalbacenſium ad priſtinum Naturæ vigorem recuperandum in eis adprime contulerit.

Et hæc eſt ſimplex, vera & brevis illa hunc morbum curandi ratio, quam autopſia confirmatam hac vice cum benevolo Lectore communicare voluimus, miſſis eis, quæ ex aliorum eorumque præſtantiſſimorum virorum penu Pathologico & remediorum adparatu hinc inde colligi & ſubjungi potuiſſent.

(*l*) Vid. *Nicolai* poſt fata celeberrimi Diſſ. de Directione vaſorum §. 19. *Celſus* Cap. XXVII. in paralyſi præter ſanguinis detractionem potiſſimum commendat evitationem frigoris ac ut membrum, quod deficit, ſi poteſt fieri per ſe, ſin minus, per alium moveatur. Reliqua quæ laudat, ſunt: aeria torpenti membro impoſita, unctio veteri oleo facta, fotus.

SAM

VIII.

SAM. THEODORI QUELMALZ

PROGRAMMA.

DE

MUSCULORUM CAPITIS

EXTENSORUM PARALYSI.

Lipſiæ 20 Dec 1754.

Triſtem dixeris aſpectum hominis, qui, dum cœlum tueri & ad ſidera tollere vultum jubeatur, ſemper tamen contrarius faciem terræ obvertere nitatur. Pellio urbis cujuſdam vicinæ, quinquaginta aliquot annorum, quibuſdam abhinc annis eam incurrit debilitatem ſenſim ſenſimque increſcentem, ut vel ipſis laboribus, ab ipſo ſuſcipiendis, inhærens ſtrenue capitis pedetentim inſequentem demiſſionem inferiora verſus adeo experiatur, ut oculi pariter ac univerſa facies ab opere avertantur, terram potius ac proprium corporis truncum verſus flectantur. Quod cum ſe elevare inque priorem erectum ſtatum ope muſculorum reſtituere nequeat, manuum opera ſemper indiget. Ac tametſi ceteras corporis functiones ſatis commode exerceat, immo aliquot milliarium itineri pedeſtri ſuſtinendo aut colloquendo cum aliis par ſit, capiti tamen hunc ſuum naturalem ſitum erectum manus alterius auxilio reddere, aut ſuppoſita eadem, ne denuo invito procidat, idem ſuſtinere tenetur. Quam ob rem ne opificio ipſius, quod exercet, affectus obſit tædioſiſſimus, loro cuidam ex parietibus conclavis eum in finem utrinque excurrenti mentum ac mandibulam inferiorem applicat, ſicque ſuſpenſum tenet caput, ut laboribus ſtrenue magis præeſſe poſſit. Nec abſimilem affectum, dum annis abhinc pluribus alius ægrotantis in hac urbe curam gero, in ſutore, ſene ſexagenario & ultra, ex apoplexia paralytico, reperio. Hic namque ſedendo de die, miſeram tranſigebat vitam caput ſenſim ac eo uſque demittens, donec, facie pectori proprio propemodum obverſa, ac trunco ejuſdem in globoſam pæne figuram immutato, metum faceret, ne pronus præcepſque de ſella, caput ſolo illidens, prolaberetur. Qua de re, ſonum quendam muſſitando edens, aphonus uxorem de iterum erigendo capite monebat, quæ præcepto obtemperans accurrebat ocyus, dextramque fronti applicans caput una cum univerſo trunco erigebat, totieſque ipſi labor actus redibat in orbem, quoties idem capitis prolapſus, qui intra horæ unius ſpatium pluries repetebat, humanitatis hoc officium denuo efflagitaret. Cuius cum pertinaciſſimus graviſſimuſque morbus limites artis medicæ maxime emenſus eſſet, me haud diſtinebat, in priorem potius oculi animuſque convertebantur. Equidem ea eſt capitis cum prima colli vertebra connexio, ut condylis ſuis occipitalibus glenoideæ atlantis cavitati inſiſtens, cum ponderoſior ipſius pars anteriora verſus maxime inclinet, æquilibrium exacte ſervare nequeat. Fieri hinc aliter nequit, quam ut in ipſo ſtatu ſecundum naturam, extenſoribus muſculis minus agentibus, anterius flectatur, facieſque terræ obvertatur. Quod ipſum ſomno profundiori appreſſis obvenire, quotidie animadvertimus, quippe qui ſedentes, capite maxime declinato, prolapſum de ſella præſentibus minari non raro conſueverunt. Nec minus illos, quibus vires per ſenectutem fractæ ſunt, demiſſo capite obverſoque terræ, cui proxime exuviæ eorum committendæ ſunt, ex eadem muſculorum extenſo-

rum impotentia incedere conſpicimus. Quiſquis porro dictos muſculos cum ipſis ejus flexoribus comparat, hos quidem numero illis cedere, nihilominus tamen ob mox allegatam rationem, ſcilicet ob præponderantem capitis molem, magis, quam viribus ſuis propriis multis paraſangis illos vincere reperiet. Paullo aliam rei faciem conciliari videri poterat, ſi maſtoideum, ſeu alio nomine ſterno clino maſtoideum muſculum flexoribus ſurripiam, eumque, pace Anatomicorum contrarium aſſerentium, extenſoribus, potiori jure adſcribere annitar. Scilicet primæ colli vertebræ ſuperior cavitas, condylos occipitis excipiens, accedente ligamento firmiſſimo, eorum hypomochlium, nemine contradicente, conſtituit. Oriuntur jam iidem a clavicula & ſterni ea inciſura, quæ illius extremitatem rotundam excipit, duplici quaſi principio ceu a puncto fixo, progrediuntur utrinque, longi ſatiſque craſſi, ductu obliquo, ad proceſſus uſque maſtoidei oſſis temporum ſuperiorem ac poſteriorem partem, ejuſque lateri externo, ceu puncto mobili, notabili poſt hypomochlium indigitatum ſpatio, inſeruntur. Fieri hinc aliter nequit, quam ut conſtrictione ſuarum fibrarum, ſeu actione, caput elevent erigantque. Ne quis dubitationis relinquatur locus, ego anatomen olim diſcentibus tradens, ſequens non ſemel in ſceleto inſtitui experimentum: Recepi duo lintea vel funiculos, ejuſdem & latitudinis & decentis longitudinis, alteriſque extremis eorum ope emplaſtri glutinantis ſeu catagmatici, origini ſeu ſterno cum clavicula connexo, alteris inſertionis loco indigitato, ſeu poſt proceſſum maſtoideum agglutinatis manuum digitis poſtmodum applicatis ambobus funiculis lenique tractione, æqualibus viribus ſuſcepta de capitis inſecuta extenſione, per autopſiam abunde convictus ſum. Alium paullo futurum eſſe effectum cum alteruter ſaltem actioni præſit, altero quieſcente, cum æquilibrio ſic ſublato, moles capitis propria inclinet in latus, largior lubentiſſime. Quibus ſic conſtitutis, reliquis caput extendentibus muſculis tantum accreſcere roboris, quantum continua eorum actio interdiu vigiliarumque tempore poſtulet, ſicque proportionatas magis moli ſuſtinendæ exiſtere vires putare quis poſſet, quo hoc pacto id obtineretur, quod in indigitatis præciſe muſculis, præ ceteris pleriſque, prætendimus, ut nimirum, ſive pedibus inſiſtentes, ſive ſedentes erectum corporis ſitum teneamus, illi tamen utcunque ſine intermiſſione actioni ſufficiant. Aſt quæ tunc obtinet difficultas, ſi actio quædam ope muſculorum ad eandem præſtandam conſpirantium diutius paullo, abſque antagoniſtarum relaxatione protrahi debeat, quamque ab eadem ſæpius inviti deſiſtere cogamur, tunc perſpicue deprehendimus, ubi manibus brachiiſque exporrectis pondus vel molem quandam elevatam diu in ſuſpenſo tenere ſuſcipimus. Illa namque a tergo ſuccedens ſanguinis quantitas, a corde in arterias propulſa, eam efficit in vaſis arterioſis ac venoſis muſculi expanſionem, quæ nervis comitibus, ſive perpetuo ſimul excurrentibus, perque muſculorum ſubſtantiam una cum dictis vaſis ſanguiſluis diſtributis, preſſionem, per hanc hebe-

hebetudinem, inſimulque ab officio remiſſionem inducere potis eſt. Quæ mecum curatius perpendens, quam dicti muſculi, capiti extendendo dicati, muneri tamdiu ſuſtinendo partes exiſtere queant, vix intelligerem, niſi aliqualem eorundem remiſſionem ex ſitu capitis, jam ad dextram jam ad ſiniſtram partem, jam antrorſum, jam retrorſum mutato, ad quem mechanica neceſſitate quadam idem diſponi videtur intercurrere, ſanguiniſque circuitum ea ipſa liberiorem reddere animadverterem. Fallor ego, aut eo ipſo præ aliis perennans magis actio indigitatorum muſculorum, indeque inducta major debilitatio, prolapſus illius capitis apertam conſtituit rationem quæ, præſente ac increſcente virium quadam per morbos aut per ſenectam proſtratione, non obſcure deprehenditur. Attamen graviorem in adductis exemplis obtinuiſſe cauſam, eamque, quæ paralyſi tantum non producendæ ſufficiat, extra dubitationis aleam eſt poſitum. Cum interim alterum, de quo inprimis ſcribere ſuſcepi, ex adductis ſubjectis nec ſenſu nec motu in affectis partibus deſtituatur, ſed caput ſemel erectum per breve tempus in hoc ipſo ſitu conſervet, donec ſenſim ſenſimque prolabatur anteriora verſus, imo ſermones cædendo cum aliis, voluntate efficaciter reſiſtente, tardior eadem demiſſio accidat, non obſcure pateſcit, dicendam eſſe paralyſin gradu leniorem. Plenariam enim nervorum obſtructionem, quæ omnem per eos ad muſculoſas partes intercipit ſpirituum influxum, accuſare, nec non ſanguinis per arterias ad eaſdem propulſionem ex allegatis rationibus prorſus in dubium vocare nolim, eoque minus, cum nec ullum ariduræ in hac colli regione, vel manifeſti frigoris veſtigium percipiatur. Satis proinde eſt, inſignem muſculorum ſæpius allegatorum atoniam, aut quandam modo reſolutionem, vel, ut aliter exprimam, deſtructum elaterem allegaſſe ad effectum hunc morboſum inducendum, utut non vanis ex rationibus metuendum, ne ſucceſſive magis magiſque increſcente ætate obfirmetur affectus, inque perfectiſſimam, convulſis ſimul flexoribus colli, degeneraturus ſit paralyſin. Qualem miſerrimum conſpectum laterarius ille, qui annis abhinc ſedecim & quod excurrit adeo deflexo capite ac collo hic incedens, ut magis horizontali linea & vere infra eandem promineret, ut nullo unquam tempore erigi potuerit offerebat, cujus iconem una cum affectus triſtiſſimi deſcriptione commercio literario norico tunc inſerui. Sunt nimirum nonnullorum hominum, frequenter cum morbis conflictantium, inprimis hypochondriacorum ac hyſtericorum corpora ſtriata minus firma, ● inſtar amurcæ, diſcolora, ſæpe poſt mortem inſtituta in iis anatome practica, reperta, nec niſi ſtriis fere extinctis obliteratiſque apparentia. In noſtro ſubjecto haud parum malo anſam præbuiſſe naturalem frigidiorem temperiem, abundantemque ſeroſorum fluidorum lentorem, ſeu pituitæ copiam, ſigna evidentiſſima commonſtrant. Cui ſi jungantur vapores humidi pingueſque, quibus opificio huic dediti crebro exponuntur, cæteraque ſubinde vitia, quæ rerum non naturalium indecenti applicationi debentur, quæ accumulatim

neo;

nem & inſpiſſationem feroſorum efficiunt humorum, quæque jam fibrillas nervoſas inundare quaſi, jam comprimere valent, ægritudini pertinaciſſimæ pernicioſiſſimæque porta facillime pandi potuit. Qui vero integris relictis ceteris partibus, illa præciſe nervorum paria, quæ a medulla ſpinali colli prodeunt, quæque ramificationibus ſuis diſperſis quaquaverſum, uti univerſis capitis muſculis, ſic ſpeciali modo ſaltem extenſoribus illis proſpiciunt, labefacta ſint, obſcurum magis videtur, exactiſſimamque vitæ generis ac conſuetudinis cognitionem pro ſui recluſione poſtulant. An porro multum ab hoc affectu abludat capitis tremor ſenibus nonnullis infirmiſque aliis poſt ſuperatos morbos familiaris, dubito eoque magis, cum toties interceptam extenſorum muſculorum actionem denotet, quoties anteriora verſus proprio pondere caput ruere nititur, totieſque reſtitutam horum actionem indicet, quoties a demiſſione remittit caput, iterumque elevatur. Ex ante dictis ſatis apparere puto, quare flexorum muſculorum capitis mentio hic ſit injicienda prorſus nulla, cum a parte anteriori ſola præponderans capitis moles extendentium muſculorum robur ſubinde vincat, flexorumque actionem repræſentet. Quid ergo impedit, quo minus & hic antagoniſmum ſine muſculis oppoſitam in actionem nitentibus ſubeſſe declaremus? Cui affectui partim inopiam liquidi nervoſi, partim laxitatem nervorum cauſam ſufficientem præbere, vinum, decenti modo copia aſſumtum, evincit, cujus nempe uſum hujus ipſius tremoris capitis ceſſatio, mirando modo, excipit tamdiu, donec virtus ſpirituoſi hujus liquidi avolaverit. Qua occaſione meminiſſe expedit ſenis, ultra ſeptuageſimum annum ætate provecti, qui, tremulum inſignem manuum pariter ac capitis motum præ ſe ferens, poſt mediocrem tamen vini uſum firmum obtinebat caput firmaſque manus, ut, quod antea vacillatio denegabat, librum canticorum in templo manibus firmiter ſatis tenere, vel cyathos decoctum Caffée vel infuſum foliorum Théæ continentes apprehendere, orique admovere jam rectius valeret. Quid? quod cum anguſta res vix generoſum huncce potum ulterius ei concederet, ad ſpiritus frumenti ſicque dictarum aquarum vitæ moderatam aſſumtionem progredi coactus, non abſimilem inde virtutem experiebatur. Quodque ſimul obſervatu digniſſimum mihi ſemper habetur tantam, determinatis horis perdurantem, ſyſtematis nervoſi ſtricturam idem inde percipiebat, ut elapſis iiſdem, partibuſque ſpirituoſis ac ſubtiliſſimis exhalatis infamis ille tremor repeteret, novamque ſubinde [illegible]oni partium roborationem ex iiſdem ſpirituoſis efflagitaret. Ut ad caſum, in medium allatum, revertar, qui æger a majori mali incremento; vel nova ejus exacerbatione, quod tamen in apoplexiæ ſpeciebus ſæpe obvenit, tamdiu immunis vixerit, mirum videri poterat. Nec inficias eundum, illarum partium ſolutiones paralyticas, quarum nervorum cauſa in cerebello atque cerebro latitat, quarumque materies nervos partium vitalium, cordis

dis puta & reſpirationis, vel functionum naturalium, manducationis, deglutitionis, chylificationis, ſecretionum variarum, vel etiam faciei muſculorum obſtruit atque invadit periculo majori, eique ut plurimum præſentiſſimo, minimum repetitioni graviori ægros exponere certiſſime. Quorum contra ea capitis ſolum motioni dicatos muſculos tangit, qui nervos ſuos colli paribus debent, nec adeo repentinam, nec repetitam perniciem ſubire deprehenduntur. Mitiùs adeoque prognoſticum etiam de noſtro formari quidem poterat, difficiliorem vero ipſius medelam futuram non minus intelligebam. Allectus igitur rumore, quem tot electricæ commotiones hiſce annis fecerant, undique ad nos allato, ex me ſciſcitatus eſt, annon ex valida hac vi, nuchæ ac partibus affectis applicita, ſalutis quædam ipſi affulgeat ſpes. Ego vero multiplici experientia edoctus, quid valeant electricæ hæ vires, quid ferre recuſent, dubium ſincere profeſſus ſum hoc, quicquid eſt, remedii genus, de quo certi quid prædicare haud liceat, utut ſine metu, vel offenſa ſanitatis, vel alicujus periculi, ad partes ægras dirigi queat. Ipſi nihilominus fiduciam omnem collocanti in illam commotionem, ſat validam eandem in partibus, atonia oppreſſis, excito, eamque aliquoties inſequenti tempore repeto. Cumque ſe parum inde adjutum profiteretur, verendumque eſſet, ne prolixioribus paullo medicationibus, requiſita cum patientia, minus morem ſit geſturus, autor ipſi exſtiti ſuaſorque, ut, faventi anni tempore, thermas adeat Tœplicenſes, iiſque, ut decet, ac ſufficienti tempore, utatur. Quibus, ex parte, quod ex eo percepi, ſic profecit, ut ulteriori, non minus efficaci, medelæ ſe ſubjicere hactenus minus geſtiat. Tantum interim abeſt, ut animo excidere, omnemque, niſi integræ ſalutis recuperandæ, majoris tamen ſolutarum partium refectionis ſpem deponere debeat, ut potius varia a ſummo Numine nobis conceſſa media ſuperſint, quibus, non ſemel, haud abſimili mortalium fragilitati multum ſubvenire datum fuit. Nec omnes illi gratias denegandas eſſe opinor, qui præſentem leniorem affectus moleſtiſſimi conditionem, increſcentibus magis magiſque annis diutius tueri ipſo opere, ac experientia fretus ſtudet.

FINIS.

HENR.

Digitized by Google

IX.

HENR. LUDOLPH. HARMES

DISSERTATIO

IN CAUSAS MORBORUM

ET

MORTIS SUBJECTI CUJUSDAM

MANIACI.

Regiomonte 30 Jun. 1744.

Digitized by Google

DEFINITIO.

§. I.

MUlier *Maniaca*, dicitur ea quæ mania laborat. *Mania* vero audit ille morbus, quo homines perpetuo delirant, & nunquam ſe deliraſſe ſentiunt.

SCHOLION.

§. 2. *Vocabulum* mania *græcos agnoſcit natales*, & *latine furorem ſignificat, ſumiturque pro quovis delirio, ſive ſit melancholicum, ſive in majori gradu, quod a medicis maniacum vocatur. Qui igitur hocce morbo laborat, μανιακὸς, maniacus, inſanus, furibundus appellatur.*

DEFINITIO.

§. 3. *Delirium* eſt morbus, quo rectus rationis uſus impeditur. *Delirare* is dicitur, qui delirio laborat.

DEFINITIO.

§. 4. *Inflammatio*, eſt ſanguinis arterioſi in minimis canalibus congeſti, illoſque obſtruentis preſſio & attritus, vel à vaſorum coarctato diametro, vel à nimia ſanguinis denſitate ortus.

DEFINITIO.

§. 5. *Vermes quos inteſtina C. H. in ſe continent*, ſunt inſecta, ex ſeminio verminoſo ab extra in illa delato, ibidem per aptum humorem & calorem fota, ex ovulis excluſa, ac nutrita, ſuntque triplicis generis: alii enim vocantur *Lumbrici*, qui longa ſunt, teretia, & lumbricis terreſtribus ſimillima inſecta, alii iterum lati & aliquot ulnas longi, qui *Tæniæ* nominantur, alii denique ſunt teretes & breviſſimi, vermiculis in caſeo habitantibus, *den Käſemaden* ſimiles, qui *Aſcarides* audiunt, & tantum in inteſtino recto latitant.

SCHOLION.

§. 6. *Plura quidem adhuc in C. H. vermium dantur genera, in aliis autem partibus domicilia ſibi exſtruentia; nec quoque me fugit, inteſtinorum vermes ab aliis auctoribus in plures dividi ſpecies: de his autem omnibus hoc loco*

 men-

mentionem facere ſupervacaneum & a ſcopo nimis alienum arbitror. Sufficit tantum de inteſtinorum vermibus dixiſſe.

DEFINITIO.

§. 7. *Purulentum* dicitur id, quod pure repletum eſt, *Pus* autem vocatur pulticula illa lenta, quæ ex vaſis minimis obſtructis & materia ipſa obſtruente, ſub actu ſuppurationis ita contritis & mixtis conſtat. *Suppuratio* autem eſt inflammationis per lenem putrefactionem & vim vitæ in pus mutatio.

DEFINITIO.

§. 8. *Pus bonum* audit, ſi album & ab omni rodente acrimonia & fœtore liberum eſt. *Malum* vero, ſi alium colorem, fœtorem, & indolem limpido-acrem corroſivam acquiſivit, aliaſque etiam *Ichor*, *Sanies* nominatur.

DEFINITIO.

§. 9. *Scirrhoſum* eſt illud, quod ſcirrho laborat, *Scirrhus* autem eſt tumor præternaturalis, non dolens, in parte glanduloſa, aut in folliculis arteriolarum excretoriis, ortus à materia inflammante, craſſa, obſtruente, omni liquido orbata.

DEFINITIO.

§. 10. *Oedema pedum* fit, quando pedes ab infima extremitate verſus ſuperiora tumore elevantur molli, æquali, pallido, frigido, aquoſo, digito cedente, impreſſionis tenaci, in abolita etiam corporis mole hærente, ubi nullus jam humorum per vaſa motus adeſt, cujus mole & pondere minora comprimuntur vaſcula, quique originem ducit ex collectione ſeri ſub cute in ſubſtantia celluloſa panniculus adipoſus nominata, ut & in ejus prolongationibus in interſtitiis muſculorum.

SCHOLION.

§. 11. *Vocem* œdema, *non niſi à græco* οἰδέω, *tumeo*, *derivandam*, *nemo credo inficias ibit, quod autem pedum tumor inprimis ſibi hoc nomen vindicaverit ejus ratio in eo latere videtur quod apud veteres græcos, homini cuidam, nomine* œdipus *funis per pedes trajectus fuerit*, *cui immortuus eſt*, *unde Græci per longum tempus pedum tumorem* œdipum *vocarunt*, *quæ tandem vox in* œdema *mutata proprie magis dictum morbum denotat. Incidenter hic mentionem facio* œdema *dari duplicis generis*, *aliud eſt* frigidum *quod ſub calore diſparet*, *ſub frigore autem augetur*, *& ab impedita tranſpiratione oritur*, *hacque reſtituta ceſſat*; *aliud eſt* calidum *quod ſub calore increſcit*,

à frigore autem imminuitur, & potius ex atonia cutis provenit, quæ in tali ſtatu appulſui humorum reſiſtere adeoque impedire nequit, quo minus ſub illa ſerum ſeparetur & colligatur. Hanc œdematis differentiam magnæ certe in praxi clinica utilitatis nemo tam bene obſervavit ac Celeberrim. Scharſchmidt. (*a*) *qui optimas ex hac diſtinctione elicet cautelas practicas.*

OBSERVATIO.

§. 12. Offerebatur Anno hoc 1744. d. 11. Jan. Excellentiſſimo in Academia noſtra anatomes Profeſſori ordinario *Chriſt. Theoph. Büttnero*, in theatro anatomico cadaver mulieris maniacæ, in noſocomio demortuæ, quod ſequentia notatu digna exhibuit; (1) in cavitate inteſtinorum continebatur ingens copia tæniarum, & pauci lumbrici, (2) glandulæ meſenterii obſtructæ & induratæ videbantur, (3) ingeſta in ventriculum & ex eo in inteſtina protruſa, uſque ad eorum exitum, ab admixto chylo nondum ſecreto, alba prorſus apparebant, (4) inteſtina ipſa à flatibus mirum in modum expanſa in quibuſdam locis inflammata erant, (5) cerebrum ſimiliter inflammatione affectum cernebatur, (6) in cujus ventriculis anterioribus ſerum extravaſatum fluctuabat, (7) totumque fere ſinum falciformem longa carnoſa ſanguinis concreſcentia replebat, ut & lateralem ſiniſtrum, nec minus dextrum licet parvus tantum in cujus fine grumoſus coagulatus ſanguis hærebat, (8) pulmonum tota ſubſtantia purulenta, & ſacculis ſcirrhoſis, pus in ſe continentibus obſeſſa, & ſuperficies eorum externa nondum quidem rupta, pleuræ autem accreta erat, (9) pedes œdemate turgebant, (10) totum denique corpus aliqua adhuc pinguedine in tunica adipoſa gaudebat.

SCHOLION.

§. 13. *Ferax eſt hic caſus utiliſſimarum obſervationum, quæ explicandis multis phænomenis, & intelligendæ veræ morborum origini apprime inſerviunt. Occaſionem igitur præbet, inquirendi in veram morborum originem quibus hæc perſona in vita ſua afflicta fuit, & in cauſam mortis, & oſtendendi artem medicam firmiſſimis inniti fundamentis, medicumque rationalem quorumvis etſi maxime complicatorum morborum cauſas ac rationes reddere poſſe. Ordinem ſervabo in explicatione horum morborum eandem quem* §. 12. *ſecutus ſum, ſicque à vermibus jam initium capio.*

DEFI-

(*a*) *Scharſchmidt* mediciniſ*ch.* *und* chirurgiſ*ch. Berliniſch. wochentliche Nachrichten 3ter Jahrgang, 2tes Stück, in der fortgeſezten Uunterſuchung der Frage: ob und wie es zur geſundheit diene, die füſſe beſtändig warm zu halten.*

DEFINITIO.

§. 14. *Cauſa proxima*, eſt illa quæ propria vi, nulla alia inſequente cauſa, effectum ſuum edere valet. *Remota*, in qua ratio cauſæ proximæ latet.

AXIOMA.

§. 15. Vermes inteſtinorum, nutrimentum ſuum capiunt, vel ex alimentis ſemidigeſtis, vel his deficientibus, ut ipſa arrodant inteſtina neceſſe eſt.

AXIOMA.

§. 16. Ingeſta, quæ in inteſtinis hærent, conſtant ex chylo, qui corpori nutrimentum præbet, & lacti ſimillimus eſt liquor, & ex fecibus, quæ nutrimentum dare nequeunt.

COROLLARIUM.

§. 17. Vermes nutrimentum capiunt ex ingeſtis in inteſtinis hærentibus, (§. 15.) hinc vel chylo, vel fecibus aluntur.

EXPERIENTIA.

§. 18. Uti alia inſecta, ſic quoque vermes inteſtinorum lacte dulci libenter fruuntur. Sumas enim lac calidum, fac ut ejus vapor inteſtinum rectum attingat, obſervabis vermes, ſi adſunt, ſtatim illinc delabi, magnumque ibi excitare pruritum, vel injiciatur clyſma lacteum, cum quo iterum eliminato, vermes quoque prodibunt.

COROLLARIUM.

§. 19. Chylus cum ſit lacti ſimillimus humor, (§. 16.) vermes quoque libenter lac capientes (§. antec.), chylo nutrimenti loco uti, ſequitur.

COROLLARIUM.

§. 20. Adeoque corpori humano nutrimentum detrahunt (§. 19.).

THEOREMA.

§. 21. Vacuo ventriculo, augetur (1) appetitus & fames, quæ ſi magna eſt, homo (2) vorax fit, & oblatos quoſcunque cibos cito in magna copia devorat, abſque juſta eorum in ore præparatione, (3) Chymus inde

inde non rite præparatur, & ſemel malus in inteſtinis non corrigitur, (4) non bonus inde nec ſatis ſubtilis generatur chylus, ſed craſſus, crudus.

DEMONSTRATIO.

(1) Stomachus à cibis vacuus eundem exercet motum periſtalticum, quem plenus (*per princ. phyſiol.*) & cum præterea cibis non diſtendatur, magis ſeſe adhuc contrahit, & coarctatur, villi tunicæ ejus internæ propius ad ſe invicem accedunt, & ſub continuo motu ſibi mutuo affricantur. Cum vero in his multæ nervorum extremitates contineantur, (*per princ. anatom.*) maxime ſenſibiles, oritur inde dolor; vel ſaltem moleſta ſenſatio, quæ non niſi ventriculo cibis iterum repleto finitur, & hæc medicis dicitur appetitus, cujus major gradus audit fames. (*per princ. phyſiol.*) *Ergo vacuo ventriculo augetur appetitus & fames* Q. E. P.

(2) Hominem jejuno ſtomacho fieri voracem, ut quoſvis oblatos cibos cito & in magna copia deglutiat, quotidiana comprobat experientia. Cibis autem cito deglutitis, nec dentibus ſatis comminutis, non ſufficiens affunditur ſalivæ copia, adeoque dum homo vorax non diu maſticat, non ſatis cibos in ore ejus præparari neceſſe eſt: *hic ille quoſcunque oblatos cibos ſine juſta eorum in ore præparatione deglutit.* Q. E. S.

(3) Saliva chymo in ſufficienti copia non affuſa, nec cibis in ore prius dentibus ſat comminutis, deferuntur in ventriculum craſſiores juſta admixtæ ſalivæ copia carentes ciborum partes, quas ventriculus ſubtiliores nunc reddere nequit, inteſtina ſimiliter: *hinc chymus non rite præparatur, & ſemel malus in inteſtinis non corrigitur.* Q. E. T.

Cum chymus craſſus non rite præparatus in inteſtinis non corrigatur, chylus vero ex chymo per vaſa lactea ſeparetur, hæcque vim non habeant craſſiorem chymum ſubtiliorem reddendi, neceſſe eſt, ut una cum chylo ab heterogeneis partibus non ſatis liberato hæ ipſæ vias lacteas intrent, adeoque craſſus oriatur chylus, quem medici crudum vocant. (*per princ. phyſiol.*) *in homine igitur voraci, in quo non bonus generatur chymus, malus quoque produci debet chylus.* Q. E. Q.

DEFINITIO.

§. 22. *Atrophicus* is eſt, qui atrophia laborat. *Atrophia* autem eſt defectus nutrimenti, ob glandularum meſenterii obſtructionem craſſo chylo factam, corporis marcorem inducens.

THEOREMA.

§. 23. Obſtructio glandularum meſenterii, propria vi, nulla alia inſequente cauſa, atrophiam producit.

DEMONSTRATIO.

Obſtructio meſenterii propria vi, nulla alia inſequente cauſa, efficit ut debitum corpori nutrimentum non adferatur. Hoc autem ubi deficit, & quidem ob dictarum glandularum obſtructionem, atrophiam conſtituit, (§. 22.) *Adeoque illa obſtructio propria vi nulla alia inſequente cauſa, atrophiam producit.* Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 24. Hinc iſta obſtructio eſt cauſa proxima atrophiæ. (§. 14. 23).

THEOREMA.

§. 25. Vermes atrophiæ cauſam remotam conſtituere poſſunt.

DEMONSTRATIO.

Vermes detrahunt corpori nutrimentum, (§. 20.) cujus defectu appetitus & fames augetur, (*per princ. phyſiol.*) & homo vorax fit & quoſvis oblatos cibos cito in magna copia ſine juſta eorum præparatione in ore deglutit, unde chylus generatur crudus, (§. 21.) craſſus, qui majorem adeptus craſſitiem ac diameter vaſorum lacteorum requirit, in illis impactus hærere debet immeabilis, eaque vi novi à tergo urgentis chyli magis magiſque obſtruere, ſicque ſibi ipſi transfluxum ad receptaculum chyli præpedire. Cum vero notum ſit per hoc receptaculum, plurimam imo fere omnem nutrimenti partem corpori humano advehi; quilibet jam perſpicit, denegato per idem chyli transfluxum, corpus marcore affici debere. Cumque præterea hicce affectus à glandularum meſenterii obſtructione originem trahens atrophiæ nomine inſigniatur, (§. 22.) ejuſdemque ratio in vermibus lateat, (§. 20.) id vero, in quo effectus cujuſdam ratio quærenda eſt, cauſa remota appelletur; (§. 14.) Patet jam *vermes atrophiæ cauſam remotam conſtituere poſſe.* Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 26. Ob repertos in noſtro atrophico ſubjecto vermes in inteſtinis, (§. 12.) concluſio valet illos fuiſſe cauſſam remotam atrophiæ (§. 25.).

AXIOMA.

§. 27. Per obſtructas glandulas meſaraicas chylus tranſire nequit, ſed in inteſtinis remanet.

COROL.

COROLLARIUM.

§. 28. Cum in noſtro cadavere glandulæ quoque meſaraicæ obſtructæ fuerint, (§. 12.) non mirum eſt, chylum in inteſtinis fecibus admixtum remanſiſſe (§. 27. 12.)

EXPERIENTIA.

§. 29. Inteſtina gaudent multis ſubtiliſſimis nervorum extremitatibus in tunica villoſa, nervea & muſculari, hæ ſi vel punctura, vel roſione, vel alio modo læduntur, varios ſtatim producunt dolores, non ſolum in illa parte ubi afficiuntur, ſed etiam per conſenſum in aliis.

DEFINITIO.

§. 30. *Spaſmus* eſt præternaturalis muſculorum contractio, tam vehemens, ut illa durante antagoniſtæ affectorum vi reſiſtere, & partem movendam in contrarium flectere nequeant.

THEOREMA.

§. 31. Irritati nervi, partes quas percurrunt, fortius contrahunt, & ſpaſmum non ſolum in iiſdem, ſed & in vicinis vaſis ſanguiferis aliiſque humores vehentibus, cauſantur, ſicque varias efficiunt congeſtiones.

DEMONSTRATIO.

Motum partium contractorium à motu nervorum pendere, (*per princ. phyſiolog.*) conſtat, hinc, quieſcentibus nervis nullus fit motus in partibus movendis, illis autem commotis, moventur & hæ contrahunturque. Si vero nervi irritantur, fortius ſeſe movent, ergo quieſcentes partes tunc quoque in fortiorem motum rapiunt contractorium, qui ſi tantus eſt, ut affectorum muſculorum vi antagoniſtæ reſiſtere, & partem movendam in contrarium flectere nequeant, ſpaſmus dicitur, (§. 30.) hinc nervi irritati ſpaſmum efficere poſſunt. Conſtricta autem per hunc vaſa, minorem in ſe recipiunt humorum quantitatem, quæ adeoque in illis legitimo modo contineri debebat, jam ad alia loca fluere cogitur. Et cum omnia vaſa ita ſint conſtituta, ut certam tantum proportionatam humorum copiam in ſe recipere queant, à quibus majori quam par eſt copia affluxis magis ſemper diſtenduntur, donec tandem tonum amittant, & relaxentur, ut humores poſtea per illa non rite circulent, ſed in motu ſuo ibidem retardentur, & acumulentur; in hoc autem conſiſtat congeſtio humorum, (*per*

Digitized by Google

princ. patholog.) quæ ab irritatis nervis originem ducere poteſt; (*per anteced.*) Patet *nervos irritatos poſſe congeſtionem efficere.* Et cum præterea notum ſit, (*per princ. patholog.*) nervos irritatos non ſemper ſpaſmum, ſed quandoque tantum majorem humorum affluxum ad loca affecta cauſari, ſequitur illos *tam in loco affecto, quam in vicinis congeſtionem producere poſſe.* Q. E. D.

EXPERIENTIA.

§. 32. Vermes non ſolum inteſtina & ventriculum arrodunt; ſed quandoque plane perforant.

SCHOLION.

§. 33. *Hoc non ſolum in inteſtinis factum eſſe teſtantur Act. N. C. Dec. I. ao. I. obſ. 145. ap. p. 35. ſed etiam in umbilico & inguine, qua de re legi meretur, Blegni zod. Gallic. ao. 1679. jan. obſ. 3. 4. & Plater. obſ. L. 3. p. 831. item Zac. Luſitan. P. A. L. 2. obſ. 40.*

COROLLARIUM.

§. 34. Cum vermes ventriculum & inteſtina arrodant, (§. 32.) adeoque nervos irritent, (29) qui tunc dolores procreant, ſequitur eos in inteſtinis & ventriculo magnam excitare titillationem & dolorem.

COROLLARIUM.

§. 35. Cum nervi irritati, dolorem quoque in aliis partibus per conſenſum producant, (§. 31.) patet hinc ratio, cur ab arroſione inteſtinorum à vermibus facta oriatur pruritus narium, quem ægri frictione illarum manifeſtant.

SCHOLION.

§. 36. *Dicta hæc ut eo clarius eluceſcant, notandum eſt, nervum maxillarem ſuperiorem diſtribui per omnes maxillæ ſuperioris partes, naſum, labra, palatum, uvulam, gingivas, & dentes, hicque alium exhibet ramum, qui cum ſurculo quodam nervi abducentis unitus magnum illum nervum conſenſualem, nempe intercoſtalem format. Hic iterum varios diſpergit ſurculos ad thoracis & abdominis viſcera fere omnia, ubi variis plexibus cum pari nervorum vago iiſdem partibus ramulos ſuos exhibente conjungitur; quod etiam in ventriculi plexu cardiaco fit. Quando igitur in inteſtinis vel ventriculo extremitates nervorum paris vagi irritantur, fieri aliter non poteſt, quam ut ob deſcriptam arctam horum nervorum connexionem nervus intercoſtalis in ſimilem agatur motum, qui cum nervo maxillari ſuperiori cohærens eidem motum*

hunc

huic communicat, & ſimul & iis ejus ramulis qui ad naſum tendunt, unde tunc pruritus narium producitur.

COROLLARIUM.

§. 37. Vermes irritant nervos ventriculi vacui, (§. 32. 34.) quæ moleſta ſenſatio inde producta appetitus & fames audit; (§. 21.) Ergo appetitum & famem augent.

COROLLARIUM.

§. 38. Patet hinc ratio, cur ſubjecta à vermibus afflicta, ventriculo tempore matutino & nocturno vacuo, nauſea, ſiticuloſitate & appetitu vago afficiantur (§. 36. 37.).

COROLLARIUM.

§. 39. Nervi irritati producunt ſpaſmum, (§. 31.) adeoque inteſtinorum nervi a vermibus excitati, in ipſis ſpaſmum efficere valent.

THEOREMA.

§. 40. Ex ſpaſmo inteſtinorum, oritur (1) flatulentia, (2) intumeſcentia abdominis, cum doloribus torminoſis, (3) alvus obſtructa, (4) ſpaſmo remittente excernuntur crebriùs & majori quantitate excrementa, quæ durante illo accumulata & retenta ſunt, alvuſque antea adſtricta tunc redditur laxa.

DEMONSTRATIO.

I. Cum inteſtina ſpaſmo conſtricta aërem tamen ſemper in ſe continentia contrahantur, ut nil tranſmittant, neceſſe eſt ut aër, cui liber exitus denegatur, à calore interno magis ſemper expanſus, latera inteſtinorum vehementer diſtendat, & remittente ſpaſmo & lateribus inteſtinorum majori vi ſe iterum contrahentibus ad loca aëre vacua maxima vi penetret, vel quoque cum ſtrepitu exeat; hæc autem paſſio flatulentia vocatur à medicis: hinc *ex ſpaſmo inteſtinorum oritur flatulentia.* Q. E. P.

II. Flatus expandunt inteſtina, ita ut majorem quam antea locum occupent, adeoque abdomen diſtendatur & elevetur, quem affectum medici intumeſcentiam abdominis vocant. Tunica igitur nervea inteſtinorum, ob violentam horum diſtenſionem dolorem procreat intolerabilem. Hinc in propatulo eſt, *cur ſpaſmi intumeſcentiam abdominis cum doloribus torminoſis excitare poſſint.* Q. E. S.

III. Inteſtinis ſpaſmo conſtrictis, fecibus exitus denegatur, adeoque *ſpaſmus cauſatur alvum obſtructam.* Q. E. T.

IV. Nulla eget demonſtratione, quia per ſe ſat clarum eſt.

COROLLARIUM.

§. 41. Liquet hinc, cur homines à vermibus vexati mox ſpaſmos, mox flatus, mox intumeſcentiam abdominis cum doloribus torminoſis, alvum modo obſtructam, modo laxam pati [§. 39. 40.] debeant.

COROLLARIUM.

§. 42. Cum ab irritatione nervorum vaſa ſpaſmo conſtringantur, & humores ad alia loca ab illo libera majori copia ferantur, quam par eſt; [§. 31.] vermes autem nervos irritent; [§. 32.] ſequitur illos congeſtionem verſus loca à ſpaſmo libera cauſari poſſe.

COROLLARIUM.

§. 43. Congeſtio fieri poteſt in illis locis ubi nervi irritantur, (§. 31.] ex qua ſtagnatio, obſtructio, inflammatio oritur; [§. 4.] hinc nervi inteſtinorum a vermibus irritati, congeſtionem, obſtructionem & inflammationem efficere poſſunt.

COROLLARIUM.

§. 44. Cum in hoc cadavere inteſtina multo aëre & vermibus repleta, in quibuſdam inſuper locis inflammata viſa ſint, [§. 12.] vermes vero ſpaſmos cauſentur, [§. 31.] quibus diameter vaſorum conſtringitur, [§. 40.] ita ut nil tranſmittant, unde inflammatio producitur, [§. 4.] patet hoc ſubjectum in vita ſpaſmis inteſtinorum & flatulentia vexatum eſſe, quæ mala à vermibus originem traxerunt.

THEOREMA.

§. 45. In inflammatione ſanguinea fortius atteritur ſanguis, & major oritur inteſtinus calor, & partium rubicundarum cohæſio.

DEMONSTRATIO.

In inflammatione ſanguinea fit congeſtio in minimis vaſis, i. e. major illis advehitur ſanguinis copia, quam in naturali ſtatu tranſire poteſt, dilatantur vaſa & diſtenduntur, hæcque diſtenſio cum quovis novo ſanguinis

à

à corde vecti impulſu augetur; quo magis vero vaſa dilatantur, eo magis contractione ſua in ſanguinem reagunt, [*per princ. phyſiol.*] qui, cum verſus anguſtiores canales propellatur, majori tamen ſua copia omnis ſimul exire nequeat, & à vaſis ipſis reprimatur, retropellitur verſus cor, unde non niſi fortis oriri poteſt attritus. Ex phyſicis autem conſtat per attritum augeri calorem, ita ut attritæ particulæ ſibi invicem adhæreant. Ergo in congeſtione dicta hæc omnia fiunt. Si vero particulæ plures cohærent, moles earum augetur, ita ut per vaſorum orificia tranſire non poſſint; cum autem cordis actio ſemper continuetur, ſanguis tamen ex obſtructis arteriis effluere non poſſit, adeoque appulſo novo ſanguini ſemper reſiſtat, in quo inflammatio ſanguinea conſiſtit [§. 4.] non niſi *fortius in illa ſanguis atteritur & major inteſtinus oritur calor*, & *partium rubicundarum cohæſio.* Q. E. D.

EXPERIENTIA.

§. 46. Ubi plures particulæ cohærent, ibi moles earum augetur, fiunt craſſiores, ſpiſſiores.

COROLLARIUM.

§. 47. Ergo partes rubicundæ ſanguinis in inflammatione ſanguinea, ſpiſſiores evadunt, [§. 45. 46.].

COROLLARIUM.

§. 48. Cum una pars cum alia cohærens, vim habeat plures ſemper attrahendi, [*per princ. phyſ.*] ſequitur tali modo in inflammatione diutius protracta omnem ſanguinem fieri ſpiſſum [§. 47.].

HYPOTHESIS.

§. 49. Sanguis in uno loco contentus, brevi tempore per omnia alia C. H. loca eundem continentia, transfluit.

COROLLARIUM.

§. 50. Ergo ſanguis in uno loco ſpiſſus, mox ad alia defertur. [§. 49.].

DEMONSTRATIO.

§. 51. Quo ſpiſſior eſt ſanguis, & quo magis ſemper condenſatur, eo facilius minima & numero plura vaſa obſtruit.

THEO-

THEOREMA.

Orificia extremorum vaſorum diametro gaudent transfluentibus humoribus proportionato, [*per princ. anatom.*] ſi igitur ſanguis ſpiſſus eſt, i. e. ſi partes ejus rubicundæ majorem diametrum poſſident, ac orificia minimorum vaſorum, tranſire per illa nequit, ſed immobilis & impactus in illis hærens, eadem obſtruit; [*v. Boerhaavii aphoriſm. cap. de obſtructione*] obſtructis vero paucis vaſis, ſanguis eo majori copia ad reliqua fertur, adeoque in illis iterum congeritur, & in congeſtione magis ſemper condenſatur, [§. 45.] hinc quoque eadem facilius obſtruit, & quidem ſi in pluribus vaſis congeſtus ſit, numero quoque plura minima vaſa obſtruere poteſt. Verum igitur manet, *ſanguinem, quo ſpiſſior eſt, & quo magis ſemper condenſatur, eo facilius minima & numero plura obſtruere vaſa.* Q. E. D.

AXIOMA.

§. 52. Vena caret tunica muſculari qua arteriæ gaudent, adeoque & pulſu.

THEOREMA.

§. 53. Circulatio ſanguinis in venis multo fit tardior, ac in arteriis.

DEMONSTRATIO.

Omnis ſanguis movetur motu cordis, [*per princ. phyſiol.*] & ex eo propellitur in arterias, quæ ſunt vaſa conica in progreſſu ſuo ſemper minoris diametri, [*per princ. anatom.*] hinc neceſſe eſt, ut ſanguis cordi propior, in majori ſemper exiſtat motu, quam ab illo remotior, ſicque in fine arteriarum anguſtiſſimo & pauciorem ſanguinem tranſmittente tardius ac in illarum principio movetur, cum & latera vaſorum conicorum ſemper in ſanguinem reagant, eùmque reprimant. Cum vero principium venarum ſit in fine arteriarum, adeoque via ſanguinis à corde iterum remotior, & venæ quoque valvulis gaudeant, [*per princ. anatom.*] quæ etiam liberum ſanguinis circulum quodammodo retardant, & tunica muſculoſa, ope cujus ſanguis arterioſus celerius movetur, careant, [§. 52.] ſanguiſque venoſus in extremitatibus arteriolarum per varias ſecretiones plurimam ſubtiliſſimorum humorum partem amiſerit, quæ multum ad ejus fluiditatem confert, adeoque ſpiſſior ſit ac in arteriis; patet *circulationem ſanguinis in venis multo eſſe tardiorem ac in arteriis.* Q. E. D.

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM.

§. 54. Ergo ſanguis per congeſtionem ſpiſſus factus, in venis ſemper magis condenſatur [§. 53.].

COROLLARIUM.

§. 55. Cum ſanguis per congeſtionem jam ſpiſſus, in venis ſemper magis coaguletur, [§. 54.] brevi vero tempore ad alia loca vehatur, [§.49.] & quo ſpiſſior ſit, eo facilius plura vaſa minima obſtruat; [§. 51.] patet, talem ſanguinem ad alia loca delatum, ibidem facile novas cauſari obſtructiones & inflammationes.

COROLLARIUM.

§. 56. Non mirum igitur eſt, ſanguinem in noſtro ſubjecto ab inflammatione jam ſpiſſum, ad caput & pectus delatum, novas ibi congeſtiones, obſtructiones & inflammationes produxiſſe.

DEFINITIO.

§. 57. *Phrenitis vera*, eſt cerebri ejuſque meningum inflammatio, juncta cum delirio perpetuo & febre acuta, inde ortis. *Paraphroſyne*, autem eſt phrenitis ſymptomatica ab alia inflammatione originem ducens.

SCHOLION.

§. 58. *Phrenitis, quæ alias phreneſis aut phreniaſis audit, eſt vocabulum græcum a ſubſtantivo* Φρὴν, *mens, ortum, & ſignificat morbum mentis, quando enim veteres græci partes corporis quæ animæ inſerviunt, læſas obſervarunt, mentem ægrotare dixerunt. Quoniam autem priſci medici duplicem animæ adſcripſerunt ſedem, nempe in cerebro & diaphragmate, factum inde eſt, ut diaphragmatis inflammationem cum delirio junctam, paraphrenitidem, cerebri autem phrenitidem vocarint.*

PROBLEMA.

§. 59. Explicare quomodo delirium a cauſa materiali oriri poſſit.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

In medulloſo cerebro fit ſecretio liquidi nervei, (*per phyſiol.*) quod

a reliquis omnibus C. H. craſſioribus liquidis per minutiſſima vaſa ſeparatur, quibus illud per vaſa ſeroſa advehitur, hæc autem humores ſuos accipiunt ex lymphaticis, hæc iterum ex ſanguiferis; his vero ultimo loco nominatis obſtructis, impeditur ſecretio tenuioris liquidi, reliqua dicta vaſa nullum accipiunt humorem, adeoque nec illa, quæ liquidum nerveum vehunt. Cum autem iſtud quod ante factam obſtructionem ſecretum fuit continuo corporis motu diſſipetur; patet in obſtructione & inflammatione ejuſdem oriri defectum, ita ut obſtructis paucis vaſis, exigua ejus quantitas, vel ſi plurima obſtructa fuerint, nullum fere ſecernatur. Eadem hæc omnia fieri palam eſt, in obſtructione lymphaticorum, ſeroſorumve vaſorum; ſanitas autem conſiſtit in juſta adminiſtratione omnium actionum animalium, vitalium, & mixtarum, cujus contrarium morbum ſignificat, & anima corporis gubernatrix cerebro utitur ad producendos motus & cogitationes, tanquam medio, quo finem obtinere debet, adeoque hoc in juſta atque ſana conſtitutione eſſe oportet, ſi motus & cogitationes ab anima legitimo modo inſtitui debent. Medio igitur perdito, finis impetrari nequit, i. e. deficiente liquido nerveo in quodam loco non juſta ejus fit circulatio & ſecretio in cerebro, actio quædam vitalis & animalis læſa eſt, adeſt morboſa cerebri affectio, medii quo anima utitur ad producendos motus & cogitationes, hinc nec finem adſequi valet, cogitationes non juſto modo cum vera ratione inſtituere poteſt, ſimiliter nec alias vitales, voluntarias, & morales actiones. Si vero cogitationes ſunt perverſæ, & ſine vera ratione producuntur, homo delirare dicitur. Patet adeoque *quomodo delirium a cauſa materiali produci poſſit.* Q. E. D.

ALITER.

Si magna humorum eſt velocitas, qui cerebro ſecernendum liquidum nerveum exhibent, & alio in loco cerebrum obſtructum eſt, tunc fluidi nervei circulatio in uno loco eſt velocior, in alio autem deficit. In tali ergo ſtatu cogitationes in una parte cerebri celeriter excitantur, in alia vero plane inſtitui nequeunt. *Inde igitur delirium utpote a cauſa materiali oriri poteſt.* Q. E. D.

SCHOLION.

§. 60. *Superfluum duxi hoc loco pluribus oſtendere, qua ratione delirium a reliquis materialibus cauſis derivari poſſit, quia omnia quæ de iſtis dicenda eſſent, his jam inſunt demonſtrationibus: inter materiales enim refero obſtructionem & inflammationem cerebri, depravatam circulationem ſanguinis per cor & encephalon, aut plane ſublatam, ut & nimiam humorum per illud velocitatem, vel quicquid nervos comprimit, & circulationem liquidi nervei impedit. De origine autem delirii ab immaterialibus cauſis ſermonem facere, a ſcopo meo alienum eſt, dum tantum ab obſtructione pronati explicationem dediſſe, mihi ſufficere videtur. Forſan tamen aliquis objiceret explicandum mihi hoc omnino fuiſſe,*

fuiſſe, quia ſæpe mania, de qua in hac diſſertatione agitur, ab immateriali cauſa originem ducere ſolet. Reſpondeo autem, ſupervacaneum hunc eſſe laborem, cum me fugiat, an hocce ſubjectum a cauſa quadam immateriali maniacum factum ſit nec ne; inquirendum potius erit, an in illo materialis quadam cauſa delirii adfuerit, & quænam? Ceterum optime perſuaſum habeo, neminem facile fore, qui explicare poterit, quomodo delirium ab immaterialibus cauſis pronaſci queat.

COROLLARIUM.

§. 61. Cum nervorum a cauſa quadam externa compreſſorum eadem ſit ratio, ac obſtructorum, patet ſerum extravaſatum nervis incumbens eosque comprimens, eodem modo delirium cauſari poſſe.

COROLLARIUM.

§. 62. Cum phrenitis ſit inflammatio, ex qua delirium oritur, §. 57. 58.) & modus, quo hoc ex illa producatur, (§. 52.) explicatus ſit, patet ſimul, quomodo phrenitis delirium cauſetur.

COROLLARIUM.

§. 63. In inflammatione magnus eſt ſanguinis attritus & calor, qui cohæſionem partium rubicundarum ſanguinis efficit, (§. 44. 45.) Ergo in illa ſerum cum ſanguine mixtum ab illo ſegregatur, adeoque majori copia ad vaſa ſerum ſecernentia deferri poteſt.

COROLLARIUM.

§. 64. Obſtructis quibuſdam arteriis, ſerum advectum transfluere nequit ad vaſa ſecretoria, ergo ad alia magis patula loca properat.

COROLLARIUM.

§. 65. Ubi ſerum, cui in uno loco transfluxus denegatur, ad alia patula loca defertur, in quibus tamen præter ſolitam quantitatem, major adhuc (*ob cohæſionem partium ſanguinis rubicundarum*) ſecreta copia continetur, (§. 63.) ibi vaſa a nimia ejus abundantia magis quam par eſt expanduntur.

COROLLARIUM.

§. 66. Quo magis vas quoddam diſtenditur, eo magis quoque pori ejus dilatantur.

COROLLARIUM.

§. 67. Quo magis pori vaſorum dilatati ſunt, & quo majori humorum copia repleta hæc exiſtunt, eo majori quantitate humores in illis contenti per patulos poros tranſſudare poſſunt.

COROLLARIUM.

§. 68. Quo magis vas extenditur, eo facilius rumpitur.

COROLLARIUM.

§. 69. Cum in inflammatione, pori vaſorum multo ſero diſtentorum, nimis ſint patuli, hæcque ſerum in ſe magna abundantia contineant, (§. 63. 65. 66.) eo major quoque ejus quantitas per poros vaſorum dilatatos præſente inflammatione exhalare poteſt.

COROLLARIUM.

§. 70. Cum in vaſis cerebri ſeroſis, ob inflammationem arteriarum ſanguiferarum, magna adſit ſeri copia, (§. 63.) illa dilatans, (§. 65.) & per poros eorundem tranſſudans, (§. 67. 69.) quæ tamen per cranium exhalare nequit, (*per princ. anatom.*), ttanſſudatum ſerum in ipſis cerebri cavitatibus colligi debere.

COROLLARIUM.

§. 71. Vaſa ſeroſa cerebri ob magnam dillatationem facile rumpuntur: (§. 68.) Ergo ſerum in illis contentum effluere poteſt, tuncque in cavis cerebri colligi.

COROLLARIUM.

§. 72. Cum in noſtro ſubjecto obſtructiones & inflammationes cerebri adfuerint, (§. 12.) unde reliqua ſeri quantitas in pauciora vaſa recepta eſt, (§. 63. 65.) quæ inde nimis dilatata facile rumpere potuerunt, (§. 68.) non mirum eſt, ſerum extravaſatum, in ventriculis cerebri anterioribus collectum eſſe repertum.

COROLLARIUM.

§. 73. Serum extravaſatum in cerebri cavitatibus collectum, nervis incumbens, gravitate ſua illos comprimit, unde juſta liquidi nervei circulatio turbatur, (*per princ. phyſiol. & pathol.*) ex qua compreſſione delirium oriri poteſt; (§. 61.) Ergo ſerum in cerebro extravaſatum ſymbolam quoque aliquam ad delirium confert.

C O-

COROLLARIUM.

§. 74. Cum inflammationem auferre poſſibile ſit, minime vero ſerum in cerebro extravaſatum, (*per princ. med. pract.*) patet delirium ab inflammatione ortum, hac ſublata, tolli quoque poſſe, non autem, quod a ſero extravaſato originem duxit, hocque adeo perpetuum eſſe.

COROLLARIUM.

§. 75. Ob repertam in noſtro ſubjecto inflammationem cerebri, per conſequens & obſtructionem, nec minus magnam ſeri extravaſati copiam, (§. 12.) patet jam cauſa materialis delirii, quæ illud deliraſſe, colligendi anſam præbet.

SCHOLION.

§. 76. *Revera autem ſubjectum hoc fuiſſe inſanum confirmant illi, qui hujus perſonæ in noſocomio cuſtodes fuerunt.*

COROLLARIUM.

§. 77. Cum in illo adfuerit delirii cauſa non tollenda, nempe ſerum extravaſatum, (§. 12. 74. 75.) eluceſcit jam ratio, cur perpetuo uſque ad mortem deliraverit.

COROLLARIUM.

§. 78. Cum inflammatione inteſtinorum & phrenitide laboraverit, (§. 12. 57.) quæ poſterior a priori oriri potuit, tuncque paraphroſyne dicatur (§. 57.) concludere licet, illud paraphroſynen paſſum eſſe.

DEFINITIO.

§. 79. *Polypus* eſt concreſcentia ſanguinis in maſſam quandam carnoſam, orta ex ſanguine ſpiſſo omni fere liquidiore parte orbato, coagulato, & ſemper plures ſimiles attrahente moleculas.

SCHOLION.

§. 80. *Sermo mihi tantum hic eſt de polypo in vaſis ſanguiferis, non in aliis partibus C. H. reperibili. Quod etymologiam vocis attinet, nullum eſt dubium, quin illa a græcis ortum traxerit, & quidem ab adjectivo* πολύς, *multus, & ſubſtantivo* ὁ πȣ̃ς, *pes. Deductum eſt hoc vocabulum tropice a piſce ejuſdem fere figuræ, qui ob pedum multitudinem, hoc nomen adeptus eſt, & in eo cum polypo C. H. convenit, quod hic ratione figuræ multis gaudere pedibus videatur, qui tantum tamen appendices & elongationes hujus maſſæ ſunt & figuram a vaſis in quibus latitant, accipiunt.*

SCHOLION.

§. 81. *In ſenſu improprio nomen polypi imponitur homini ſtupido, ſtolido, rapaci, furi, vario, incompoſito, qui pro diverſo tempore & occaſione diverſos induit mores, germanice*, der den Mantel nach dem Winde hangt; *proprius ſenſus vocabuli hujus duplex eſt, prior eſt latus, in quo omne animal multis pedibus inſtructum polypus vocatur, poſterior eſt ſtrictus, in quo tantum piſcis marinus in mari Adriatico habitans denotatur, a quo per metaphoram polypus C. H. nomen adeptus eſt.*

COROLLARIUM.

§. 82. Cum in inflammationibus ſanguis ſemper ſit ſpiſſus, & quarum ſi plures adſunt, & quo diutius durant, eo magis condenſetur (§. 54.) unde tandem polypus generatur, (§. 79.) patet, hunc facile oriri poſſe, ubi plures ſimul adſunt inflammationes, & quo diutius durant.

COROLLARIUM.

§. 83. Cum ſanguis in venis tardiſſimum habeat circulum, (§. 53.) in iiſque ſemper fiat ſpiſſior, (§. 54.) liquet polypum in iiſdem facile generari poſſe.

LEMMA.

§. 84. In cerebro circulatio ſanguinis multo eſt tardior, quam in reliquo corpore.

DEMONSTRATIO.

Cum ſanguis ex corde ad caput perpendiculariter fere aſcendat, (*per princ. anatom.*) ob ſuam gravitatem vero ſemper verſus inferiora nitatur, (*per princ. phyſic.*) & in ipſo cerebro per ſecretionem liquidi nervei, ſubtiliſſimo fluido privetur, quod in reliquo corpore non contingit, & viæ, quibus vaſa ſanguifera ad cerebrum tendunt, indeque recurrunt maxime ſint tortuoſæ, quæ adeoque circulationem ſanguinis maxime retardant, (*per princ. phyſiol.*) neceſſe eſt, *illam multo eſſe tardiorem in cerebro ac reliquo corpore.* Q. E. D.

ALITER.

Cum cerebrum ſit molliſſima totius C. H. ſolida pars, (*per princ. anatom.*) ſequitur illud non tanta vi in vaſa ſanguifera reagere poſſe, ac reliquæ duriores C. H. partes, quas arteriæ percurrunt. Vaſa vero cerebri æque bene diſtenduntur a ſanguine, ac reliqua, ſed non iterum ſic comprimuntur, hinc ibidem magis expanduntur, cum non tam bene ſua contractione, nullo adjacentis cerebri auxilio fruente in ſanguinem reagere poſſint, unde ille non tanta

ta vi propellitur, ſed *in cerebro multo tardius ac in reliquo corpore circulationem ſuam abſolvit.* Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 85. Ergo in cerebro polypus facilius ac in reliquo corpore generari poteſt.

COROLLARIUM.

§. 86. Cum vaſa magna venoſa majorem ſanguinis ſpiſſi copiam in ſe recipiant; polypus in illis facilius componi poteſt.

COROLLARIUM.

§. 87. Sinus longitudinales & laterales cerebri ſunt vaſa magna venoſa; (*per anatom.*) ergo major in iiſdem polypo naſcendi occaſio præbetur.

COROLLARIUM.

§. 88. Cum cauſa proxima ſit illa, quæ propria vi, nulla alia inſequente cauſa, effectus ſuos producit, (§. 14.) ſanguis autem ſpiſſus & inflammatio tali modo polypum generent, (§. 86. 87.) patet in his conſiſtere cauſam polypi proximam.

COROLLARIUM.

§. 89. In quo ratio cauſæ proximæ latet, eſt cauſa remota, (§. 14.) ſanguis vero ſpiſſus & inflammatio eſt cauſa proxima polypi, (§. 88.) cujus ratio in eo quærenda, quod ſanguinem ſpiſſum & inflammatorium reddit. Ergo omne id erit polypi cauſa remota, quod ſanguinem ſpiſſum & inflammatorium efficit.

COROLLARIUM.

§. 90. Cum in noſtro ſubjecto, inflammatio, ſanguis ſpiſſus & polypus adfuerint, (§. 12.) priores autem hujus ſint cauſæ proximæ (§. 88.) patet in his quærendam eſſe polypi in eo reperti cauſam remotam.

THEOREMA.

§. 91. Polypus in cerebro, impedit & turbat in illo juſtam humorum circulationem.

DEMONSTRATIO.

Cum polypus oriatur ex ſanguine ſpiſſo, ſolidamque habeat carnoſam ſubſtan-

ſtantiam, (§. 79) qua vaſa in quibus latitat, replet, (*per autopſiam*) ſequitur, per vas eodem obſeſſum ſanguinis juſtam quantitatem tranſire non poſſe. Et cum a tergo plus ſemper adferatur ſanguinis, oritur inde attritus, calor concreſcentia ſanguinis, (§ 44.). Serum quod ibidem ſecerni nequit, majori copia ad alia patula loca penetrat, (§. 64.) ibidemque vaſa ultra modum diſtendit, (§. 65.) quandoque etiam rumpit, ut ſerum extravaſetur (§. 68.). Adeoque *circulatio humorum juſta impeditur & turbatur in cerebro a polypo.* Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 92. Cum a turbata juſta humorum circulatione in cerebrum, delirium oriatur, (§. 3.) ſequitur polypum idem cauſari.

LEMMA.

§. 93. Polypus in cerebro tolli nequit.

DEMONSTRATIO.

Si auferri debet, vel ſanguis coagulatus ad juſtam fluiditatem remediis reſolventibus & diluentibus redigendus, ejuſque abundantia V. S. imminuenda, vel polypus inſtrumento extrahendus eſſet. Alius enim modus non datur (*per princ. med. pract.*). Reſolventibus autem tolli nequit, (*per experientiam*) multo minus per diluentia, quæ prioribus quoad vires non æquales, (*per princ. mat. med.*) ſimiliter V. S. polypum non imminuit. Inſtrumento autem polypum extrahere ex ſinubus duræ matris impoſſibile eſt, quia hiſce apertis lethalis oritur convulſio & hæmorrhagia; (*per princ. anatom.* adeoque *polypus in cerebro tolli nequit.*

COROLLARIUM.

§. 94. Ergo delirium a polypo ortum tamdiu ac ipſe polypus durare debet.

COROLLARIUM.

§. 95. Polypus in cerebro non eſt tollendus, (§. 93.) ergo nec delirium ab illo ortum; hinc perpetuum eſt.

COROLLARIUM.

§. 96. Cum mania tantum ſit major delirii gradus, in quo homines perpetuo delirant; ſequitur, eam cauſas agnoſcere eaſdem, ſed graviores, quam delirium.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM.

§. 97. Polypus igitur eſt cauſa delirii gravior, quæ perpetuum cauſatur. (§. 92. 95.).

COROLLARIUM.

§. 98. Ergo poteſt efficere maniam, ſive eſt cauſa ejus proxima.

COROLLARIUM.

§. 99. Et mania ab eo orta, non eſt tollenda, (§. 93. 94.).

EXPERIENTIA.

§. 100. Non ſolum in hoc ſubjecto, ſed jam in duobus aliis maniacis in theatro anatomico hoc anno diſſectis, polypos in cerebro reperire licuit.

SCHOLION.

§. 101. *Minime hic ſilentio præterire poſſum, quæ in his notatu digniſſima fuerunt; nempe invenimus in quodam maniaco ſubjecto, in ventriculis cerebri ſerum extravaſatum in magna copia, arterias carotides oſſificatas, ut & vertebrales, ſplenicam cartilagineam, in dextro cordis ventriculo polypum magnum, in ſiniſtro minorem, in aorta iterum magnum, ſimiliter in vena cava, in vena ſplenica etiam latebat polypus, binæ venæ illiacæ externæ polypo in totum fere repletæ erant, & maxime varicoſæ, pulmo dexter pleuræ valde accretus, hepar maxime infarctum, veſicula fellea admodum parva, lien maxime parvus & flaccidus, renes in ſuperiori ſuperficie ichore repleti, glandula pancreas indurata, in venis ſpermaticis calculi variæ magnitudinis, vaſa ſpermatica inflammata, ovaria valde parva, omentum, meſenterium, renes, pericardium, & facies multa pinguedine gaudebant, in pedibus tumor ædematoſus, reliquum corpus etiam maxime pinguedinoſum.*

COROLLARIUM.

§. 102. Cum polypus quandoque ſit cauſa maniæ, (*per princ. pathol.*) & jam in tribus ſubjectis maniacis, repertus ſit, (§. 100.) probabile mihi omnino videtur, illum cujuslibet maniæ eſſe cauſam proximam.

SCHOLION.

§. 103. *Optandum omnino eſt, ut plures dentur occaſiones inſtrandi defunctorum maniacorum capita, quo eo certius de cauſa polypi proxima convincamur.*

COROLLARIUM.

§. 104. Cum inflammatio ſit cauſa delirii, [§. 3.] qua longius durante oritur mania, [§. 1. 96.] & in noſtro ſubjecto tot repertæ ſint inflammationes, [§. 12.] non mirum eſt, id tanto gradu deliraſſe, & ob accedentem polypum, [§. 12.] cauſam delirii non tollendam, [§. 92. 93.] perpetuo delirio, maniacum factum fuiſſe.

SCHOLION.

§. 105. *Revera illud mania laboraſſe, i. e. deliraſſe, idque neſciviſſe, inde colligi poteſt, quod ſtercus ex ſterquiliniis magna copia devorarit.*

COROLLARIUM.

§. 106. Mania ergo in hoc ſubjecto, præſente polypo, curari non potuit. [§. 99.].

COROLLARIUM.

§. 107. Polypus eſt cauſa proxima maniæ, [§. 98.] cujus ratio in inflammatione & ſpiſſo ſanguine latet, [§. 88.] in his igitur conſiſtit cauſa remota maniæ hujus ſubjecti [§. 14.].

COROLLARIUM.

§. 108. Cum ratio inflammationum & ſanguinis ſpiſſi in hocce ſubjecto lateat in vermibus: [§. 42.] hi quoque inter cauſas maniæ remotas referendi ſunt.

DEFINITIO.

§. 109. *Peripneumonia*, eſt inflammatio pulmonum, vel in extremitatibus arteriæ pulmonalis, vel arteriarum bronchialium, vel in utriſque ſimul.

SCHOLION.

§. 110. *Oritur vocabulum* peripneumonia, *a græco* περι, *circa*, *&* πνεύμων, *pulmo*, *unde vox illa conflata eſt*, *qua græci affectum pulmonum & quidem in ſpecie eorum inflammationem denotarunt.*

DEFINITIO.

§. 111. *Reſolutio inflammationis*, eſt inflammatæ partis, vel naturalis vel

vel artificioſa mutatio, qua materia inflammans per partem inflammatam in circulum redigitur, meabiliſque redditur, ſine ulteriori corruptione & abſque alio morbo inducendo.

DEFINITIO.

§. 112. *Gangræna*, eſt illa inflammatæ partis corruptio, ut intercepta ſit communicatio in- & refluentium humorum cum incipiente leni putrefactione & ardore intolerabili, abolitaque actione à læſa jam parte in ſtatu ſano exercenda, juncta.

LEMMA.

§. 113. Omnis inflammatio, vel in reſolutionem, vel in pus, vel in gangrænam vel ſcirrhum abit.

DEMONSTRATIO.

Legi poteſt in commentario in aphoriſmos *Boerhavii*, §. 386. 387. 388. 392.

COROLLARIUM.

§. 114. Cum hæ [§. 111. 7. 112.] dictæ mutationes inflammationi tantum ſint propriæ, [§. 113.] illa autem & in pulmonibus locum inveniat: [*per experient.* & §. 12.] hinc iſtæ quoque in noſtro ſubjecto ſuboriri debuerunt.

COROLLARIUM.

§. 115. In ſuppuratione conteruntur partes in pus, [§. 7.] adeoque in illa fit ſolutio continui.

AXIOMA.

§. 116. Ubi ſuppuratio adeſt, ibi antecedere debuit inflammatio.

COROLLARIUM.

§. 117. Cum in noſtro ſubjecto, ſuppuratio pulmonum adfuerit, [§. 12.] in illo quoque horum inflammationem anteceſſiſſe, neceſſe eſt.

COROLLARIUM.

§. 118. Cum inflammatio pulmonum ſit peripneumonia, [§. 109.] & quoque noſtri ſubjecti pulmones occupaverit, [§. 117.] liquet, illud laboraſſe peripneumonia.

COROLLARIUM.

§. 119. In ſuppuratione fit ſolutio continui, [§. 115.] ergo in peripneumonia in pus abeunte eadem contingit.

COROLLARIUM.

§. 120. Cum omne pus bonum, mora, & alia cauſa poſſit fieri malum, [*per experient.*] idem quoque in ſuppuratione pulmonum ſuboriri poteſt.

DEFINITIO.

§. 121. *Ulcus* eſt ſolutio continui partium exſanguium, ex anteceſſa ſuppuratione orta, continens pus effuſum ex diſruptis partibus, eſtque vel *Apertum*, in quo pus nulli ſacculo incluſum eſt, vel *Clauſum*, ſi illud ſacculo ſcirrhoſo involvitur.

DEFINITIO.

§. 122. *Ulcus purulentum*, ſive *apoſtema*, vel *abſceſſus*; eſt ulcus apertum, pus bonum, ſanguineis quandoque ſtriis mixtum, continens. *Ulcus proprie ſic dictum* etiam eſt apertum, in quo autem ſanies colligitur.

DEFINITIO.

§. 123. *Vomica pulmonum* eſt ulcus illorum clauſum, in quo aliquando bonum, aliquando malum pus reperitur.

COROLLARIUM.

§. 124. Cum ulcus contineat pus, [§. 121.] ex inflammatione ortum, [§. 7.] patet inflammationem antecedere ulcus.

COROLLARIUM.

§. 125. Cum in peripneumonia in pus abeunte, ſolutio continui fiat, & pus, [§. 115. 119.] ſequitur, ex illa quoque oriri ulcus pulmonum.

COROLLARIUM.

§. 126. Ulcus pulmonum oritur ex peripneumonia in pus abeunte, ulcus itaque pulmonum in noſtro ſubjecto adfuit, [§. 12.] ex peripneumonia originem ducens.

COROL-

COROLLARIUM.

§. 127. Cum in illo quoque pus pulmonum propriis ſacculis incluſum, repertum ſit, [§. 12.] in quo vomica conſiſtit, [§. 123.] patet illud etiam hoc morbo afflictum fuiſſe.

COROLLARIUM.

§. 128. Vomica ergo pulmonum in noſtro ſubjecto ex peripneumonia producta eſt.

EXPERIENTIA.

§. 129. Vomica ad maturitatem perventa, vel ſponte vel adhibita externa quadam vi, rumpitur, & pus ſuum in pulmones effundit.

THEOREMA.

§. 130. Pus bonum e vomica rupta in pulmones effuſum, fit malum.

DEMONSTRATIO.

Omnis humor extravaſatus & motu ſuo inteſtino carens, putreſcit, [*per experient.*] pus vero bonum e vomica rupta in pulmones effuſum, eſt humor extravaſatus motu inteſtino carens, qui dum in ſuppuratione jam lenem ſubierit putredinem, [§. 7.] extravaſatus eo magis putreſcit. Humores vero C. H. putreſcentes acquirunt indolem ſanioſam; [*per experient.*] patet adeoque *pus bonum e vomica rupta effuſum in pulmones, indolem acquirere ſanioſam, ſive malum fieri.* Q. C. D.

COROLLARIUM.

§. 131. Cum ſanies in ulcere aperto conſtituat ulcus proprie ſic dictum, [§. 122.] pus vero e vomica rupta in pulmones effuſum nulli includatur ſacculo, adeoque ulcus apertum efficiat, malum redditum exhibet ulcus pulmonum ſtricte ſic dictum.

DEFINITIO.

§. 132. *Febris lenta*, eſt chronica, ſymptomatica, orta ex alia febre, & diſpoſitione viſceris cujuſdam ad ſuppurationem, noctu magis quam die affligens, niſi quod aliquando & die phlogoſes febriles oriantur, juncta cum calore præternaturali non admodum ſenſibili, ſudore præſertim ſub

 ſom-

ſomno largiori, urina craſſa, rutila, ſedimentum accipiente roſeum, ſupernatante liquore claro, cum extenuatione corporis, vel in febrim ex qua ortum traxit, vel in hecticam ambiens.

DEFINITIO.

§. 133. *Febris hectica*, eſt ſymptomatica, chronica, orta ex ichore ſubtiliſſimo viſceris cujuſdam per vaſa reſorbentia ad ſanguinem delato, craſinque ejus turbante, arido & mordaci calore ſeſe manifeſtans, ſymptomatibus omnibus ac in febre lenta acrioribus, cum ſucceſſiva corporis extenuatione, virium conſumtione, ſudoribus colliquativis, diarrhæis, œdemate pedum & facie hyppocratica ſcenam claudens.

SCHOLION.

§. 134. *Derivatur vox* hectica *à græco* ἕξις, *habitus, nempe veteres græci effectum hujus morbi denotare voluerunt, qui in mutatione habitus totius corporis conſiſtit.*

DEFINITIO.

§. 135. *Phthiſis* eſt vel vomica pulmonum, vel eorum abſceſſus, vel ulcus ſtricte ſic dictum, cum reſpiratione difficili, febre lenta & hectica, tuſſi vel ſicca, vel humida, bonum aut malum pus ejiciente.

SCHOLION.

§. 136. *Vocem* Phthiſis *originem traxiſſe à græco* φθίνω, *contabeſco, inter omnes fere conſtat auctores. Cum vero idem nomen a contabeſco deductum, multis aliis morbis conveniat, permoti ſunt ii, qui abſque æquivocatione loqui amant, phthiſin* [§. 135.] *deſcriptam, pulmonalem vocare, quo eo melius ab aliis morbis diſcerni queat. Illi autem qui græca vocabula latino civitatis jure condecorare nolunt, eundem morbum latino verbo* tabes *exprimunt, & cum bene perſpectum habeant, idem quoque nimis eſſe generale, & ſub eo cujuſcunque partis tabem intelligi poſſe, diſtinctionem fecerunt inter tabem pulmonalem, renalem, abdominalem &c. Sed quid opus multis diſtinctionibus, cum ſub voce* phthiſis *ab omnibus medicis tabes pulmonalis intelligi conſuevit, & præterea illius paragrapho antecedente data definitio nulli alii applicari poſſit morbo, ut adeo quilibet primo hujus definitionis intuitu tabem pulmonalem deſcriptam eſſe videat. Dividitur autem phthiſis ratione incrementi, & durationis, in incipientem & conſummatam, ratione modi quo homines affligit, in intermittentem & continuam. Sed ut de his quoque phthyſeos ſpeciebus L. B. diſtinctam habeat ideam, eaſdem definire neceſſe eſt.*

DEFI-

DEFINITIO.

§. 137. *Phthiſis incipiens*, eſt collectio & infarctus ſcirrhoſus materiæ tenacis viſcidæ, vel mucidæ in pulmonibus, quæ diſcuſſis fluidioribus ſanguinis partibus in duritiem abit, & tarde corrumpitur, vel etiam vomica pulmonalis in ortu adhuc exiſtens, nondum matura & rupta, in qua ſemper tuſſiunt, aliquando fortius, aliquando lenius. *Phthiſis* autem *Conſummata*, eſt illa, ubi vomica jam rupta, ſeu ulcus ſtricte ſic dictum adeſt, & ſanies cum tuſſi, vel tantum bonum pus, vel mucus glutinoſus, interdum etiam ipſa pulmonum ſubſtantia fruſtulatim ejicitur, totus pulmo ſucceſſive ab ichore conſumitur, & febris hectica reliquum corpus contabeſcere facit.

DEFINITIO.

§. 138. *Phthyſis intermittens*, illa dicitur, quæ ex vomica oritur, cujus ſacculis pure plenis, aut ruptis, tuſſis & reliqua ſymptomata affligunt, his vero inanitis & pure iterum in vaſa reſorbentia recepto, vel per os fere omni ejecto, plane evaneſcunt, & nil niſi reſpirationem difficilem relinquunt, collecto autem in relictis ſacculis novo pure, priſtino rurſus modo exacerbantur. *Continua*, medicis illa audit, ubi dicta hæc non eodem modo fiunt, ſed ſymptomatum quidem remiſſio, nunquam vero plenaria intermiſſio adeſt, quæque tam diu durant, uſque dum febris hectica & mors ſuperveniant.

COROLLARIUM.

§. 139. Cum ex peripneumonia, vomica [§. 128.] & ulcus pulmonum oriri poſſint, [§. 125.] & in his conſiſtat phthyſis, [§. 135.] hinc peripneumonia phthiſin efficere poteſt.

COROLLARIUM.

§. 140. Cum in noſtro ſubjecto adfuerint vomica, & ulcus pulmonum, [§. 12. 126. 127.] & peripneumonia anteceſſerit: [§. 128.] patet illud phthiſi laboraſſe.

COROLLARIUM.

§. 141. In pulmonibus præter vomicas latitavit ſanies nulli ſacculo incluſa, [§. 12.] ergo hæc in illo ſubjecto ulcus ſtricte ſic dictum conſtituit [§. 122.].

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM.

§. 142. Ergo in illo jam phthiſis conſummata fuit. [§. 137.].

SCHOLION.

§. 143. *Cum morborum & peractæ vitæ generis hujus ſubjecti hiſtoria à nemine ſit obſervata, affirmare nec poſſum, an intermittente, aut continua, laboraverit phthiſi: quia autem ex vomicis plerumque intermittens oriri ſolet, probabile mihi videtur, eandem hic adfuiſſe, quæ uno paroxyſmo nondum penitus abſoluto, dum vomica rupta eſt, in continuam & conſummatam permutata eſt. Cumque huic ſemper febris hectica ſit juncta, non dubitandum quoque de ejus præſentia, quam tamen diu duraſſe, mortiſque cauſam conſtituiſſe, unica circumſtantia credere prohibet, de his autem in ſequentibus agendum.*

COROLLARIUM.

§. 144. Cum febris hectica ſemper ſucceſſivam corporis extenuationem, virium conſumtionem & faciem hippocraticam efficiat, ſi ad mortem jam tendit, [§. 133.] neceſſe eſt, ubi hæc poſt mortem non inveniuntur, illa tamen adfuit, eam non diu duraſſe, nec cauſam mortis proximam conſtituiſſe.

COROLLARIUM.

§. 145. In noſtro igitur ſubjecto, cum nec corporis extenuatio, ſed potius aliqua pinguedo, [§. 12.] adeoque nec virium conſumtio, nec facies hippocratica animadverterentur, hectica tamen febris ulcus ſtricte ſic dictum ſemper concomitetur: [§. 133.] ſequitur hanc quidem in hoc corpore adfuiſſe ſed breviſſimum tempus, neque cauſam mortis nominandam eſſe.

EXPERIENTIA.

§. 146. Oedema pedum, vel ex obſtructis menſibus, vel febre acuta, vel hectica, vel ab aliis multis externis cauſis ſuboriri ſolet.

COROLLARIUM.

§. 147. Cum hoc ſubjectum tot afflictum fuit inflammationibus, [§. 12.] ex quibus facile obſtructio menſium ſubnaſcitur, [*per princ. patholog.*] hanc quoque illud paſſum eſſe, probabile eſt.

COROLLARIUM.

§. 148. Cum ex obſtructione menſium œdema pedum provenire ſoleat, [§. 146.] colligere licet, hoc quoque in noſtro ſubjecto ab illa ortum traxiſſe.

COROL-

COROLLARIUM.

§. 149. Cum febres acutæ ſemper inflammationes viſcerum concomitentur, [*per princ. pathol.*] quas poſteriores & hoc ſubjectum ſuſtinuit, neceſſe eſt, ut febribus acutis quoque afflictum ſit.

COROLLARIUM.

§. 150. Hinc œdema pedum, à febribus acutis quoque originem duxiſſe, colligere licet [§. 146.].

COROLLARIUM.

§. 151. Solet idem nec minus ex febre hectica oriri, [n. 146.] hinc niſi ex illa originem duxerit, ſaltem ea auctum eſſe conſtat.

COROLLARIUM.

152. Cum & ab aliis cauſis externis proveniat, [§. 146.] mihi autem peractæ ab illa perſona vitæ genus ignotum ſit, nullas quoque earum allegare poſſum, quæ œdemati pedum anſam præbere potuerunt.

SCHOLION.

§. 153. *Permulta enim dantur externæ cauſæ, ex quibus œdema pedum ſubnaſci poteſt; ex gr. ſi quis vitam agat ſedentariam, diu ſellis durioribus inſideat, quibus venæ crurales comprimuntur, paucis hebdomadibus œdema pedum experietur, quod tamen electo mobiliori vita iterum evaneſcit. Nec minus hoc illi contingit, qui ligamenta ſub genubus nimis fortiter conſtringit, vel diu ſuper equo latioris dorſi equitavit, & diuturna preſſione femorum, liberam humorum circulationem ex interioribus ad ſuperiora impedivit. Vel ſi ancilla ſub menſtruali fluxu nudis pedibus in aqua frigida linteamina lavavit, ſicque menſium obſtructionem procuravit. Vel etiam fœminæ gravidæ ultimo geſtationis tempore à compreſſis per uterum venis iliacis pedes accipiunt œdematoſos. Et* Paracelſus *ſuo jam tempore annotavit, ex vulneribus remediis refrigerantibus tractatis, pedum œdema oriri. Datur quoque œdema quod ab incongrua ſcabiei curatione ortum trahit. Plures præter has cauſas allegare nimis longum & ſupervacaneum eſſet; operæ magis pretium videtur, perſpectis jam morbis, eorumque cauſis, quibus hoc ſubjectum afflictum fuit, etiam in cauſam mortis inquirere, hanc autem tantum ex rationibus pathologicis concludere licebit.*

EXPERIENLIA.

§. 154. Prohibita modo aliquatenus reſpiratione, circulatio ſanguinis impeditur, arteriæ inaniuntur, venæ replentur, cor ſe rite evacuare nequit, & palpitat. Si autem in totum prohibeatur, tollitur omnis circulatio & vita ipſa.

SCHOLION.

§. 155. *Optime hoc perſpicere licet in ſuſpenſis, quam primum enim illis arteria aſpera laqueo conſtringitur, venæ ſtatim in facie & reliquo corpore tument, color naturalis à tranſparente per cutim ſanguine, in lividum mutatur, & ſi gulæ conſtrictio diu durat, reſpiratione non reſtituta, deficit motus cordis, qui per pulſum arteriarum cognoſcitur, & adeſt mors.*

COROLLARIUM.

§. 156. Ergo impedita reſpiratione, & libera pulmonum actione, impeditur quoque ſanguinis circulatio, cum qua penitus ſublata ipſa quoque vita tollitur.

HYPOTHESIS.

§. 157. Vomica diu quieta, tandem rumpere, & pus tanta copia in bronchia effundere poteſt, ut non omnis brevi tempore tuſſi ejici queat, adeoque reſpirationem impediat, imo penitus tollat.

COROLLARIUM.

§. 158. Ergo vomica rupta breviſſimo tempore vitam, ſi pus in bronchia effunditur, tollere poteſt, [§. 154.].

COROLLARIUM.

§. 159. Ob præſentiam tot vomicarum pulmonum in noſtro ſubjecto, [§. 12.] veroſimile eſt, illarum prius aliquas ruptas eſſe, & ulcus effeciſſe apertum, dein autem plures ſimul, ſicque ſuffocationem & ſubitam mortem induxiſſe.

SCHOLION.

§. 160. *Confirmat hanc meam hypotheſin, autopſia, quæ docuit externam ſuperficiem pulmonum non fuiſſe exulceratam, internam autem totam purulentam, & vomicis obſeſſam, adeoque eo facilius bronchia exulcerata pure repleri potuerunt. Imo eo magis perſuaſum habeo, vomicam huic ſubjecto mortem inducere potuiſſe, quando ad auctoritatem atque experientiam Celeberrimi* Junckeri *provocare licet*, qui in ſuo conſpect. med. theor. pract. tab. de vomica pulmonum, *ſic ſcribit*: quo magis vomica in profundo latitat, eo graviori periculo ruptura illius contingit, vel enim patiens, ſub ipſa eruptione ſuffocatur, præcipue ſi febris acuta hectica ſuppurationem anteceſſerit, vel brevi poſt jugulatur, ſi ipſa ſuppuratio copioſior fuerit.

COROLLARIUM.

§. 161. Suppurationem in hoc ſubjecto adfuiſſe copioſiorem quæ illud ſuffocare

focare

ſocare potuit, [§. 160.] teſtatur ſubſtantia pulmonum intra omnis purulenta [§. 12.].

COROLLARIUM.

§. 162. Dum vomica pulmonum in illorum profundo latitaverit, [*per autopſiam.*] hujus vero ruptura eo graviori periculo contingat, [§. 160.], probabile ſimul eſt, hanc ægram inde eſſe mortuam, vel ſaltem vomicam ad accelerandam mortem multum contuliſſe.

LEMMA.

§. 163. Phrenitis a peripneumonia orta, eſt lethalis.

DEMONSTRATIO.

Invenitur in *Boerhaavii* aphoriſmis & commentario in eoſdem §. 774.

COROLLARIUM.

§. 164. Paraphroſyne cum ſit phrenitis ab alia inflammatione pronata, [§. 57.] quæ à peripneumonia producta, lethalis eſt, [§. 163.] liquet paraphroſynem à peripneumonia originem ducentem, eſſe lethalem.

COROLLARIUM.

§. 165. Cum noſtrum ſubjectum paraphroſyne laboraverit, [§. 12. 57.] quæ à peripneumonia ortum dixit, [§. 56.] & tunc lethalis eſt, [§. 164.] patet jam alia mortis cauſa.

HYPOTHESIS.

§. 166. In hocce ſubjecto peripneumonia ſedem prius in arteriis bronchialibus habuiſſe mihi videtur, quibus ſuppuratis etiam fines arteriæ pulmonalis occupavit.

LEMMA.

§. 267. Peripneumonia, quæ fines arteriæ pulmonalis occupat, mortem producit

DEMONSTRATIO.

Vide *Boerhaav.* Libr. citat. §. 826. ubi ſimul modum, quo mors à tali morbo inducitur, optime deſcribit.

COROLLARIUM.

§. 168. Cum in noſtro ſubjecto peripneumonia arterias bronchiales obſederit [§. 166.] alia iterum mortis cauſa probabiliter evinci poteſt.

Digitized by Google

LEMMA.

§. 169. Si talis peripneumonia utrumque pulmonem ſimul & valde infecerit, erit cita & inſuperabilis mors.

DEMONSTRATIO.

Vid. in citato libro *Boerhaavii* §. 827.

COROLLARIUM.

§. 170. Cum in noſtro ſubjecto ſimilis peripneumonia utrumque pulmonem valide infecerit, quod magna eorum ſuppuratio teſtatur, patet illud citius animam efflare debuiſſe, [§. 169.] ac alias a febre hectica jam præſente mortuum eſſet.

SCHOLION.

§. 171. *Hæc ſunt, quæ tibi L. B.* de mania & cauſis morborum *hujus* ſubjecti *communicanda duximus. Deus interim T. O. M. conatibus noſtris ſemper benigne adeſſe velit, efficiatque ut in ſui ipſius gloriam proximique ſalutem redundent.*

FINIS.

JOAN.

X.

J. WOLFFG. FRID. BOENNEKEN BIGA CASUUM MEDICORUM

ἀπὸ

ΤΗ͂Σ ΜΑΝΙ΄ΑΣ ΝΟΣΗΜΑΤΩΔΕΟΣ

OBSERVATORUM.

Werthemiæ 1744.

Digitized by Google

CASUS PRIMUS.

CUm anno 1732. & ſequentibus annis in Civitate *Ducatus Geldriæ Arnhem* dicta praxin medicam exercerem, ſingularis hic mihi caſus obvenit: vocabar nempe die 28. Januarii ejuſdem anni ad ruſticum, qui appellabatur *Henrich van de Klap*, & ducentos circiter paſſus ab urbe habitabat; hic pridie morbo quodam laborare cœpit, quem, cum viſerem, ſtatim icterum eſſe cognoſcebam. Uxor ejus, femella tenera, temperamenti cholerico-melancholici, ætatis annum agens circiter quadrageſimum, ſeptimo jam die febre catharrhali benigna erat adflicta, quâ non obſtante, ex amore erga maritum, cujus mortem pro rei domeſticæ & familiæ conditionibus nimis præmaturam, ne eveniret, valde metuebat, è lecto, ut mecum eo diſtinctius de ſtatu morbi mariti & prognoſi ſermonem facere poſſet, egrediebatur, ægrota, inquam, ſudore critico ſeptimo morbi die per totam corporis peripheriam erumpente, madida. Dictis dicendis, & præſcriptis adverſus morbum mariti neceſſariis me diſcedentem uſque ante portam domus proſequitur, nudis pedibus, nec veſtibus, uti deceret, induta, tempore hyemali auſtero, ubi terra, ad minimum iis in confiniis nive obducta, intenſumque frigus erat, quam urbanitatem ipſi in hoc ſtatu cum reprehenderam, & periculoſam eſſe prænunciaveram, eamque domum ſuam non ſolum ſed & lectum cito citius ut intraret, juſſeram, abii.

Altera die 29. Januarii rurſus ægrotum ruſticum viſendi cauſa ad domicilium ejus me contuli, inſcius quid præteritâ die poſt meum diſceſſum contigerit; ſed totam familiam alioſque vicinos copioſiſſimas fundentes lachrymas offendi; hoc inopinatum triſtitiæ ſpectaculum, quid indicet interroganti mihi reſponderunt: uxorem ruſtici à meo diſceſſu uſque adhuc in deplorabilem inſaniam eſſe delapſam, ita ut ſine intermiſſione vehementiſſime deliraret. Ad lectum ejus itaque terrore quodammodo perculſus, licet de ejuſmodi eventu nonnihil prædixerim, properavi, in quo ægrota ab aliquot hominibus tenebatur, ne exſultaret, & ſequentia in ipſa ægrota apparebant phænomena: facies ejus tumida & admodum rubicunda erat, oculi pervicaces, feroces, rubentes, ſcintillantes apparebant, lingua arida, pulſus celerrimus & frequens, parvus, & tendinum ſubſultus percipiebatur, ægrota ſimul anxia & inquieta erat, quæ omnia conjunctim ſumta phrenitidem indicabant. Suaſi itaque venæ ſectionem, ſed hæc non poterat inſtitui ob nimiam ægrotæ inquietudinem, ideo præſcripſi medicamenta temperantia & antiſpaſmodica ex aquis Ceraſ. nigr. fl. Til. plantag. pulv. polychr. Pelarg. epil. nigr. Tartar. Vitriol. Tachen, Nitr. dep. Bez. min. Wed. Cinnabr. nat. ppt. Syr. Citr. M. omni bihorio cochl. ij ſumenda, deinde, ut alvus de officio ſuo per aliquot dies neglecto moneretur, tres juſſi bibere ſcutellas infuſi Theæformis laxantis pro marito compoſiti ex ſequen-

ſequentibus ſpeciebus. Rhab. Or. rad. Curcum. chelid. maj. SS. ſt. Cort. ☉r.

Inſequente die 30. Januarii adſtantes referebant, ægrotam noſtram præterita nocte quodammodo tranquilliorem ſe habuiſſe, nihil autem penitus dormiviſſe; pulſus adhuc celer, frequens & parvus erat, urina involuntario excernebatur. Continuanda ergo heri præſcripta medicamenta.

Die 31. Januarii agrypnian præterita nocte continuaſſe, & delirium circa auroram eſſe exacerbatum intellexi; ægrota, cum illam viſerem, defixis oculis me intuebatur, tandem ſeſe erigens voce clara, ſed canora, tremulaque ita me alloquebatur: *Gy kunt my niet helpe*, i. e. *me non poſſe auxilium ipſi adferre!* & hoc plus quam decies repetebat. Præſcripſi pulveres antorgaſticos in deliriis apud Autores celebres, ex pulv: epil. nigr. de Gutteta Majerni, Spec. ceph. Michael. &c. ſumatur ſing. quadrihor. dos. ad ſcrup. I. vel drachm. ſem. ſed nullum præſtiterunt effectum, ratio: quod cauſa hujus adfectus in primis viis, in acida nempe ſaburra ibi latente, non erat quærenda, idcirco hæc medicamenta, licet famigeratiſſima, plurimam partem vero e terra inerti conflata, evidentem & ſalutarem effectum edere non valebant, utpote quæ nec oſcula vaſorum lacteorum, multo minus venularum chyli ſolum defæcatiſſimi partem reſorbentium penetrare poſſunt, conf. Tractat. Meus vernacula conſcriptus: *von denen Erdhafften Mitteln* §. V. *und deſſen Anmerckung* Lit. O. p. 40. Pro potu ordinario decocto hordei citrato utebatur; Urina hodie pauca erat & aquoſa. Ad derivandam ſanguinis verſus caput congeſtionem veſicatoria ad ſuras, ſinapiſmos & rubefacientia ex rad. armoraciæ recenti, fermento, pipere & ſale, compoſita, ut & haleces diſſectas ad plantas pedum applicare permiſi.

Primo Februarii die delirium & omnia augebantur ſymptomata, agrypnia, inquietudo, tremores artuum, ſtridor dentium, alvi ſtrictura, ingens ſitis; largum itaque exhibere juſſi potum decocti hordei citrati, interponendo pulveres ex epil. nigr. & antiſpaſmod. *Stahlii* cum MP. de Cynogloſſa compoſitos, parva ſed repetita ſæpius doſi propinandos, & ad alvum aperiendam denuo infuſo ſupradicto laxante utebatur, ſucceſſit effectus cum aliquali delirii & ſymptomatum mitigatione; poſt meridiem enim hora prima ad ſomnum redibat propenſio, & inſequente nocte plus quam per totius morbi decurſum tranquille ſatis dormivit.

Secundo & tertio Februarii die omnia mitiora apparebant, licet nullum criſeos nec per urinam, ſudorem aut hæmorrhagiam, nec per alvum indicium ſeſe manifeſtaverit, pulſus tamen non ita celer, magis vero debilis ut & adhuc frequens percipiebatur; circa veſperam tertii Februarii de recuperanda ſanitate valde deſperabat ægrota noſtra, ex hac ratione anxia totam noctem ſine ſomno tranſegit. Poſtero

Quarto Februarii die delirium de novo ita recrudeſcebat, ut adſtantibus vim inferre tentaret, niſi eorum vi retenta ob defectum virium morbo conſumtorum illis cedere coacta fuiſſet, quod vero cum animadverteret

om-

Digitized by Google

omnibus adſtantibus amariſſime conviciabatur. Cum advenirem, delirantem noſtram furibundam offendi, quæ ab aliquot hominibus robuſtis in lecto tenebatur, fulgebant oculi, quorum pupilla, quia uvea undique æqualiter retracta, valde dilatata erat, uti in furioſis ordinarie obſervatur, pulſum duriorem, majorem & fortiorem, ſed longe tardiorem quam antea percepi, verbo! aſpectus ejus terrorem mihi ipſi incutiebat, quem hæc verba: *De Duyvel zal my 't hoofd vermoſele*, item *de Zatan trekt my den Arm uyt*, i. e. *diabolus caput meum franget, item Satanas brachium meum à corpore diſcerpit!* voce dura & diſtincta ejecta non nihil adaugebant. Cum vero nec febris, nec æſtus, nec ſitis adeſſet, attonitus ægrotam adſpexi, junior ſive non niſi per olympiadis ſpatium medicinæ practicus, quidque conſilii fere neſciebam, meditabundus in magno rei medicæ oceano fluctuans, tandem vero collectis iterum cogitationibus meis hinc inde diſperſis, ac ponderatis omnibus circumſtantiis in ægrota obſervatis, *maniæ* ſpeciem nunc eſſe morbum judicavi, ideoque ſequens præſcripſi infuſum Theæforme ex herba anagallidis cum flore Puniceo decantata in ejuſmodi deliriis, & herba millefolii, nec non tincturam refrigerantem *Pelargi* ſing. quadrihor. ad gtt. XXXV.-XL. Imprimis hoc ſingulare in noſtra ægrota animadvertebam, quod, ſi propius ad lectum ejus accederem, illa haud levi iracundiæ adfectu me intueretur, & niſi retenta, ſummæ illi fuiſſet voluptati, ſi vim mihi inferre ipſi licuiſſet. Hoc phœnomenon mihi illud confirmavit, quod legi in *Valentini Prax. med. infall. Sect. III. p.* 228. ubi dicit: *Maniaci Medicis ſiunt infenſiſſimi*; & hoc certe verum eſt, ſiquidem & alia vice Arnhemiæ hoc mihi contigit, cum ruſticus in pago vicino etiam maniacus catena in pede munitus, forcipe ferrea, qua eo loco ad reponendum lignum ſuper focum uti ſolent, cranium mihi frangere tentabat, ſi illi juxta intentionem ſucceſſiſſet, ſed cum opportuno tempore propoſitum ejus animadvertebam, diſceſſi, & illum poſtea uſu aquæ ſelteranæ ſanavi, conf. huc *Fabrit. Hildani Obſerv. Med. Cent. IV. obſ.* 8. *p.* 18. *Imo obſervavit Olaus Borrichius*, quod delirio melancholico vel alio ſanati Medicum ſuum poſtea odio proſequi ſoleant. vid. *Thom. Bartholini Act. Med. Hafſn. Vol. IV. obſ. XLV. p.* 148. Inſequente à 4°. ad

5um. Februarii nocte nihil dormivit, eademque ut heri urgebant ſymptomata, alvus heri depoſuit ſcybala dura fuſci coloris, hodie denuo ſtricta eſt, ideo adſumſit ſæpius citatum infuſum laxans. Dirus autem & atrox hic adfectus mirum in modum me fecit ſollicitum, & conſilii quærendi cauſa ut celeberrimorum practicorum libros evolverem me impulit, licet parum ſolatii apud plerosque invenerim, donec tandem *Bacleri Cynoſur. Mater. Med. Tom. III.* caſu in meas incidit manus, ubi *Part. II. p. m.* 870. ſub titulo *Sanguis aſini* ſequentia legi: *Medicum quod concernit uſum, ſanguis aſini multum celebratur in delirio, in melancholia, in epilepſia, apoplexia, defectu loquelæ &c.* Sapienti ſat, aiebam, in caſu tam difficili conſilium quærenti! legi ideo & relegi aliquoties dicta verba, deinde

& alios practicorum libros adduxi, & an conſentientes invenirem inſpexi, nonnulloſque reperi. Cur igitur dubitarem, me ipſum alloquebar, quin tentarem in caſu tam deſperato & extraordinario etiam remedium extraordinarium? probe gnarus triti: melius eſt in caſu deſperato tentare remedium anceps quam nullum! anceps quidem hoc mihi non videbatur. Difficillimum nunc erat illum ſanguinem Arnhemiæ adquirere, aſt horis aliquot præterlapſis tandem cura ac ſtudio Pharmacopæi ibi famigerati Dom. *Knoop*, illum accepimus; hic juxta præſcriptionem meam ſequentem in modum præparavit medicamentum:

Rp. Panni lintei ſangu. aſin. imbuti & ſicc. trium digit. latit. & unius digiti longit.

Herb. anagallid. fl. punic (ob defectum aquæ deſtill. ejuſdem herbæ) Manip. Sem. Inf. in aquæ font. fervid. q. ſ. Colat. Rec. Uncias IV. D. ad Vitr. S. ſumatur ter de die ſing. vicib. tertia pars.

Hujus medicamenti hodie hora nona veſpertina prima vice hauriebat ægrota tertiam partem, & inſequente nocte nonnihil dormiebat & ſatis tranquille.

6°. die Februarii cutis huc uſque arida & ſicca jam mollior tactu apparebat, ad madorem quoque diſpoſita, urina cocta ſedimentum fuſcum poſt moram quandam ad fundum vitri deponens, pulſus heſterno æqualis, timida magis & ſpeculabunda videbatur ægrota, tandemque meticuloſa adſtantes exhortabatur his verbis: *Gy lieden de waerelt vergaat* i. e. *O homines mundus perit!* Interim continuabatur medicamenti heri præſcripti uſus hora ſeptima ante meridiem & tertia poſt meridiem, ut & veſperi hora nona; tuſſiebat hodie ægrota, quod inde ortum eſſe judicabam, quia pridie corpus præcipue pectus ſub delirio plus juſto denudaverat. Sequenti nocte licet parum dormiverit, tranquilla tamen & mere ſpeculabunda permanſit.

Poſtero die ſeptimo Februarii urina emittebatur turbida ejuſmodi ſedimentum ut heſterna deponens, ſudor quidem præterita nocte non copioſus tamen mador prorupit; continuetur uſus potiunculæ ſpecificæ more ſolito juſſi.

Sequenti octavo Februarii die urina ejuſdem ut heſterna conditionis erat, & ſat bene dormivit ægrota, alvus ſtricta nimis aperiebatur uſu infuſi ſæpius memorati laxantis; adſumſit inſuper porro medicamentum ſpecificum. Hodie ante meridiem ſingularis noſtra cum ægrota accidit caſus: adveniebat enim laniarius vitulum emendi cauſa, quare ægrota noſtra ſurgebat, cum illo ſtabulum inibat, & vitulum, prout decebat, illi vendebat. Quæ actio licet e voto quoad rem domeſticam ſucceſſerit, tamen laudanda non erat, ſiquidem aëri liberiori ſeſe exponere debebat, & eventus deinde ſane comprobavit, quod conſultius feciſſet, ſi in conclavi ſuo & lecto manſiſſet, cutis enim laxior, porique patuli magis aëris auſteri tactu conſtringebantur, & materies, quæ per emunctoria excerni debuiſſet, retropelle-

pellebatur, deinde ſimul menti ipſi peregrinæ prorſus & protinus ideæ imprimebantur, hinc duplici ratione hac venditione vituli ad delirii novi acceſſum anſa dabatur, id quod etiam eventus paulo poſt teſtatus eſt; poſt meridiem enim de novo delirare cœpit, & quod fere ridiculum, me ipſius medicum & ſoſtrum, ſi ſanata eſſet, mihi ſolvendum, quod ad 200. florenos taxabat, (etſi quinquageſimam horum vix ac ne vix quidem partem poſtea acceperim) pro objecto habuit; quo tandem effluxo, adeſſe quendam, vaccam ejus qui vellet occidere, animo effingebat, ad quod prohibendum omnes impendebat vires; duravit vero hoc delirium duntaxat uſque ad mediam noctem, ſumto deinde remedio ſpecifico quietior facta eſt.

Altera die Februarii nona in totum ad ſe redibat, & de ſuſurru ac ſtrepitu, quem in capite perſentiſceret, conquerebatur, eaque de re triſtis erat, & remedium adverſus hoc incommodum ex me petebat; pulſus erat naturalis, excepto eo, quod paululum debilis eſſet. Præſcripſi mixturam roborantem cum camphoræ pauxillo, quo medicamento, interpoſito ſi neceſſitas poſtulabat laxante infuſo, continuavit uſque ad 16. Februarii, interea ſenſim ſenſimque triſtitia quoque evanuit, & ægrota noſtra priſtinam recuperavit cum corporis tum mentis ſanitatem, pro qua conſervanda, atque præſervanda, ut venæ ſectio in pede circa æquinoctium vernale proximum inſtituatur auctor fui, obtemperavit meo conſilio, & nunquam per quadriennium, quo Arnhemiæ domicilium meum erat conſtitutum, morbo correpta eſt, & anno 1738. quoque in bona ſanitate vixit.

CASUS ALTER.

In hoc anno 1744. menſis Maii die tertio vocabar Werthemiæ hora circiter decima ante meridiem ad piſtorem quendam hujus civitatis, nomine *Jac. Phil. Lange*, cujus uxor, femella ſtatura parva ſed robuſta, temperamento ſanguineo phlegmatica, ætatis annum agens vigeſimum ſecundum, matrimonii alterum, gravida, & juxta mariti femellæ & obſtetricis calculum partui proxima, licet uterus ſtricte clauſus, nec aliud appropinquantis partus indicium adeſſet, ante aliquot dies eryſipelate faciei cum atrociſſimis capitis doloribus ſtipato, infeſtata, huic adfectui moleſtiſſimo ab incunabulis fere adſueta, hora quarta matutina ſubito epilepſia, cum plenaria rationis, viſus & auditus abolitione correpta eſt, quam cum debita attentione adſpicerem, ſequentia animadvertebam phænomena: facies ejus rubebat, oculi huc & illuc vagabundi, ſcintillantes, eorum palpebræ ſuperiores retractæ, pupillæ valde dilatatæ apparebant, ſitu erecto ſedebat in lecto, omneſque adſtantes anxie intuebatur, quaſi deſideraret aliquid ab illis, aut quaſi aufugere vellet, ſæpiſſime ex imis cordis penetralibus ingemiſcens. Præterea totus corporis habitus tumidus, leucophlegmaticus,

maticus, colore pallidus erat. Fœmina hæc ante aliquot dies aliarum mu- liercularum conſilio dextræ manus venam cephalicam inter pollicem & indicem ſecare permiſit. Ante meum adventum jamjam accerſitus erat Honoratiſſimus Dom. Collega meus Dr. *Aſſum*, Civitatis & Comitatus Phyſicus meritiſſimus, qui clyſterem emollientem & carminativum, ut & miſturam analepticam & temperantem ex Aquis Ceraſ. n. Fl. Tiſ. Lil. conv. Scorzon. Meliſſ. S. V. Cinnam. cydoniat., Liqu. anodyn. Hoffm. Liqu. C. C. Succin. Pulv. epil. March. Specif. ceph. Mich. Nitr. dep. Antim diaph. Syr. acetos. Citr. compoſitam præſcripſerat, cujus cochl. 2. jamjam ægrota adſumſerat. Pulſum ejus durum, magnum, plenum, & non admodum celerem perſenſi, hinc ob urgentem & turgentem plethoram, deinde ob nimiam verſus caput factam congeſtionem venæ ſectionem in pede, de qua Doctiſſ. Dom. Collega jam ante adventum meum locutus erat, ſuaſi, aſt impoſſibile erat hanc inſtituere, ob tumorem pedum œdematoſum; ideo venæſectionem jugularem propoſuimus, ſed & hæc in ægrota tam inquieta, quæ ne momentum quidem caput quietum tenebat, & ubi ab epilepſiæ inſultu ſub ipſa operatione ſecuri non eramus, non poterat celebrari, nec prius, quam revulſoria aut depletoria præceſſerit, ſuadenda, hinc, cum quilibet noſtrum quid agendum ſit hæſitaret, clyſterem præſcriptum applicandum prius judicabamus, & expectandum ab eo effectum. Poſt meridiem hora prima iterum apud noſtram ægrotam in priori adhuc ſtatu conſtitutam conveniebamus; referebant maritus ceterique adſtantes, quod epilepſiam aliquoties ſuſtinuerit ſingula vice vehementiorem, cum ſpumæ ſanguine tinctæ ex ore protruſione. Enema applicatum operationem ſuam præſtitit, ad venæ ſectionem, quocunque modo fieri poſſit, properandum eſſe cito citius uno affirmabamus ore. Accerſitus itaque Chirurgus hujus civitatis hac in re verſatiſſimus, & pedes & brachia & collum inſpexit, ubi ſecare venam ſecuriſſimum ſit, tandem brachium dextrum elegit, venamque medianam uno ictu conſueta ſibi promtitudine aperuit; ægrota quid ageretur neſciebat, uſque dum Chirurgus venam incidebat ſubito perterreſiebat, interim ſanguinis unciæ X. vel XII. detrahebantur. Quo facto conſentiente æſtimatiſſ. Dno. Collega præſcripſi egregium illud ſæpiuſque expertum antiſpaſmodicum & nervinum medicamentum oleum nempe deſtillatum Cajeput, ejuſque guttulas V. cum miſturæ cochl. 1. ſumendas præcepimus, deinde diſceſſimus expectaturi & venæſectionis & exhibiti medicamenti effectum. Concedente Deo ſalutaris hic fuit, etſi enim aliquoties inſultus epilepticos paſſa ſit, mitiores tamen prioribus fuere, & hora ſexta veſpertina tandem ex improviſo ſub epilepſiæ paroxiſmo uterus antea clauſus ſeſe protinus aperuit, & fœtus fœminini ſexus, quoad ſtructuram corporis maturus & bene conformatus, ſed proh dolor! mortuus inſcia ægrota eſt excluſus; diu tamen e vivis ereptus non fuerat, ſiquidem admodum recens erat, nec ſigna putrefactionis in corpuſculo ejus animadvertimus, in ſecundinis vero uti obſtetrix referebat, jamjam putre-

dinis

dinis indicia quædam ſeſe manifeſtarunt. Puerpera noſtra nihilominus manſit mente capta, & poſt partum unicum adhuc epilepſiæ paroxiſmum eſt experta; hora nona veſpertina denuo adſumſit olei Cajeput gutt. V. cum miſturæ cochl. II. & inſequentem noctem tranquille ſatis tranſegit.

Altera die, quarta nempe Maji, hora circiter quarta matutina rationis plenarie compos facta eſt, & ſic per 24. horarum intervallum ſanæ rationis uſu privata fuerat, aſſurgere & in conclave ſe conferre tentabat, neſciens quid heri ipſi contigerit, mariti vero & adſtantium enarratione, quod pridie ſcilicet puellam mortuam ſit enixa, certior facta, ut & cum lochiorum fluxum ipſa animadverteret, valde mirabatur, ſe cuncta hæc ignorare, poſtea vero tranquille & placide, ut puerperam ſummopere decet, ad lectum ſe accommodavit. Lochia autem minus ſufficienter fluere mihi videbatur, idcirco pilularum polychreſtarum doſin ad ſcrupulum unum veſperi ſumendum commendavi, hac nocte parum quidem dormivit puerpera, ceterum vero quieta.

Quinto Maji die optime valebat noſtra puerpera, & nihil amplius metuebat, hinc & ipſi judicabamus, ſi diæta & regimen, prout puerperæ convenit, obſervabitur, non amplius hic opus eſſe cum medicis tum medicamentis; interim pro abſtergendis cruoris in utero hærentibus recrementis, & promovendis paululum lochiis, tandemque excretione alvina, (cum à die partus alvum nondum habuerit apertam) facilitanda, hodie veſperi adſumſit pilul. polychreſt. ſcrupulum. Priuſquam vero diſceſſi conquerebatur puerpera de dolore vulneris ſectione venæ inflicti, quod cum inſpicerem puſtulas nonnullas miliares albas circa illud efflloratas animadverti, hinc marito purpuram adventuram eſſe indicavi, licet jam dum uxor ejus & corpore & mente ſana videretur. Inſequentis vero

Octavi Maji die hora quarta matutina cito vocatus puerperam noſtram delirantem offendi, facies ejus apparebat pallida, fluxus lochiorum erat parciſſimus, ſed non in totum ſupreſſus, nil niſi de morte appropinquante loquebatur, multa tamen etiam confuſe, voce clara, multiſque exclamationibus proferebat, miraſque faciei, brachiorum, manuumve torſiones & tenſiones faciebat, tandem in tremores deſinentes; quæ phænomena adſtantibus terrorem incutiebant, licet veræ convulſiones non eſſent, ſed ſolum motus ex phantaſia læſa, prout objecti imaginati ratio exigebat, ſponte quaſi facti, nam magis tales motus producebat, ſi adſtantes de his inter ſe loquebantur, ad omnia enim exquiſitiſſime attendebat ægrota. Interdum e lecto exſultare tentabat, ingentibuſque viribus pollebat, pulſus erat celer, & frequens, acutus & parvus; purpura, ut heri prædixi, magis magiſque erumpebat, præcipue in curvatura brachiorum, circa carpum, metacarpum & in pedibus, circa collum vero, humeros, & pectus non admodum copioſe; præſcripſi Emulſionem ex ſequentibus: Rec. Sem. Card. ben. card. mar. Aqu. deſt. Scorzon. Cichor. Camph. Syr. cap. ven. f. l. a. Emulſ. adde Spir. Bez. Buſſii, ſumatur ſingulo bihorio cochl. II.

Remittebat nonnunquam delirium pro febris vehementiori vel mitiori gradu, ita ut una aut altera hora mentis compos eſſet, erumpente interim purpura rubra albaque interſperſa.

Nono Maji die purpuræ efflorefentia paululum cunctabatur, æſtus tamen & anxietates præcordiorum augebantur, ideo ſequentem præſcripſi miſturam. Rec. Oc. cancr. ppt. Acet. Vin. ſimpl. efferv. poſtea adde Aqu. deſt. Card. ben. Fl. ſcabioſ. Syr. Rub. Id Spir. min. anodyn. Hoffm. & Bez. Buſſ. Antim. diaph. non elix. M. D. S. Sing. 3. hor. cohl. I I. poſt hujus mixturæ uſum purpura copioſe ſatis, ſed non excedente numero effloruit, cum inquietudinis & præcordiorum anxietatis levamine, delirium ceſſabat, & ægrota inſequente nocte per horas aliquot dormiebat. Somno vero finito multo majori impetu delirium invadebat, & purpura retrocedere videbatur, quod certe à nimia ægrotæ inquietudine & corporis voluratione, hinc liberiori aëris admiſſione ortum eſt, rebus ſic ſtantibus ſequens præſcripſi.

Decimo Maji die medicamentum ex Oc. Cancr. ppt. Acet. vin. ſimpl. efferv. poſtea adde Aqu. deſt. Card. ben. Fl. ſcab. ſcord. antim. diaph. non elix. Extr. Croc. Caſt. Camph. c. pin. ſubact. ſpir. min. Hoffm. Bez. Buſſ. Eſſ. ſcord. Syr. Rub. Id M. d. ſ. ſing. 3. hor. cochl. I I. Uſu hujus mixturæ purpura retrocedens de novo eſt expulſa, delirium mitius fiebat; nihil autem dormiebat, urinam & alvum in lectum deponebat.

Undecimo Maji die purpura defloreſcere incipiebat, & ſquamulæ ejus quaſi furfuraceæ hinc & inde decidere, febris fere ceſſabat, pulſus enim naturali haud abſimilis niſi quodammodo debilior percipiebatur, & omnia meliora videbantur. Poſt meridiem vero puerpera noſtra, licet quoad aſpectum externum ſanitati proxima appareret, nihilo tamen minus oculorum ejus ſplendor, vultus audax & ferox, ac furioſæ manus, quibus adſtantes arripiebat, & ad ſe trahebat, firmiterque tenebat, contrarium indicabant. Medicamenta adſumere abnuebat, nec perſuaſionibus neque vi, (quam quidem ſemper prohibui) cogi poterat, prona enim erat admodum ad iracundiam, & adſtantium officia ipſi præſtita alapis, niſi ſibi proſpiciebant, remunerabat; noctem verſus delirium furioſum augebatur, ita ut in lecto retineri non poterat, ſed de eo exilivit, in conclavi nudis pedibus obambulavit & mirum in modum ſtulte ſe geſſit, mox cantabat, mox orabat, mox ridebat, mox moroſa erat, aliaque proferebat.

Die duodecimo Maji, hora nona ante meridiem ſubito ad ſe redire videbatur, actionum ſuarum pauciſſimam partem gnara, pulſus erat naturalis, purpura ſenſim defloreſcebat, & ægrota ſoliti eo tempore cutis pruritus ſcalpendo leniendi maximam ſuſcipiebat curam. Gaudium vero hac ægrotæ mutatione in animis ſanguine propinquorum exortum diu non durabat, hora enim quinta poſt meridiem ægrota de ingenti præcordiorum anxietate, dolore capitis, palpitatione cordis, nubecula ob oculos volitante conquerebatur, ſibi tamen exacte præſens erat, pulſus autem magnus

&

& durus; quibus circumſtantiis ponderatis venam ſecare conſultum duxi in pede ſiniſtro, (tumor enim œdematoſus ante partum præſens omnis evanuit, ad Uncias X-XII. poſt venæ ſectionem tranquilla fuit & rationis compos, & ad mediam uſque noctem quiete dormivit. Quam primum vero ſomno expergeſieret, de novo delirabat & anxietates enormes ſentiebat, hinc ſæpius profunde ſuſpirabat; cum vero alvus per triduum jam fuerat clauſa, ad illam reſerandam exhibui.

Die 13mo Maji poſt meridiem pilulas ex Extr. Panchym. Croll. Sap. alicant. Gumm. ammon. acet. ſcill. ſol. diacryd. ſulph. pro una doſi compoſitas, quæ poſtea quinquies alvum aperuerunt.

Die 14. Maji. Præterita nocte nihil ægrota noſtra dormivit, ſed continuo anxia fuit & ſuſpirioſa, mox e lecto egreditur, mox iterum in illud ſeſe reclinat, & magno niſu, corporiſque vario motu abſurda profert, omnes vero perſonas accedentes probe movit, & cum illis loquitur, licet confuſe admodum, pulſus magnus eſt & fortis, nec æſtus, nec ſitis urget; hodie venæ ſectionem reiteravi in altero pede ad lipothymiam uſque, ſucceſſit quoque multo antea adhibito labore tamen feliciter ad Unc. circiter XII-XV. ſanguis extractus in aquam demiſſus gelatinæ ſeu ſpermatis ranatum ad inſtar concretus, tenaciſſimus, ut valde elongari poterat, apparebat. Poſt venæſectionem ceſſata lipotyhmia pulſum celeriorem & paululum minorem quam antea percipiebam, nihilominus tamen more ſolito delirabat; præſcripſi 2. pulveres antiſpaſmodicos cum aliquot granis ſacchari ſaturni mixtos, quos etiam adſumſit, ſed omnia in caſſum inſtituebantur. Maritus tandem & parentes uxoris ejus tædioſi fiebant, & a medicamentorum uſu penitus abſtinendum nunc eſſe, & Deo ſolum hoc opus committendum judicabant, arbitrantes: per totam ægrotæ vitam deſipientiam ejus duraturam, ſiquidem ſingula fere hora magis augeſceret, nec ullum hucuſque exhibitum medicamentum deſideratum præſtitiſſet effectum. Verum eſt! res videbatur fere conclamata, augebatur enim delirium ita ut geſtus, & actus abſurdiſſimos efficeret, ridiculoſque non nunquam faceret ſermones; v. g. mox ſummo cum impetu obſtetricem advocare jubebat, reiteratoque clamore ne cunctarentur cum periculum eſſet in mora ad ſtantes adhortabatur, quo partui iſta ejus proxime excludendo, qui jamjam inſtaret, ſuccurreret; mox genua flectebat, quaſi videret perſonam, cui ſummam deberet reverentiam, mox e contrario hæc femella τυφομανὴς ipſa ab aliis præſentibus ejuſmodi humilitatis ac venerationis cultum, ut genua nempe erga illam flecterent, poſtulabat, mox ſanguinem e vena jam diu conſolidata effluere ſibi repræſentabat, mox filium Dei, angelos, diabolum & neſcio quid amplius videbat, mox maritum ejus amplectabatur, firmiter que tenebat fere uti ἐρωτομανία laborantes ſolent, &c. Cum vero delirium tandem in furorem abiret, ita ut omnia, quæ in conclavi offendebat, in terram projiceret, & ipſa aliquoties e feneſtra profilire contenderet, ſuaſi, ut noſtram ægrotam in conclavi, feneſtra & janua prius pro-

be

be munitis, omnibuſque, quibus vim ſibi inferre queat, e medio ſublatis, tenebrioſum ſolam includerent, probe memor ejus, quod dixit *Celſus Lib. III. de Med. cap. XVIII. p. m.* 149. *Dari nempe inſania affectos, quorum alium lux, alterum tenebræ magis turbent, tertium nihil harum afficiat, optimum itaque eſſe utrumque experiri, & habere eum qui tenebras horret in luce, eum qui lucem in tenebris; at ubi nullum tale diſcrimen eſt, æger ſi vires habet, loco lucido, non habet obſcuro continendus.* conf. *Cæl. Aurel. Tr. de morb. acut. Cap. XV. p.* 49. Huc uſque enim in conclavi admodum lucido ſolaribus radiis nimis expoſito jacuerat, ergo tentandum, utrum hæc mutatio nonnihil ad mitigandum delirium conferat. Rebus autem ſic ſtantibus quid porro agendum dubitavi, uſque dum reminiſcebar caſus ante recenſiti, cujus hiſtoriam ſtatim in diario meo aliquoties perlegebam, & cum in una & altera circumſtantia analogiam inter utrumque delirium, animadverterem, de exhibitione ejuſdem remedii cogitabam; aperui autem meam reſolutionem marito uxoris, quod ex hac ratione facere debebam, quia à medicamentorum uſu deſiſtere antea, ut ſupra dixi, decreverat, hocce unicum tantum, ut permitteret, illum exhortabar; conſenſit lubentiſſime, quo facto ſanguinem aſinnium adferre curavi, & ſequentem in modum apud Pharmacopolam hujus civitatis peritum Dn. *Bekker* præſcripſi.

Rp. Panni Lint. Sangu. Aſin. imbut. & ſicc. longit. unius digiti, & latit. 3um digit.
 Herb. Anagall. fl. punic. pug. I.
Inf. Aqu. deſt. flor. Til. fervid. Unc. III. uſque dum ſanguis in totum ex linteo panno ſit extractus, tum coletur & D. ad Vitr. ſ. pro una doſi, ſumatur talis mane & veſperi.

Altero die 15mo Maji, hora circiter octava prima vice hanc doſim multis perſuaſionibus, cereviſiam eſſe, ægrotæ noſtræ dederunt, & veſperi pari modo, ſequentem noctem admodum tranquille tranſegit, & circa matutinam diei 16. Maji ſudor erupit, urina quoque excreta eſt fuſci coloris poſt moram ejuſmodi ſedimentum deponens; delirat autem adhuc, ſed longe mitiori gradu; adſumſit mane hora ſeptima doſin potiunculæ præſcriptæ tertia vice. Poſt meridiem vero hora quarta ex improviſo in totum ad ſe rediit, & ſanæ rationis uſum recuperavit, in ſummum mariti & parentum gaudium, actionum ſuarum non in totum ignara, Deo Trinuni gratias humillimas perſolvens pro clementiſſima ſanitatis & rationis reſtitutione. Licet vero hæc, & mihi jucunda, mutatio in noſtra ægrota contigerit, tamen ea propter nondum ab uſu potiunculæ ſtatim deſiſtendum eſſe judicavi, ſed ad minimum circa hujus diei veſperam, & altero die continuandum; obtemperabat conſilio meo, & doſin veſperi hauriebat, ſequente nocte quiete dormiebat, & ſudabat.

Alteroque die 17mo Maji bis medicamentum ſumſit, urina hodie heſternæ erat ſimilis. Jam actionibus & ſermonibus noſtra femella, quod in

in priſtinum ſanitatis ſtatum ſit reſtituta; comprobat; redit appetitus, ſomnus, & propenſio ad ſubeundas res domeſticas, alvus quoque officio more ſolito reſpondet, & excepto aliquo laſſitudinis ſenſu nihil mali ſupereſt.

Die Maji 19no curioſitatis gratia hanc femellam viſitavi, ut certior fierem, num recuperata ejus & mentis, & corporis ſanitas duratura eſſet nec ne? Offendebam illam, præter omnem opinionem circa res domeſticos occupatam, & quam primum me videbat, lætabunda exclamabat: *Deo Maximo ſit laus & gloria, qui & medicamentorum præſcriptionem, & eorum operationem ad ſanitatis & præcipue uſus rationis meæ reſtitutionem clementiſſime cedere juſſit!* Deinde mihi multis verbis pro ſedulo adhibita cura & patientia gratias egit. Interrogavi vero eam, utrum temulentiam vel gravativum capitis dolorem perſentiſceret, aut ſuſurrum vel tinnitum aurium? illa reſpondit, quod præter laſſitudinem aliqualem, (nam debilitas non erat ſtricte vocanda,) viſuſque imbecillitatem nihil percipiat incommodi. Alvum autem per aliquot dies eſſe ſolito ſtrictiorem; ideo & hiſce incommodis ſequentibus ſuccurrere volui: Rp. Extr. Scord. Cochlear. Cent. min. Sapon. Alicant. Aloes ſuccotr. Gumm. ammon. acet. ſcill. ſol. Sal. polychr. Seign. M. f. pil. pond. gr. 11. D. S. Sing. Veſp. X. & Rp. Herb. anagall. fl. punic. Meliſſ. Fl. Stœchad. arab. Aniſ. ſtell. M. C. C. D. S. Thea cephal. ter in die ſcut. 45. Poſt meridiem vero priuſquam hæc medicamenta e pharmacopolio acceperit, menſes ſine ullo incommodo eruperunt & poſtea per aliquot dies more ipſi ſolito effluxerunt, & adhuc pancratice vivit.

E P I C R I S I S.

Enarrata nunc utriuſque delirii & circumſtantiarum illud antecedentium, concomitantium, & conſequentium hiſtoria, operæ pretium judicavi, nonnulla momenta paulo accuratius exaſciare & dijudicare. Quæ, ut eò melius eluceſcant, certis ſub quæſtionibus pertractabo. Cuilibet vero, niſi in arte medica hoſpes ſit, conſtat, duplex in praxi clinica animadverti deliriorum genus, acutum nempe & chronicum, cujuſcunque vero diverſas ſpecies in ſchola medica recenſeri & explanari; exinde autem omnium hic prima oritur quæſtio:

I. Ad quodnam deliriorum genus tam primi quam ſecundi caſus delirium pertinet?

A. Delirium prioris caſus,

(*a*) Si ad primum ejus ortum attendimus, accenſendum eſſe deliriis acutis exinde patet: morbus ille, cui accidit, uti ex hiſtoria apparet, erat ex acutorum claſſe, febris nempe catharrhalis benigna; deinde ſub ipſo delirio obſervabatur pulſus celerrimus, frequens, parvus, anxietas & inquietudo, lingua arida, ſubſultus tendinum, rubor genarum, ſitis, febris inflammatoria, ut & delirii ipſius pro gradu febris majori vel mitiori vix ſenſibilis remiſſio, ergo παραφρενίη, ſeu phrenitis ſymptomatica mihi

audiebat, ad acuta deliria numeranda. Mutatis vero circumſtantiis allatis, adſcribitur etiam.

(*b*) alteri deliriorum generi nempe chronicorum; ſublata enim febre, & pulſu in majorem & tardiorem ordinario tamen vegetiorem & fortiorem mutato, durante nihilominus delirio, imo augeſcente eo, uti in priori caſu evenit, tunc delirium chronicum eſt. Hinc apparet, cur utriuſque caſus delirium mihi vocatur ἡ μανία νοσηματώδης aut νοσηματική. i. e. Mania ſive inſania morbum non ut ſymptoma concomitans, nec quæ ſine prægreſſo morbo ſua ſponte, ſed, quæ ex morbo quodam præcedente, eoque jam ſuperato, oritur.

B. Alterius caſus delirium pari ratione in primo ejus ortu pertinebat.

(*a*) ad acutorum genus, ſiquidem puerpera noſtra tempore intermedio poſt partum, uſque dum purpura effloreſcere cœpit, ſibi perfecte conſtabat, nec ullum delirii veſtigium ſeſe manifeſtabat; cum vero morbo exanthematico ſe adſociavit, præcipue in ejus primordio, ſimulque pulſus celer, frequens & acutus, anxietas & inquietudo adfuit, ideo etiam deliriis acutis hoc adnumero; licet priori eſſet mitius, tantus enim non urgebat ardor, nec linguæ ſiccitas, nec faciei rubor, multo minus tendinum ſubſultus, nec ferocia, neque febris inflammatoria, hinc tale erat delirium, quale morbis acutis ſolum familiare frequentiſſimum eſt ſymptoma. Poſtea vero quoque

(*b*) ad chronicorum genus referri meretur, quando deflorata purpura, ſublataque febre, & pulſu antea febrili in magnum, tardum, lentumque, qualis in ſubjectis cachecticis & leucophlegmaticis obſervatur, mutato, tamen continuat imo augeſcit delirium, tunc chronicis accenſendum puto. Nunc ad quæſtionem alteram:

II. In quibus circumſtantiis deliria recenſitorum caſuum inter ſe erant diſtincta?

Differebant inter ſe

A. Ratione cauſæ proximæ:

(*a*) In priori enim caſu non ſolum præcurrerat mœſtitia ob morbum mariti, ejuſque metuendam mortem, ſed, &, quod maximum, acceſſu aëris liberioris auſteri hyemalis ad corpus negligenter veſtibus cinctum, nudoſque pedes, ſudor criticus, ſeptimo febris catharrhalis die jam jam partim eruptus, partim adhuc in extremis arteriolarum cutanearum finibus, cum in intervalla papillarum cutanearum, tum in ipſas papillas deſinentibus, extrorſumque patentibus, hærens, conſtrictione cutis repente prorſus reprimebatur, & ſic materies excernenda denuo humorum maſſæ diffundebatur, imo caput verſus plus juſto ferebatur, id quod partium inferiorum refrigeratio eo magis adauxerat: Qua materiæ morbificæ μετάςασι intra ἐγκέφαλον facta, continuante inſuper majori per arterias carotides, vertebrales & cervicales ſanguinis appulſu, tardoque nimis, & huic minus reſpondente per venas jugulares & vertebrales refluxu, nihil aliud oriri po-

Digitized by Google

poterat, quam vaſorum cerebri & meningum inflatio, ſanguiniſque ſtagnatio, & a materia morbifica excrementitia ſanguini vero denuo miſta, acri, fibrillas nerveas vellicante, inflammatio, hinc læſa mentis ſede, lædantur & mentis functiones neceſſe eſt.

(*b*) Delirium alterius caſus oboriebatur ſub eruptione purpuræ tali modo: ſanguis ante & ſub partum, motibus congeſtoriis ad finem legitimum fœtus nempe excluſionem haud adæquatis, imo etiam poſt eum quodammodo lochiis inſufficienter fluentibus, ad caput majori quam par erat quantitate propulſus, ibique in vaſis cerebri & meningum ſinibuſque collectus, tardiorque progrediens, liquidi nervei intra medullam cerebri ſecretionem, motum & influxum in fibrillas nerveas reddidit inordinatum, a quibus tamen integre conſervatis maximam partem mentis actio, ſenſuumque internorum dependet, conf. *Ettmuller Op. med. T. II. p. m.* 769. *Boerhaave Inſt. med.* §. 284. & 286. &c. *Hoffmann med. conſ. T. V. p.* 3. 4. *Haller Præl. Boerhaavii T. II. p.* 588. quibus vero ita læſis, certe oritur confuſa idearum combinatio, & ex hac confuſa perceptio, & tale judicium, ergo delirium; accedit, quod, cum delirium ſub purpuræ efflorefcentia urgeret, ſimul maſſæ ſanguineæ materies illa ſubtilis halituoſa, purpuracea nervoſo ſyſtemati admodum inimica miſta eſſet; Ex his itaque elucet differentia inter prioris & poſterioris caſus delirium; quorum alterum, ex materiæ morbificæ excernendæ μετάςασι, hoc vero ex ſola ſanguinis ante morbum intra caput collecti, poſteaque per accidens materia purpuracea mixti, ortum eſt.

B. Differunt deinde deliria hæc vehementiæ gradu.

(*a*) Licet in primo caſu morbus ipſe delirium antecedens benignior eſſet altero, attamen, ipſum delirium atrocius & vehementius erat, quam in ſecundo caſu, quod a repente facta μετάςτασι materiæ morbificæ ad caput, hincab adfectu corporis ſubito admodum perieuloſo in ipſam mentem redundante ortum eſſe cenſeo.

(*b*) In altero autem caſu delirium mitius erat (1) quia tam repentina μετάςασις non præceſſerat, (2) ante partum venæ ſectio & quidem larga inſtituta erat; (3) poſt partum quoque lochiorum fluxus tam ſanguinis quantitatem diminuerat, quam congeſtorios motus a capite quodammodo derivaverat, & ſanguinis a capite refluxum ſublevaverat; (4) quia ſyſtema nervoſum epilepſia, quam puerpera ante, ſub & poſt partum ſuſtinuerat, valde debile factum erat.

C. Differunt etiam ambo deliria ratione morbi.

(*a*) Morbus enim in caſu priori natura ſua quidem, ut antea dixi, benignior erat altero, ſiquidem febris catharrhalis benigna ſine magno periculo, ſine medico & medicamentis ſæpe decurrere ſolet, & tamen huic atrocius ſuperveniebat delirium nempe phrenitis.

(*b*) Alterius caſus morbus (1) ex ſua natura & indole longe peri-

riculoſior erat, ob materiæ ejus qualitatem admodum nocivam; quæ in corpore animali putredinoſam corruptionem facillime introducere valet, ideoque febris miliaris a celeberrimis medicinæ practicis ut *Foreſto*, *Riverio*, *Ettmullero* aliiſque ad morbos malignos, imo peſtilentiales accenſeri ſolet, idque multo magis, ſi (2) puerperæ ſeſe adſociat, (quibus etiam in hac noſtra civitate Wertheimenſi perquam familiaris eſt,) ſiquidem hæ tanquam vulneratæ conſiderandæ & tractandæ ſunt teſte. *Junckero in conſp. med pr.*, maxime igitur veritati illud conſentaneum deprehendi, quod ex *Epiphanii Ferdinandi hiſt. ſeu caſ. med. in diſſert. de purpura puerper. Ao.* 1729. *Erfordiæ habita Reſp.* Laſio *Part. ejus pract.* §. 1. *p.* 9. allegatur, *grave eſt in arte Medica infantibus & gravidis Mederi*, Epiphan. Ferdinandus *l. c. hiſt. XIII. p. m.* 33. *ſequ.*; cum ſequela ſequentis tenoris: *non minus grave, ſi non gravius, erit mederi puerperis.* Ex his autem apparet ſymptoma gravius ſeſe adjunxiſſe morbo benigniori, & levius morbo maligniori, quod παράδοξον videtur, cujus vero rationem ex antecedentibus facile potes colligere.

D. Porro differunt ſæpius memorata deliria inter ſe ratione durationis.

(*a*) In priori caſu enim delirium phreniticum remittente febris impetu vix ſenſibiliter remittebat, ſed eodem fere vehementiæ gradu durabat.

(*b*) In ſecundo vero caſu remittente febris impetu mentis rediit conſcientia & ejus uſus, more delirii febrium acutarum. cf. *Celſus de re med. l. III. c. XVIII. p.* 148. *Mercurialis med. pract. l. I. c.* 15. *p.* 76.

E. Animadvertenda nunc eſt differentia methodus medendi utriuſque delirii.

(*a*) Ratione delirii acuti in priori caſu potiſſimum ſequentes formavi indicationes: (1mo) ut inflammatio cerebri & meningum diſcutiatur, & (2do) diaphoreſis ſubito cohibita & repulſa reſtituatur. Primæ indicationis finem obtinendi gratia adhibui, quæ adfluxum humorum motuſque congeſtorios a capite derivant, infuſum nempe laxans reiteratis vicibus adſumendum, & veſicatoria ad ſuras pedum, rubefacientia vero ad plantas eorundem; alterius indicationis finem obtinui medicamentis æſtum maris microcoſmici temperantibus, ſanguinem ſpiſſum ſive ſtagnantem diſcutientibus, & diluentibus, quibus diaphoreſin ſimul magis magiſque excitare contendebam, licet hæc non e voto ſucceſſit, verumtamen poſt aliquot dierum intervallum inflammatio ſublata eſt & delirium ſopitum. Delirii autem acuti ſecundi caſus curam juxta unicam tantum indicationem inſtituendam eſſe ſum arbitratus, ut nempe purpuræ rubræ & albæ placida promoveatur eruptio: quid quod feliciſſime obtinui medicamentis ſanguinis nimium orgaſmum temperantibus, & materiæ ſumme agilis & perniciosæ malignitatem, ne nempe cito citius corpori putredinem inferat, coercentibus, addito ſimul leni ſtimulo, quo natura ad expulſionem ejus a centro ad peripheriam incitabatur.

(*b*) Utriuſque vero caſus delirium chronicum diverſimode in methodo medendi tractavi. In priori enim caſu venæ ſectionem non celebravimus,

(1)

Digitized by Google

(1) quia iſta femina ob ſummam ejus inquietudinem ad illam non poterat diſponi, niſi ſumma vi illam cogere voluiſſemus, quod quidem, ob ejus ad iracundiam proclivitatem, metuendas hinc turbas valde noxias, diſſuaſi; (2do) quia non adeo neceſſariam in tam tenera & enervata femella æſtimavi, juxta monitum *Coel. Aureliani tr. de morb. acut. libr. I. c. X. p. m.* 28. *&c. c. XV. p. m.* 47. ubi in phrenitica paſſione venæ ſectionem intra primam *διάτριτον* adhibendam eſſe ſequenti tamen cum clauſula judicat: *ſi vires nempe permittant.* Ideo multo minus in delirio chronico, quod feminæ morbo antea acuto, & ob phrenitidem conjunctam admodum periculoſo debilitatæ ſuperveniebat, venam ſecare auſus ſum. Alterius vero caſus delirium chronicum vix auferri poſſe, ſi venæ ſectio omitteretur, putavi, ſiquidem ad lochiorum fluxum nimis prævematuræ ceſſatum iterum promovendum mihi erat reſpiciendum, & ægrotæ vires, ætas florida & humorum abundantia permittebat, idcoque illam bis intra triduum ſecare, & die intermedia laxans aſſumere juſſi, vid. *Boerhaave aphor. de cogn. & cur. morb.* §. 1127. Quod, licet artis imperitis ambiguum quodammodo videatur, me talia tentaſſe purpura vix deflorata, ſquamuliſque ejus & maculis ſuper cutem hærentibus, illis tamen ſcire neceſſe eſt, me non fugere illud effatum in praxi medica haud contemnendum *Ciceronis noſtri medici Celſi*, dicentis, *multa in præcipiti periculo recte fiunt alias omittenda loc. cit. p.* 150. Rationi itaque ſupra dictæ confidens, inſimulque ægrotæ noſtræ diſpoſitionem conſiderans, omnis venæ ſectionem inſtituendi timor ex mente mea diſceſſit; dixi enim in antecedentibus, habitum corporis noſtræ ægrotæ ante partum tumidum, leucophlegmatico ſimilem fuiſſe, poſt partum vero, licet parum vel nihil ſudaverit, nec magnam urinæ quantitatem emiſerit, nec fluxum lochiorum largum habuerit, neque puſtularum miliarium ingens numerus proruptus ſit, ſenſim tamen ſenſimque eum detumuiſſe. Non equidem negandum eſt, perſpiratione Sanctoriana, & inſequente purpura multum ſuperflui humoris e corpore deceſſiſſe, ſed & hoc credibile mihi eſt, quod magna ſi non major humoris ſeroſi copia in ſuperficie corporis cute nempe & membrana celluloſa coacervata, per venulas reſorbentes ordini arteriarum decreſcentium exacte reſpondentes, reſorpta, de hinc in venas ſanguiniſque maſſam infuſa atque miſta ſit; quid igitur mirum, ſi hac ratione ſanguinis quantitas adaucta & ſic plethora orta ſit? quam ſi quis etiam negare vellet, hoc tamen in dubium vocare non poterit, quin materies hæc, quod maximam partem excrementitia, ſanguinis maſſæ infuſa ejus effecerit expanſionem, eundem effectum in corpore vivo animali producentem, quem producit ſimplex plethora; hæc enim, ut conſtat, vaſorum atque cordis extenſionem majorem, hinc horum reactionem in ſanguinem quoque majorem, & deinde ab his, ſi plus juſto diu durant, vaſorum & cordis debilitatem, ſanguiniſque difficiliorem & tardiorem circuitum, niſi forte ſufflaminatum, hinc alterationem eius *κράσεως*, (id quod cruor emiſſus ſpermati ranarum vel gelatinæ ſimilis fatis ſu-

perque teſtatus eſt,) aliosque in corpore noxios producit effectus non niſi larga & reiterata venæ ſectione præcavendos, conf. *Hamberger Diſſert. de venæ ſect. quatenus ſangu. motum mutat*, ita quævis materies, quæ ſanguinem rarefacit ſive expandit, licet non adſit plethora, tamen eundem in corpore uti plethora producit effectum. Et hæc quoque eſt ratio, cur tam ad promovendam plus juſto tardiorem febrium acutarum exanthematum v. g. variolosorum, miliarium, &c. eruptionem, quam ſi ea retrocedant, vel jamjam retrogreſſa ſint, ad illa in corporis peripheriam revocanda V. S. præ ceteris omnibus conducat & ſuadenda ſit, ſiquidem exinde ſanguinis in corpore oritur rarefactio eosdem in illo producens effectus, uti plethora, hinc pari remedio, venæ ſectione nempe, removenda. Qua de re conf. *Ballonius epid. I. p.* 37. *it. l. II. p.* 141. 142. it. B. J. *labyrinth. med. extric. p.* 515. Sydenham *oper. med. p.* 92 & 122. Nic. Cheſneau *obſ. med. l. IV. cap. V. p.* 481. Schumacher *diſſert. de nov. meth. præſ. variol. Duiſburgi* 1729. *hab.* §. *XIV*, *p.* 30. Tralles *tr. german. de venæ ſect. in variol.* Burchard *in epiſt. ad D. D. Tralles ſatyr. Sileſ. ſpec. I. Mantiſſ.* Kortum *diſſ. de exanthem. febr. acut. retrogreſſ. VSne reſtit-* §. *VII. ſequ. Hal.* 1742. Frid. Gottl. Mulleri *diſſert. pererudite elaborata de VSnis etiam reiteratæ uſu in febrib. inflammat. imo exanthemat. Argent.* 1743. *hab. cap. II.* §. *XVII. p.* 35. & *cap. III.* §. *X. ſequ.* Tandem mihi quoque in mentem veniebat, quod quondam apud *Mercurialem l. I. prax. cap. XVI. p. m.* 89. legeram, ubi dicit: *totam curationis vim in mania poſitam eſſe in celeritate medicorum, & præſertim miſſionis ſanguinis,* quo cum plures celebres medici conſentiunt, conf. *Paracelſus l. I. de orig. morb. cap. IV.* Capivaccius *meth. med. pract. p.* 140. Riverius *prax. med. l. I. cap. XIII. pag.* 30. Hoffmann *med. rat. ſyſtem. t. IV. p. IV. p.* 208.

F. Supereſt adhuc unica differentia deliriorum ut chronicorum nempe, non quidem inter ſe (cum quodlibet horum fuerit delirium maniacum,) ſed ſolum in eo, quo unum medicis audit delirium idiopathicum, alterum ſymptomaticum; prius, quod abſque concurrente morbo, nec præſenti accidit, alterum, quod præſenti ſeſe adſociat; in utroque autem caſu indicavimus, delirium maniacum ſeſe non conjunxiſſe morbo, ſed eo jamjam propulſo ortum eſſe, (niſi, quod puerperium morbus ſit, ſtatuere velis,) quo reſpectu ſymptomaticum vocari non poteſt, nec tamen idiopathicum mere appellare illud audeam, quia morbus paulo ante delirii acceſſum, præceſſerit. Indeque potius ut morbi antecedentis conſectarium conſiderandum eſſe utriusque caſus delirium chronicum opinor. Indicatis jam omnibus circumſtantiis, quibus utriusque caſus delirium ab altero differebat, parallelismi eorum explicatio nunc tertiæ quæſtionis erit ſcopus.

III. In quo tertio conveniebant deliria utriusque caſus, ſiquidem quodlibet horum ſpecifico remedio ſublatum eſt?

Priusquam hanc quæſtionem ſolvam præmonendum eſt: (1) quod mihi ſermo non ſit de deliriis acutis, ſed ſolum de chronicis, quorum unumquo-

quodque ſpecifico remedio ablatum eſt. (2) Quod experientia docente nihil novi ſit, ſi morbus aliquis tranſeat, vel terminetur in alium, ſpeciatim vero in maniam & melancholiam, conf. *Coel. Aurel. L. 6. l. I. cap. 5. p.* 19. Sennertus *prax. med. l. I. p. II. p.* 416. Ettmuller *op. med. t. II. p.* 964. Hagedorn *hiſt. med. phyſ. cent. I. p.* 37. Winckler *A. N. C. cur. dec. I. Ao. VI. VII. obſ.* 4. Michelottus *A. N. C. Vol. I. obſ.* 102. Binninger *obſ. med. cent. I. obſ.* 44. *Id. cent. II. obſ.* 46. Schenck *obſerv. med. lib. I. obſ. CCLXI. ſequ.* Dodoneus *obſ. med. cap. X. p.* 21. Plater *obſ. med. l. I. p.* 68. Et hiſce præmonitis elucet in quo ambo caſuum recenſitorum deliria maniaca conveniant:

(*a*) Quod nempe morbum acutum antecedentem ſint ſubſecuta; in primo enim caſu, poſt febrem catharrhalem benignam & phrenitidem, quam ultimam ſæpiſſime in maniam tranſire obſervarunt celeberrimi medici teſtantibus *Hippocrate*, *Coel. Aurel. Aretæo*, *Williſio*, *Ettmullero*, *Blankardo*, *Boerhaavio*, *Hoffmanno* aliiſque; in altero vero caſu poſt febrem miliarem, purpuram ſcilicet rubram & albam.

(*b*) Alius autem adhuc obſervabatur in utroque delirio maniaco parallelismus, tranſitus nempe ejus in melancholiam; adhibito enim & aſſumto ſecunda vel tertia vice remedio ſpecifico furor in triſtitiam, & meticuloſitatem, verbo in delirium mitius ſeu melancholiam eſt mutatus; quæ adfectuum παραλλαγὴ pariter frequenter in praxi occurrit, & obſervatur, & melior eſt, quam ſi melancholia tranſeat in maniam conf. *Fabr. Hildanus obſ. med. cent. IV. obſ.* 9. *p.* 20. Duncan. Liddel. *op. med. p.* 149. River. *obſ. XXXII.* Ettmuller *op. med. t. II. p.* 964. Wepferi *obſ. de aff. cap. obſ. LXXXIV. p.* 324. Foreſt. *obſ. L. X. p.* 179. Willis *op. tr. de anim. Brutor. p.* 182. Nenter *fund. theor. Med. t. II. p.* 756. Stahl. *caſ. maj. p.* 776. Hoffmann *med. rat. ſyſt. t. III. p.* 229. Alberti *juriſpr. med. t. II. p.* 379. *diſſert. mea inaugur. de melancholia. ao.* 1728. *Erford. hab.* §. 19. *p.* 15. Nunc ad ultimam me accingo quæſtionem:

IV. Quid me ad uſum remedii ſpecifici nempe ſanguinis aſinini impulit, & quænam in eo latet virtus ſpecifica, cujus ope deliria maniaca ſunt profligata, & rationis ſanæ uſus reſtitutus?

(*a*) Ad primum quæſtionis membrum quod attinet, reſpondeo: quod, cum animadverterem, adhibitis remediis ne unguem latum ceſſiſſe malum, ad ſpecificum igitur a celeberrimis medicis laudatum quoddam remedium fugiendum eſſe judicaverim, priuſquam malum profundas ageret radices, quo tandem ex inopinato reperto, uti in primo caſu narravi, bona fiducia futuri ſalutaris eventus illud propinavi, licet mihi haud ignotum eſſet, fore, ut multi & artis oſores & artis periti, qui, etſi ſalutarem effectum præſtaret remedium, tamen illum ab eo ortum eſſe negarent, & famæ meæ maculam facere tentarent, quippe quod revera etiam ita mihi Arnhemiæ contigit; ſed vita, recuperata ægrotæ ſanitas, ejuſque propria, ut & pharmacopæi confeſſio, facti veritatis teſtimonium omni exceptione majus dederunt,

runt, & ſane! niſi eædem in noviſſimo caſu adeſſent circumſtantiæ, vix deficerent tales, cui effectum noſtri remedii adhibiti in dubium vocarent & totam morbi hiſtoriam pro fictitia venditarent.

(*b*) Alterum quæſtionis punctum in eo conſiſtit, ut virtutem ſpecificam ſanguinis aſinini, quantum fieri poteſt, quæ medelam præſtitit indicarem, cum apud eruditos in genere nihil hodie valeat, quam ſufficiens rerum ratio, in foro autem medico non ſola hæc, ſed ſimul cum experientia conjuncta; ideo, ut medice procedam, primo rationem efficaciæ noſtri remedii ſpecifici explanare, deinde illam experientia aliorum medicorum confirmare, neceſſe eſſe arbitor.

(1) Lubentiſſime quidem fateor, me adgredi difficillimum opus, & in magnum offenſionis lapidem impingere, ſiquidem nullibi in celeberrimorum Medicorum libris practicis quos evolvi rationis ſufficientis nedum probabilis de efficacia hujus remedii veſtigium deprehendi; *torporem enim aſini ſiſtere furorem maniacum* juxta *Ettmullerum op. med. t. II. p.* 967. vel, *quia aſinus eſt animal melancholicum, ergo propter analogiam in mania & melancholia ejus ſanguinem conducere* juxta *Hartmannum Prax. chymiatr. cap.* 3. *p.* 49. (licet non audeam negare, quod ille, qui primus fuit hujus medicamenti virium tentator, ex hac ratione ægroto illud exhibuerit!) Porro, *quod ſanguis aſini virtute acidum volatile in maniacorum ſanguine latitans deſtructiva polleat, qua microcoſmetor ignitus antea factus, mirum in modum placari poſſit*, juxta *Doleum encycloped. med. pract. p.* 48. *tandem ſanguini aſinino ineſſe virtutem ſedativam* juxta *Hoffmannum med. rat. ſyſt. p.*4. *p.* 219. hæc omnia quæſitam mihi non accenderunt lucem, qua rationem ſufficientem efficaciæ remedii noſtri ſatis perſpecte cognoſcere queam; neque in eo ſufficiens latet ratio, quia aſinus, teſte *Jo. Bapt. Porta, contra atram bilem* (nam veteres maniam & melancholiam a bile atra oriri crediderunt) *veſcatur herba aſplenii, vid. ej. mag. nat. p.* 110. Licet vero hucuſque occaſionem dictum ſanguinem examini chymico ſubjiciendi, ejuſque productorum vires & operandi rationem ſingulatim intimius explorandi non habuerim, hoc tamen in genere notum eſt, quod ex omnibus animalis corporis partibus arte chymica eliciatur phlegma, ſpiritus, oleum empyreumaticum, ſal volatile & parum ſalis fixi, pro modo inſtituendi laborem unius aut alterius horum plus vel minus, teſtantibus *Boerhaave Elem. Chem. p. II.* Hoffmann *obſerv. chym. phyſ.* Stahl *fund. chym. dogmat. & exper.* Neumann *Præl. chem. digbeana medic. exper. p. II.* quæ dictæ partes procul dubio ſanguinem aſininum etiam conſtituunt, hinc ſummam ejus ἐνέργειαν in ſpiritu ejus, oleo, & ſale volatili contineri judico. *Sales enim animalium volatiles, inquit celeberrimus* Boerhaave, *recepti in cavis vaſorum noſtrorum, ibique acti tam calore vitali, quam impetu ſanguinis circumducti, acri, rodente, ſtimulante virtute, quam validiſſime agunt, imprimis in fibrillas irritabiles ſyſtematis nervoſi, quas in motus majores cient, ſimulque humores fundendo, diaphoreſin, ſudores, urinas, ſalivam movent, vid. ej. elem. chem. p. II.*

II. p. 369. ſimulque ſpiritus & olea animalium corporis quoque partes egregie penetrant, hinc *obſtructiones præprimis autem cerebri & nervorum reſerant*, *teſte* Joerdens *in commerc. lit. Norimb. Ann.* 1736. *p.* 4. utpote quæ principalem ſive proximam maniæ cauſam conſtituunt, uti ex anatome hoc morbo defunctorum docemur; cerebrum enim in his apparet ſiccum, durum, friabile, in ſuo cortice flavum, vaſa turgeſcentia, varicoſa, atro tenaci cruore diſtenta, nervorum origines ſiccæ & interdum excreſcentia quædam ſcirrhoſa, cerebellum flaccidum, vid. *Boneti ſepulchretum anat. T. I. L. I. S. VIII. obſ. I. p.* 205. *obſ. VI. p.* 209. Wepferi *obſ. anat. hiſt. apopl. XV. p.* 415. Henr. ab Heers *obſ. med. III. p.* 45. Boerhaave *aph. de cogn. & cur. morb.* §. 1121. Hoffmann *med. rad. ſyſt. t. IV. cap. VIII.* §. *V. p.* 191. Act. Berol. decad. *I. vol. VII. p.* 9. *VIII. p.* 52. *dec. II. vol. III. p.* 41. 42. Et ſane experientia diu jam docuit, quid ſales volatiles, ſpiritus, & olea ex regno animali producta decenterque purificata in affectibus pertinaciſſimis & pro incurabilibus habitis præſtiterint, unicum ſolum oleum animale *Dippeli* hic adducere lubet, in epilepſia cum mentis & ſenſuum etiam extra paroxyſmum alienatione relicta efficaciſſimum, conſ. *Chriſt. Democrit. vitæ anim. morb. & med. p.* 89. ſequ. item in melancholia hyſterica motibus convulſivis ſtipata, *conſ. diſſert. Jo. Junckeri de medicina quadam efficaci in motibus naturæ exacerbatis*, *Halæ* 1740. *habita* in mania, melancholia, & apoplexia, vid. *Commerc. lit. Norimb. Anno* 1736. *p.* 4. 5. Plures equidem allegare poſſem caſus ſpeciales de egregia virtute ſalium volatilium, ſpiritus, & oleorum e regno animali arte chemica elicitorum, in morbis chronicis & inveteratis, ſi multus eſſe animum haberem, ſed ex dictis ſatis ſuperque eluceſcere opinor, quod partes in ſanguine aſinino contentæ maxime volatiles, ſive ſalinæ, ſive oleoſæ, ex ſint, quæ in mania medicatricem edunt effectum, quam ſententiam *M. Hoffmannus* quoque jamjam tenuiſſe videtur, conſ. EJ. *not. in Hartmanni prax. chymiatr. l. II. cap. III. not.* 1. Præterea vero eam ſequentes confirmant rationes: (1) Quia eundem effectum in corpore præſtitit, quem præſtant ſales animalium volatiles & olea, nempe perſpirationis augmentum & urinæ excretionis turbulentæ cum ſedimento fuſco; (2) Quia & alia dantur ſubjecta, quæ maniam ſpecifica virtute ſanant, quorum tamen partes etiam maxime volatiles ſunt & oleoſæ, ut v. g. (*a*) Camphora, cujus uſu maniacum reſtituit celeberr. *Werlhoff vid. commerc. litterar. Nor.* 1733. *p.* 221. *it.* 1735. *p.* 28. & celeb. Joerdens *l. c. Ann.* 1736. *p.* 5. conf. etiam *Paracelſus de morb. ament. tr. II. c.* 2. ubi camphoram tanquam præſentiſſimum in mania remedium commendat, vid. *diſſert. inaugur. celeberr.* Jo. Adolph Wedelii *An.* 1697. *Jenæ habita.* Dolæus *encycl. med. pract. cap. III. p.* 40. *it. diſſert. de ſalut. & noxio camphoræ & camphorat*, *uſu ſub præſ.* D. Juch *aut. & reſp.* Menshengen. *Erford.* 1737. Boeckler. *cynoſ. mat. med. t. I. p.* 618. 619. Neumanni *præl. Chem. p.* 666. plura vide in *Zornii Batanologia medica p.* 156. *ſequ.* (*b*) Lapis felleus ti-

Digitized by Google

gridis maximæ Africanæ, qui aliquoties ad grana XXX. vel XL. datus, maniacis atque inſanientibus mire conducere fertur, uti in *commerc. lit. Norimb.* ex Sebæ *Amſtelod. accurata deſcript. locupletiſſ. rerum naturalium theſauro enarratur. Anno* 1736. *p.* 248. Sed hic aliquis ſequentem in medium adferre poſſet objectionem: quæ de productis ex animali regno, eorumque efficacia dixerim vera & comprobata eſſe, ſed ſupereſſe adhuc dubium, quin idem effectus, ejuſque cauſa, pari ratione a ſanguine aſinino puro & nondum chymice tractato ſit probabiliter expectandus. Huic autem reſpondeo: objectionem ad rem nihil efficere, nec effectum ab uſu ejus exſpectatum & obſervatum reddere dubium, ſiquidem factum in aprico ſit, & ſimul experientia aliorum medicorum comprobatum, quod nempe diverſorum quoque animalium ſanguis cum εὐφορίᾳ in morbis atrocibus medicamentorum ordinariorum vires eludentibus uſurpetur, licet ſpecifica ejus virtus & huc uſque, in quo nempe proprie conſiſtat, ſit incognita, tractu vero temporis medicorum curioſorum induſtria diſtincte forſitan eruenda; Sic legimus v. g. quod ſanguis humanus, cervi, felis, pulli, aliorumque animalium in epilepſia, apoplexia, mania, aphonia &c. felici cum ſucceſſu adhibitus ſit, vid. *Plinius hiſt. nat. p.* 683. 689. Jonſton *Thaumatogr. claſſ. X. cap. III. arr.* 3. Ranchini *opuſc. med. p.* 497. Jo. Langii *epiſt. med. p.* 103. Ettmuller *op. med. tom. I. p.* 789. Sitonus *miſc. med. p.* 321. *ſequ.* Dolæus *Encyclop. med. pract. p.* 48. 101. 111. Stahl *prax. med. a* Pelargo *edita p.* 309. Et quis quæſo ſanguis in medicina frequentior & majori cum ægrotantium ſolatio præſcribitur, quam ſanguis hircinus, v. g. contra calculum, pleuritidem, ſanguinem congrumatum a caſu ab alto &c. confer. *Riverium prax. p.* 218. Milii *antidotarium med. chym. reform p.* 41. Helmontium *tr. pleura fur.* §. 32. *p.* 396. Bœcklerum *mat. med. tom. II. p.* 11. *p.* 29. cui eadem virtus diaphoretica & diuretica attribuitur, quæ ſanguini aſinino vid. *Etmuller op. med. t. I. p.* 387. *it. diſſ. med. de ſangu. hirc. uſu & præſt. in med. Erford.* 1730. habita, quæ vero ἐνέργεια, licet non ſemper & ubique intentioni medici & ægri deſiderio reſpondeat, conf. *Triller comment. de pleurit. p.* 19. 48. ſi modo ut plurimum id præſtat talis naturæ eſſe debet, ut cauſæ morbi adhuc latitanti in corpore, ſive conſiſtat in materia quadam, ſive in motuum perverſa directione, contraria ſit, & vim vitæ ita excitare valeat, ut quod adhuc reſtat materiæ peccantis tam corrigatur, quam motibus congruis & proportionatis expellatur.

(2) Denique experientiam celeberrimorum quorundam medicorum, qui ſanguine aſinino vel maniam ſanaverunt, vel ad minimum illud pro efficaci remedio habent, & ejus uſum commendant, hic in medium adferre fas erit; primum itaque locum meretur *Hartmannus qui in praxi chymiatrica p.* 48. *ſe fabrum lignarium eo mania laborantem reſtituiſſe* aſſerit, poſt eum *Ettmullerus qui in oper. med. t. I. p.* 767. ita ſcribit: *ſanguis aſini præmiſſis præmittendis eſt ſpecificum egregium in mania, id quod non tantum* Hartmannus

ex-

expertus eſt, *ſed* & D. Michaelis *in aula Altemburgenſi & in multis aliis locis*, *ubi multos hoc ipſo curavit remedio.* Laudatur etiam noſtrum ſpecificum a *Gabriele Claudero in M. N. C. dec. II. Ao. III. obſ. LXXXIV. p.* 186. & a B. *Frid. Hoffmanno in med. rat. ſyſt. t. III. p.* 583. §. *XII.* Huc quoque quadrat allegare illum potum nigrumBrunſvicenſem dictum ex ſanguine aſini & aceto compoſitum, qui frequentiſſime haud infelici ſucceſſu in mania uſurpatus eſt, quem etiam haud improbat *Hoffmannus med. rat. ſyſt. t. IV. p. IV. cap. VIII* §. 21. *p.* 218. Nec ſilentio præterire poſſum id, quod *B. D. D. Timmermann*, profeſſor Academiæ Duysburgenſis, fautor & amicus meus dum viveret æſtumatiſſimus, ſæpiſſime mihi narravit de medico quodam felici civitatis Düſſeldorffenſis practico *D. Boehmer* dicto, illum perplures maniacos & melancholicos ſanguine aſinino ſanaviſſe. Plura de hoc ſpecifico invenies in *Sennerti prax. med. L. I. p. II. cap. XV. p.* 421. Beccher *Parnaſſ. med. p.* 37. Dolæi *Enc.* Burnet *theſ. med. pract. p.* 262. Bierling *theſ. med. pr. p.* 1041. Weinhard *nucl. univ. med. pr. p. I. p.* 81. Boeckler *l. c. t. III.* Nenter *fund. theor. & pr. med. t. II. p.* 787., Juncker *conſp. therap. gen. p.* 502.

Dicta autem hæc jam ſufficiant de virtute ſpecifica ſanguinis aſinini contra maniam; ſupereſt ſolum hoc unicum, ut hoc a me avertam præjudicium, quaſi crederem, quod remedium hoc ſpecificum indiſcretim omnem & ſingulam maniam, ex quacunque cauſa ortam, vel recentem vel inveteratam idiopathicam vel ſymptomaticam, vel etiam τὴν νευρματικὴν profligare valeat, cum ejuſmodi medicamentum infallibile, ſeu panaceam cum *Gerh. Goris in med. contemta p.* 54. dari haud mihi perſuadeo, & ratio & experientia docet, quod etiam uſum & effectum probatiſſimorum medicamentorum minima morbi circumſtantia variare poſſit ac ſoleat, cui infirmitati procul dubio etiam noſtrum ſpecificum obnoxium eſt, ſicuti teſtatur celeberr. *Stahlius prax. a pelargo edit.* §. 45. *p.* 1312. qui illud ſine effectu ſalutari adhibere vidit; quæ vero obſervatio ejus efficaciam ſpecificam ſæpius laudatam minime gentium tollit, cum culpa non in medicina, ſed potius vel in morbi natura, in ægro, vel in ipſo medico ſit quærenda, quare, ſiquis hoc medicamentum in uſum trahere apud animum conſtituit, ſemper regulam a celeberrimis medicis, ratione uſus ſpecificorum præſcriptam, ut nempe præmiſſis præmittendis & conjunctis conjungendis debito modo exhibeantur, curæ cordique habeat neceſſe eſt; conf. *Ettmullerus l. c. Stahl. diſſ. de remed. alterant. & ſpecif. cap. II. p.* 32. Hoffmann *med. rat. ſyſtem. t. II. cap. II.* §. *XIII. Schol. p.* 24. & *t. IV. p. IV. cap. VIII.* §. *XIX. p.* 218. Juncker *conſp. therap. gen. tab. XX. p.* 505. Ceterum vero omnes artem ἰατρικὴν exercentes exhortor, ut etiam cum ſpecifico noſtro data occaſione, experimenta facere eaque deinde in lucem edere ne intermittant. Interim *Deo ter optimo terque maximo* humillimas devotiſſimaſque perſolvo grates, quod huc uſque conatibus meis clementiſſime adſiſtere voluit,

luit, quos ut impoſterum cumprimis in *ſui nominis gloriam*, deinde in conſervandam *Sereniſſimi Principis*, *Domini mei clementiſſimi* ſanitatem, & multorum ægrotantium ſalutem, ad ſanctiſſimum ſuum nutum dirigere velit, eſt quod ardentiſſimis exoro precibus.

F I N I S.

X I.

JOAN. JAC. HARDERI

ET

JOAN. HOFERI,

DISSERTATIO

DE

NOSTALGIA

Baſil. 22. Jun. 1678.

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

Thesis I.

Dum ego nuper poſt intermixta, ut fieri par eſt, ſtudiis gaudia, ex hortatu & conſilio magnorum virorum de exhibendo ſpecimine quodam publico ſollicitus, incomprehenſibilem rerum medicarum varietatem attento inſpicerem animo, dubius omnino hæſi, quamnam differendi materiam eligerem, quodve argumentum diſputatoriæ exercitationis gratia ventilarem? Varia enim ſeſe ſtatim obtulerunt, in quibus enodandis vires ingenii ſufficienter explorare potuiſſem, themata, de quibus hinc diu multumque cogitabam. Subinde etiam iſtas interrupit cogitationes tenuitatis meæ, leviumque in ſublimioribus his ſtudiis profectum conſcientia, quin eadem me primitus a tali propoſito abſterrere conabatur, idque potuiſſet omnino, niſi perſuaſus mihi fuiſſem, conatus hos qualeſcunque & patronis, & Præceptoribus & amicis æqualiter placituros. Inter has vero curas oppido in mentem venerunt hiſtoriæ quorundam juvenum, ita afflictorum, ut niſi in patriam revecti eſſent, ſive febri, ſive tabe conſumti, ſupremum in exteris oris diem obiviſſent. Morbum hinc judicavi, qui quo minus a medicorum ullo hucuſque explicatus eſt, eo magis deſcribi & exponi mereretur: quod equidem diſſertatione hac a me utcunque præſtitum credo, non tamen ita, ut vel mihi promittere, vel lectori benevolo perſuadere auſim, me narrationem affectus ſive adcuratam, ſive perſpicuam, ſive perfectam erroribuſque vacuam exhibuiſſe; deficiunt certe plura ad hiſtoriam morbi pertinentia, multa confuſe tradita, neque pauca erronea; ſingulorum nihilominus veniam & peto & ſpero, modo lectoris æquitas perpendere dignabitur, & juvenem hæc ſcripſiſſe, & primum de nova materia differuiſſe, ut ſaltem experiretur, non quantum jam ferre recuſent humeri, ſed quantum olim valituri ſint.

Thesis II.

Negotium itaque hoc ut decenti animo aggrediar, nomen ipſum ante omnia ſe ſe conſiderandum offert, quod equidem Helvetii vernacula lingua affectui dudum impoſuerunt, ex dolore amiſſæ dulcedinis Patriæ deſumtum, dum appellarunt *das Heimweh*; quaſi doleant hoc morbo decumbentes, non niſi, quia aura patriæ jucunda deſtituuntur, aut ſe ea nunquam amplius uſuros ſibi imaginantur. Hinc & cum Helvetii in Galliis affectu hoc ſæpe prehendantur, apud eandem quoque Nationem appellari meruit *la Maladie du Pays*. Caruit autem hucuſque peculiari nomine in medicina, quod a nullo, quantum quidem ego novi, medico hactenus vel probe ob-

obſervatus, vel ſtudioſe expoſitus ſit; adeo ut de eodem primus ego prolixius dicturus primus ſimul nomen indere neceſſe habuerim, quale quid ante me quoque feciſſe novi omnes, quibus res quædam nova exponenda incubuit. Neque vero de nomine deliberanti convenientius occurrit, remque explicandam præciſius deſignans, quam *Noſtalgiæ* vocabulum, origine græcum, & quidem duabus ex vocibus compoſitum, quorum alterum Νόϛος Reditum in patriam, alterum Ἄλγος dolorem aut triſtitiam ſignificat: Ut adeo ex vi vocis Νοϛαλγία deſignare poſſit triſtem animum ex reditus in patriam ardenti deſiderio oriundum. Si cui vero magis arrideat Νοϛομανίας aut Φιλοπατριδομανίας appellatio, perturbatum animum ob impeditum in patriam a qualicunque cauſa reditum denotans, per me omnino licebit.

THESIS III.

Noſtalgia autem, quantum quidem ego in ei obſcuritate percipere poſſum, eſt ſymptoma imaginationis læſæ, a ſpiritibus animalibus unicas fere vias motu ſuo per albos ſtriatorum cerebri corporum, tractus centrique ovalis tubulos repetentibus, hincque unicam potiſſimum eamque perpetuam repetendæ patriæ ideam in anima excitantibus, oriundum, variis ſimul aliis nunc vehementioribus, nunc mitioribus ſymptomatibus ſtipatum. In qua deſcriptione adfectum inter ſymptomata imaginationis læſæ colloco, neque enim exiſtimo, quenquam adcurate attendentem alio melius relegare poſſe. Imaginationem autem lædi, facile patet ex eo, quod homines ita laborantes a paucis objectis externis moveantur, nihilque fortiorem impreſſionem efficiat, quam patriæ repetendæ deſiderium. Cum enim illa animæ facultas in naturali ſtatu indifferens ſit, ad quævis occurrentia objecta excitari, moveri ideaſque formare, ſequitur omnino, eandem imminui, ſi ad pauca excitetur, ſicque ſpiritus animales unos ſaltem cerebri tractus continue permeando, ſolum quoque unius objecti ideæ formandæ occaſionem præbeant. Neque litigabo multum, ſi quis hic delirii melancholici & quidem fixi aliquid admiſceri contendat, dum enim ſpiritus diu multumque circa unam ſaltem ideam in mente ſuſcitandam ſunt occupati, vix aliter fieri poteſt, quin tandem iidem aut fatigati, aut ex parte exhauſti perturbentur, inconcinne moveantur, phantaſmataque varia ſive circa unum, ſive circa diverſa objecta commoveant.

THESIS IV.

Explicata morbi eſſentia, proximum eſt, ut illiuſdem ſic deſcripti exiſtentiam demonſtrem; ſed quomodo hoc melius, quam exemplis & hiſtoriis? quorum equidem proximum numerum audire, cuicunque cum copiarum in Gallis Helveticarum centurionibus pauliſper converſari datur. Nuper &

& ex viro fide digniſſimo percepi, in Baſilienſi hac civitate olim ſtudiorum cauſa degiſſe juvenem egregiæ indolis Bernatem, qui per aliquantillum tempus triſtem ſe præbens, tandem in morbum incidit, continua ſed non adeo ardente ſebre ſtipatum, anxietates cordis ſeſe miſcuiſſe, indieſque pejora ſymptomata adveniſſe, e quibus domeſtici imminentem brevi mortem ſuſpicantes publicas jam pro eo preces ſundere curaverint; tandem vero Pharmacopœum adveniſſe, ex præſcripto medici clyſma infuſurum, eumque, quamprimum ægri ſtatum, dicta factaque cognoverat, conſuluiſſe, ut lecti-ca ſtatim conducenda æger, quantumcunque imbecillis & moribundus videatur, in patriam remitteretur, morbum non eſſe alium, quam Noſtalgiam, quæ nullum admittat remedium, præter reditum in patriam. Quo audito conſilio, obſervataque ſimul eidem obediendi promtitudine in domeſticis, æger jam ſemimortuus ſpiritum liberius ducere, ad quæſita commodius reſpondere, animique majorem tranquillitatem oſtendere cœpit. Vix autem milliaribus aliquot ab urbe noſtra fuit, cum ſymptomata jam omnia tantum penitus non remitterent, remiſerunt certe in totum, integræque ſanitati reſtitutus fuit, antequam Bernam ingreſſus eſſet. Neque diu abhinc eſt, ex quo ruſtica quædam agri Baſilienſis ex alto delapſa, adeo graviter lædebatur, ut pro mortua ſublata, atque in Noſodochium deportata, per aliquot dies ſine ſenſu & motu jaceret: tandem autem uſu remediorum tam pharmaceuticorum quam chirurgicorum ad ſe rediit paulatim, cumque videret, inter aniculas ſe verſari rixoſas & querelas, Noſtalgia ſtatim correpta, cibos atque medicamenta ſingula, quibus ob virium magnum languorem maxime indigebat, reſpuit, frequenti ejulatu nihil aliud ingeminans, quam, *Ich will heim*, *ich will heim*, neque ad interrogationes quaſcunque aliud reſpondens, quam idem illud *ich will heim*. Tandem ergo a parentibus licet maxime imbecillis domum eſt delata, ubi intra paucos dies, nullius fere medicamenti ope integerrime convaluit. Nota ſunt & alia exempla, quæ pariter adducere poſſem, niſi rem ſufficienter jam demonſtratam crederem, aut alias brevitati ſtuderem.

Thesis V.

Ex dictis haud difficulter conjicitur, ſubjecta hujus affectus imprimis juvenes eſſe, atque adoleſcentes exteras in regiones miſſos: neque tamen eos omnes & ſingulos, nec multos quoque eſſe notamus, ſed eos præprimis, qui domi ſibimet vivere tenebantur, omni in publicum prodeundi aut honeſta etiam ſodalitia frequentandi libertate deſtituti. Hoc enim educationis more fit, ut liberi bene alias nati, probeque habiti, ſed nullo hominum conſortio aſſueti, cum ad exteras nationes emittuntur, peregrinis moribus, ac vivendi rationibus adſueſcere, maternique lactis oblivisci neſciant, timidi præterea exiſtant, atque unice dulci patriæ memo-

 ria

ria delectentur, donec tandem peregrinæ auræ tædio capti, vel diverſis incommodis afflicti, noctu diuque reditum in patriam meditentur, & cum ab eo prohibentur, ſenſim ac ſenſim in eum affectum incidant. Sunt qui hunc morbum nationi Helveticæ, inque ea inprimis Bernenſis reipublicæ civibus & ſubditis Endemium eſſe perhibent; ſed enim falſum hoc eſſe, partim exemplum ſuperius allatum docuit, partim obſervationes aliorum commonſtrant. Quamvis non negarim, plures omnino ex hoc, quam ex illo nationis pago malum illud pati. Sed & in reliquis Europæ gentibus aliter affectos crediderim, apud quos alias haud pauci, ut obſervatores medici celeberrimi adnotarunt, ex ſola mortis imaginatione conſtanti & pertinaci vel in morbos periculoſos inciderunt, vel vitæ terminum prorſus accelerarunt. Si tamen Helvetica progenies omnium frequentiſſime hoc ſymptomate prehendatur, neſcio an juſculi matutini in peregrinando defectus, aut lactis gentilis, qua ſaginata natura ſubinde carere neſcit, penuria, aut quod his potius eſt prohibitus libertatis patriæ uſus, aut quid aliud accuſandum veniat.

THESIS VI.

Partem quod concernit affectam, eam non aliam eſſe cuivis patet, quam ubi imaginativæ animæ facultati in actus deducendæ occaſio datur. Cum vero mens nihil imaginari poſſit, niſi corporeum, ac imaginando ad corpus ſe convertat, objectique corporei imaginem contempletur, bene hinc conſequi arbitror eam cerebri partem, in qua tales objectorum imagines per certum ſpirituum animalium motum repræſentantur, primario affici: Hæc vero pars cerebri a quibuſdam centrum ovale vocatur, quod per me quidem licet, ego vero hactenus dicere malui, intimam cerebri partem infinitis ex fibrillis nerveis conſtantem, in quibus ſpiritus continuo undulantur, affligi.

THESIS VII.

In cauſis Noſtalgiæ enodandis, proximæ & remotiorum habenda ratio, ſingulas enarrabo, prout unam ex altera fluere ac derivari concipio. Et quidem proximam exiſtimo eſſe ſpirituum animalium continuam fere vibrationem per eas meditullii cerebri fibras, in quibus veſtigia idearum patriæ impreſſa adhuc hærent. Hæc autem veſtigia adeo fortiter a frequenti patriæ meditatione, ejuſque repræſentatione impreſſa credo, ut ſpiritus animales dein ſponte eadem jugiter ſequantur, ſicque animam ad contemplandam patriæ imaginem continuo ſuſcitent. Non ſecus atque obſervamus in ſomno frequenter ſuggeri ideas rerum, quæ vigilantibus obvenerunt, impreſſionemque profundiorem fecerunt. Spiritus nimirum

ani-

animales ſi vias quaſdam cum aliqua contentione penetrarunt, eaſque tantillum dilatarunt, ſuæ relicti libertati, quod in ſomno contingit, priſtinas vias facile inveniunt, priſtinos motus alacriter edunt, priſtinaſque ſic ideas jugiter regerunt. Neque tamen in ſomno tantum hoc contingit, quin & vigilantes, ſi diu multumque circa idem objectum imaginativam animæ facultatem exercuerunt, & ſpiritus ad frequenter percurrendos eoſdem tractus adſueſecerunt, poroſque ac tubulos, in quibus ſpiritus iidem acceptum ab objectis motum determinatum exerunt, dilatarunt, idem plane objectum ſibi vel ultro ſæpiſſime obverſans deprehendent, dum ſpiritus conſuetos ſuos motus tantum non continue edent. Atque ubi hæc ita fiunt; ſpiritus ipſi ab aliis objectis vix amplius movebuntur, vel etiamſi moveantur, anima tamen circa patriæ ideam unice occupata, ad eos motus, vel nihil vel parum, aut obiter ſaltem attendit; plane ſicut illis accidere ſolet, qui ex profunda meditatione in ecſtaſin rapti minus ſentiunt, non vident adſtantes, nec audiunt eoſdem obloquentes, etſi enim ab hiſce motibus externis ſenſoria vellicentur, anima tamen alienis occupata ad illos motus minime attendit.

Thesis VIII.

Cauſæ remotiores ſive antecedentes internæ, aliis proegumenæ, variæ omnino ſunt in corpore latentes, quæ animum ad repetendas patriæ ideas ſuſcitare valent. Imprimis autem hic morbus aliquis præcedens, qualiſcunque is ſit, modo vel periculum vel diuturnitatem minitetur, occaſionem Noſtalgiæ præbet, in quibus morbis I. male tractati, vel commodo miniſterio deſtituti, facile triſtes redduntur, patriam continuo meditantur, ac ob perpetuam illius repetendæ cupidinem tandem in hoc malum incidunt. Cauſæ antecedentes externæ, ſive procatarcticæ ex mutata vivendi ratione derivari debent. Aëris primum varietas haud parum ad diſpoſitionem ſanguinis & ſpirituum pervertendam contribuit: plurimum faciunt peregrini mores, diverſiſſima victus ratio, quibus & varia alia obvenientia incommoda injurias illatas, & ſexcenta alia addere liceret. Juvenes enim ſi patrios mores, delitias, aliaſque vivendi conſuetudines ita imbiberunt, ut iis tenaciter, obhæreant in exteras regiones emiſſi, alienis moribus victuique adſueſcere neſciunt: plures eorum, tametſi quandoque ſibi vim inferre conentur, id tamen a ſe impetrare haud valent, quin a levi malo aut incommodo occurrente non niſi patriæ dulcedinem ſibi ob oculos ponant, ad animum revocent, ac ſic ex continuo in patriam revertendi deſiderio ad affectum diſponuntur, imo eodem plane corripiuntur, niſi brevi reditus concedatur.

Thesis IX.

Signa diagnoſtica, quæ Noſtalgiam imminentem indicant, ex ipſa ju-

venum conditione petenda: ſi enim triſtes frequenter obambulent, ſi peregrinos averſentur mores, ſi faſtidio externarum converſationum capiantur, ſi natura ad melancholiam inclinent, ſi jocos aut leviſſimas injurias, vel exigua incommoda alia ægerrimo ferunt animo, ſi avari ſunt, ſi patriæ delitias jactitent frequenter, atque omnibus peregrinis præferant, & quæ ſunt alia: certe ij ad Noſtalgiam maxime diſpoſiti ſunt judicandi, imo ſi injurias pati cogantur, ſi morbo aliquo afficiantur, & inde triſtes ac meditabundi patriam auram anhelent, affectum jam imminere probabile eſt. Quæ autem præſentem jam morbum indigitant ſigna, ſunt varia, imprimis triſtitia continua, patriæ meditatio unica, ſomnus perturbatus vel vigiliæ etiam continuæ, virium dejectiones, famis ſitiſque ſenſus imminutus, anxietates, vel etiam palpitationes cordis, ſuſpiria frequentia, ſtupiditas quoque animi, ad nihil pene quam patriæ ideam attenti: quibus dein accedunt morbi varii ſive affectum præcedentes ſive conſequentes, prout ſunt Febres continuæ & intermittentes, contumaces ſatis ni ægri deſiderio ſatiſfiat.

Thesis X.

Neque difficile eſt modum explicare, quo ſymptomata Noſtalgiam conſequentia fiant; quantum non ad morbos antecedentes ſpectat, eorum ætiologiam hic tradere nihil attinet. At reliqua v. explicanda præſupponimus in Noſtalgia animum unice intentum eſſe in reditum in patriam; hoc objectum dein continuo repræſentatum, tandem ſpiritus animales quaſi fixos reddit, aut potius ad unum ſemper motum non niſi illius objecti ideam excitantem, directos. Quo fit ut ad occurſum aliorum objectorum ſegnes, debitam in ſenſorio communi vibrationem fibrillarum animæ actus ſuſcitaturam perficere nequeant. Quin ob eandem rationem ſpiritus in cerebro nimis occupati, ſufficienti copia & juſto cum vigore per nervorum inviſibiles tubulos ad omnes partes influere, earumque actiones naturales juvare nequeunt. Adeo ut hinc ſenſatio appetitus non recte procedat, aut etiamſi appetitui qualicunque alimenti aſſumatione ſatisfiat, menſtruum tamen ſtomachicum, ob ſpirituum animalium defectum, iners redditum cibos imperfecte ſolvat, crudiorique chylo anſam præbeat; qui crudior chylus poſtmodum in ſanguinem intromiſſus, ſerum viſcidum producit, ex ſero tandem viſcido parci ſpiritus animales gignuntur, lymphaque tenacior evadit, Spiritus vero animales ubi in parca copia generantur, ſimulque ob continuantem mentis quaſi Ecſtaſin in cerebro conſumuntur, ſenſim ac ſenſim motus voluntarii partim, partim & naturales torpeſcunt, languor totius oboritur, circulatio ſanguinis hebeſcit, ſanguis, ob particularum inſufficientem volatilitatem, craſſior redditur, ſicque ad coagulationem recipiendam aptus, cor ſegnius movendo, vaſaque diſtendendo, anxietates procreat. Febres etiam inprimis lentas, glandularum obſtructionibus (a ſero minus volatili, viſcido, crudo, & ſi placet, acido oriundis) anſam dando, pro-

du-

ducit. Tandem & ſpiritus nimium conſumendo, actionibus omnibus hebetatis, mortem accelerat. Hæ certe vires ſolius imaginationis eſſe poſſunt, quas qui credere neſcit, legat ſaltem eos, qui de imaginationis viribus ſcripſerunt, inprimis autem Obſervationes egregias *Henrici ab Heers.*

Thesis XI.

Ex dictis facile eſt colligere, qualiſnam in hoc affectu prognoſis ſit inſtituenda. Sanabile malum eſt, ſi remedium debitum adhiberi poteſt; inſanabile & lethale, vel ſaltem maxime periculoſum, ubi media deſunt, quibus ægri deſiderio ſatisfieri licet. Symptomata comitantia augent ſæpe periculum, inprimis ſi febris continua eaque ardens aut maligna ſimul adſit. Si æger recuſet iter, malum diuturnum pronunciandum, lenta remediorum operatione tollendum.

Thesis XII.

In curandi methodo ad indicationes eſt attendendum, quarum duas præcipue facio, imaginationem læſam corrigendam, & ſymptomata mitiganda. Quantum ad imaginationem læſam, ſi nondum radices egit profundas, ſi malum in principio ſaltem, aut imminens, ſi vires adhuc conſtantes, ſi febris abeſt, nihilque aliud impediat, purgans ante omnia exhiberi poterit, quo ſaburra cruditatum in primis viis collectarum e corpore eliminetur, ſive dein illud ſub forma pilularum cephalicarum, aut mercurialium, ſive ſub forma pulveris, ſive etiam ſub forma vini medicati per vices ſumendi, fiat, parum intereſt. Nauſea tamen præſente, & ubi ventriculus animadvertitur viſcida blenna onuſtus, præſtat vomitorium aliquod inprimis antimoniatum exhibere. Poſthac ſi æger plethoricus exiſtat, venæ brachialis majoris ſectio conducit. Symptomatibus autem pro re nata occurrendum, ubi vires disjectæ, mixtura cardiaca ſola cum conf. Alkerm. complet. aut confect. catechu cochleatim haurienda præſcribatur; præſente autem febre continua, diaphoretica fixa cum cardiacis mixta frequenter ſunt exhibenda; non omiſſis volatilibus, ubi ſanguinis ad coagulationem diſpoſitio, cum anxietate præcordiorum, cordiſque palpitatione animadvertitur. Inquietudines perpetuæ, vigiliæ continuæ, internis quidem emulſionibus hypnoticis, externis vero balſamis cephalicis, hyoſciam. ol. atque opio alteratis, quibus tempora ac vertex illiniri poſſunt. Si febris ſit intermittens, ea ſuis remediis fragenda, tollenda. Inter hæc ſpes facienda reditus in patriam, quamprimum vires aliqualiter reſarcitæ peregrinationis moleſtiæ ferendæ pares videantur: conſortia frequentia ſunt addenda, quibus imaginatio ægri a pertinaci illa idea avellitur. His tamen & pluribus aliis ad eundem ſcopum collimantibus, ſi phantaſma repetendæ patriæ nihil minuatur, Æger ſive Rheda, ſive Lectica, ſive quacunque alia commoditate, quantum-

cunque imbecillis & debilis in patriam confeſtim mittatur. Certum enim & plurimis hactenus exemplis comprobatum, omnes ſic dimiſſos, vel in ipſo itinere, vel ſtatim poſt reditum convaluiſſe, ac e contrario plures, quibus media in patriam redeundi defuerunt, ſenſim exhauſtis ſpiritibus, animam efflaſſe, alios etiam in deliria, tandemque maniam ipſam incidiſſe. Quin haud ita pridem a Pariſienſi mercatore mihi relatum, ſe famulum Helveticum habuiſſe, aliquando triſtis & melancholicus fuerit, ut appetitu proſtrato laborare inceperit, tandem eum ad ſe veniſſe atque inſtantibus precibus dimiſſionem, cujus ſpem ſibi nullam antea facere poterat, petiiſſe. Quam cum mercator ſtatim concederet, famulus ex ſubitaneo gaudio multum mutatus, phantaſma hoc intra aliquot dies animo excuſſit, atque poſtmodum Pariſiis manſit, affectu hoc nunquam amplius correptus.

F I N I S.

Digitized by Google

XII.

FRIDER. LEBEGOTT PITSCHEL

DE

HYDROCEPHALO INTERNO.

Lipſiæ 1741.

Um ſæpius ego ſollicitus optaſſem, *Excellentiſſime Kulme*, ut eſſent extra Lipſiam nonnulli rerum medicarum periti viri, ad quos de iiſdem rebus litteras nonnunquam mihi dare liceret; hujus ſane ut denuo compos fierem voti, feliciſſima nunc mihi præberi videtur occaſio, quam ego eo lætiori mente arripio, quo certius mihi perſuaſum habeo, me talia non plane inutiliter eſſe ſuſcepturum. Quantum enim exinde utilitatis ad nos redundet, id & omnibus, qui doctis viris litteras communicant, & mihi, ex eo tèmpore, quo mihi tam felici eſſe contigit, ut binis, tribuſve medicis artis ſuæ eximie gnaris dubia nonnulla, vel obſervata alia, litteris proponerem, ſatis & abunde conſtat.

Duplex autem eſt, de qua dixi, occaſio, quæ cauſam mihi ſuppeditat, ut hanc ad Te, Vir doctiſſime, darem ſcriptionem. Cum enim libellus iſte, quo anatomiam omnem docte, breviter, eleganterque Germanice complexus es tabulis, nunc denuo tua emendatior lima, nitidior, multiſque rebus auctior, hoc anno in lucem prodiret; eſſetque a tuis, quibus plurimum decoris Germanicæ litteræ acceptum referunt, id mihi datum muneris, ut novæ editionis ejus libelli curam aliquam haberem; id ipſum munus meum ſtatim a me poſtulare viſum eſt, ut tibi ſive peractos labores, ſive monimentum illud eorum, quod nunc extat, ſplendidiſſimum, gratularer. Quod jam ſerius quidem, propter negotia nonnulli, facio, ſed non minori cum integritate mea, nec, ut ſpero, alieniori tua voluntate. Neque tamen votis prolixe addendis opus eſſe cenſeo. Cum enim ejuſmodi laboris ſcriptio non poſſit non tum auctori ſuo honori eſſe, tum his, qui ea rite utuntur, inſigne præbere emolumentum, ſupervacaneum fere videtur, in iis rebus vota conſumere, in quibus, ſponte ſua dicam, an neceſſitate aliqua, juſtus labor paratum ſibi pretium habet.

Quæ autem altera ſcribendi mihi ſive cauſa, ſive occaſio eſt, ea, Vir experientiſſime, vel ſola ſufficere ad me impellendum poterat, ut has ad te darem litteras. Cum enim, de qua modo dixi, eruditiſſimi tui libelli cura mihi demandaretur, id ſimul mihi relatum eſt, te ipſum quoque epiſtolæ ad conjunctum tradidiſſe, qua ratione caput infantis recens nati monſtroſum perluſtraſſes, atque graves ob cauſas in eam incidiſſes ſententiam, monſtroſam iſtam capitis figuram ab hydrocephalo aliquo interno, qui in utero adhuc rumpendo evanuiſſet, ortum traxiſſe. Sed plura, quæ ad hanc tuam infantis monſtroſi hiſtoriam pertinent, hic repetere non lubet, partim, ne tua tibi rurſus tradam; partim, ne aliorum laboribus velle videar inclareſcere.

Id unum dicere ſufficit, mihi, cum iſta monſtri tui mihi referretur hiſtoria, ſtatim in mentem incidiſſe rem ante aliquot annos geſtam, ſcilicet & curam, cui aliquamdiu interfui, & ſectionem infantis, qui hydrocephalo interno diu laboraverat. Quare cum in eo nonnulla obſervata fuerint, quæ & per ſe notatu digna, & forte etiam roborandæ tuæ, de capite monſtroſo ex hydrocephalo orto, ſententiæ apta videri poſſint; neque tibi, vir doctiſſime, neque

aliis, qui hancce fortaſſis legent commentationem, plane diſplicitura eſſe ea, quæ his litteris ſum traditurus, judicavi. Quamvis enim haud pauci ſint, qui hydrocephalorum nobis hiſtorias reliquerunt, inter quos primum locum Licetus occupat, qui de monſtris ſcripſit; eos tamen vel à noſtris multum diverſa, vel externa ſaltem tradidiſſe, omnes intelligent, qui eorum libros perluſtrarunt.

Ne quis vero putet, me hic ea forte tradere, quæ, quo vidiſſem ipſa tempore, vel minus curate, vel præjudicata deceptus opinione, eſſem contemplatus, unum adhuc monendum puto. Nimirum, quæ ego tum notavi, ea, mihi ipſi non ſatis fidens, contuli poſtea cum illis, quæ poſt mortem de eodem hydrocephalo ſcripta reliquit vir omnis medicinæ apprime gnarus, Guilielmus Rudolphus Schæfenberg, Medicinæ Licentiatus. Erat enim multæ variæque in rebus artis experientiæ, quam continuus quadraginta annorum uſus per Electoralis & Vinarienſis Saxoniæ loca dederat: mihi autem cum alias, tum hac de cauſa, erat cariſſimus; ut qui multum me illi debere profiteor, & etiamnum pios illius manes colo. Atque hic ipſe eſt, cui, & cum miſellum infantem adhuc curaret, & tum quoque, cum, hoc mortuo, in enormem iſtum capitis tumorem inquireret, adfui. Tu vero, Vir celeberrime, benevolo animo ea accipe, quæ nunc, quam fieri poterit breviſſime, de hydrocephalo iſto tradam.

Sic autem res habet. Anno 1734. Dorndorfii, quod vico Thuringico nomen eſt, ad radicem oppidi Dornburgi, ſub ditione Vinarienſi, ſito, e ſutoris uxore, partu ſat felici, duo naſcebantur filii, quorum alter tertio poſt die epilepſia obibat, alter autem ſuperſtes ultra unum annum vivebat & dimidium.

Mulier hos partus enixa e cauponum familia, à matre non ſolum lenociniis ſuſpecta, ſed & febre ſcorbutica, ut vocant, tumores pedum œdematoſos excipiente, tandem mortua, ortum trahebat: ceterum ad viſum ſatis robuſta atque ſana. Totum autem graviditatis hujus tempore parum, vel nihil habebat incommodi, niſi, quod ventre erat ſupra modum tumido, & in ipſo partu ingentem aquarum vim profundebat.

Infans ex ea natus is, qui adhuc ſuperſtes erat, ſatis apta membrorum conformatione, formæque pulcritudine quadam, ut in illa ætatula, conſpicuus erat, &, quantum quidem ex habitu corporis externo judicaſſes, perfecta frui ſanitate primis duabus hebdomadibus videbatur. Hiſce præterlapſis ſenſim ipſi caput intumeſcebat; quapropter à laudatiſſimo Schæffenbergio, quem tum ad miſellum parentes vocabant, medicamenta adhibebantur laxantia, diaphoretica, & diuretica. Artis enim vocabulis ad te utor, brevibus ſcilicet atque commodioribus, etſi non ſemper antiquiſſimis. Medicamenta ergo hæc adhibebantur, ſed irrito conatu, & eludente eorum vim tumoris pertinacia.

Faſciæ, emplaſtra, cataplaſmata nervina atque diſcutientia, vina medicata herbis cephalicis ſuperinfuſa, aliaque, quæ huc maxime pertinere videbantur, non ſolum proficiebant nihil, ſed ipſum capitis tumorem haud obſcure videbantur augere.

Alius

Alius medicus, iſque haud incelebris, & rerum valde peritus, ad miſellum accedebat, & malo probe perſpecto æſtimatoque haud leve ſperabat auxilium à fonticulo, quem etiam in apertura pulſatili excitabat quidem, ſed hac quoque ſpe ſua fallebatur. Igitur conſilium capiebat de colluvie aquarum, inciſis capitis tegumentis, elicienda. Roborabatur ipſum ejus conſilium & permiſſu, & inſuper etiam mandato ſereniſſimi Ducis Saxo-Vinarienſis. Sed rite perpenſo, adſtantibuſque propoſito à Schæffenbergio noſtro periculo, quod ægrotanti puello immineret, ob vulnus vel in corpore ceterum ſano ut plurimum lethale, multo autem magis debilitato jam corpuſculo mortiferum futurum, medicina hæc manu facienda omittebatur.

Puellus, præter hunc prægrandem capitis tumorem, reliqua ſatis ſanus, bene appetens atque aſſumens alimenta, novem nunc menſes vivebat.

Poſt annum autem præterlapſum dentes prorumpebant, idque accedentibus convulſionibus, & febre, quam inflammatoriam vocant, quæ pertinacia valde erant, infantemque multum debilitabant. His tandem ceſſantibus, tenelli corpus in partibus inferioribus ad rhachitidem diſpoſitum eſſe, haut levibus apparebat ſignis, cum interea tumor capitis indies magis magiſque augeretur. Ceterum infans, quantum ejuſmodi fert ætas, ſubridendo, ludendoque ſæpiuſcule, ad mortem uſque indolis rationalis, animique bene ſibi conſtantis ſigna edebat.

Binis ante obitum hebdomadibus in angulis oculorum, naribus item, atque ore, materia aliqua purulentæ ſimillima conſpiciebatur. Quo tempore ſic conſumto, nihilque antecedente morbi cujuſdam alius mortem, miſer tenellus, cum dimidia ante fatum hora largiorem cereviſiæ hauſtum cepiſſet, brevi poſt ſubitaneo correptus letho obibat.

Ea ratione mortuo infante, id nobis curæ erat, ut inciſo capite morbum curatius perſpiceremus. De magnitudine itaque tumoris primum eramus ſolliciti: cui ſuperintenſo filo, apparebat, ambitum ipſius capitis ita tumentis ſuperiorem, menſo ſpatio ab una aure, ſupra fontem pulſatilem, ad alteram pertingente, 28 eſſe pollicum, diametrum autem 14 circiter pollices æquare.

Remotis poſt communibus capitis tegumentis, videbamus, locum iſtum, quem ſutura coronalis occupat, ſpatium inter frontis & bregmatis oſſa relinquere trium pollicum, eum vero, qui ſagittali, eidemque prolongatæ, dicatus eſt, novem pollicum diſtantia calvariæ oſſa, quæ huc pertinent, à ſe diſcernere. Quin eadem hæc res, vivo adhuc miſero tenello, manifeſte apparebat, cum manu capiti ſuperne admota, id ipſum aliquatenus inumbraretur. Quo facto ſimul id animadvertere licebat, qua ratione aquæ in calvaria contentæ moverentur.

Illud autem tegumentum, quod pericranium eſt anatomicis, internumque illud, cui duræ matris nomen eſt, tam arcte cum oſſibus bregmatis & frontis unita erant, cohærebantque, ut ipſæ hæc partes, omni licet adhibita cautione, vix abſque duræ matris laceratione à ſe invicem poſſent ſeparari.

Hæc itaque inciſa remotaque, ipſa nunc apparebat pia mater, ſub qua eo loco, ubi dexter cerebri lobus eſt, tanquam in veſica quadam libra una & plus aquarum continebatur.

Præterea ſub eadem pia matre alia quædam in conſpectum prodibat membrana, duræ matri & aſpectu, & craſſitie haud abſimilis, interno autem habitu nonnihil fungoſa. Quamvis itaque hæc res nobis perſuadere videretur, tumorem aliquem ad cyſticorum genus accedentem, qui aquas haſce extra cerebrum in peculiari quadam capſa contineret, ab hac membrana formari: eam tamen nihil aliud eſſe, niſi fibratam cerebri ſubſtantiam, in ejuſmodi corpus mutatam aquarum preſſione, harumque colluviem continentem, brevi poſt comperiebamus.

Aperta enim ipſa hac tunica, cavum quoddam detegebatur plenum aqua cryſtallina, cujus ex eo libræ ſex & ultra effundebantur. Omnis autem cerebri ſubſtantia, quæ ſuperiores occupat partes, abſumta erat, nihilque ejus, niſi in parte inferiore paucula vaſa, anfractuumque minimæ reliquiæ conſpiciebantur. Ventriculum tamen nominabimus hocce cavum, ob ejus ſitum; quamquam omnis ventriculi diſparuerat facies.

Eadem res erat cum ventriculo ſiniſtro. Is enim initio non minus aquis expanſus conſpiciebatur, quando omnis ſuperior cerebri pars in tunicam priori ſimilem mutata, & ſine vaſis ſanguiferis anfractibuſque erat. Poſtea vero ſiniſter hic ventriculus, aperto dextro, omnem tumorem aquarũque colluvië amittebat.

Pars medullæ oblongatæ ea, quæ cruris ſiniſtri nomine appellatur anatomicis, una cum corpore ſtriato, in hoc ipſo ventriculo aliquatenus, quamvis obſcure ſatis, apparebat. Eædem e contrario partes ad dextrum ventriculum pertinentes plane diſparuerant. Neque aliter habebant, quæ ex medulla fornicem conſtituunt. Ea enim ita plane colliquefacta erant, ut infundibulum, abſque ulla aliarum partium remotione, una cum partibus ad id pertingentibus, libere conſpici poſſet.

Quamvis autem omnis iſta propemodum cerebri ſubſtantia partim liquefacta eſſet, partim in membranam aliquam ſpongioſam, ceterum ſatis tenuem, mutata: iſta tamen ipſa membrana libræ unius & dimidiæ pondus ſuperabat. Eaque tunica, aqua omni effuſa, antequam eximeretur, ſic collapſa in media calvaria apparebat, ut quaſi glomerë aliquem plurimis conſpicuũ plicis fingeret.

Hæc itaque ſunt, Vir experientiſſime, quæ de hydrocephalo interno, ſcripto tradenda, tibique dicanda putavi. Brevitatem enim ſectatus ſum, qua rarius, quam laxitate & copia peccatur. Neque ſupereſſe videtur, quod de his rebus aut judicem, aut præterea addam; cum prudens quiſque, rerum ſuarum gnarus medicus facili negotio ea inde colligere queat, quæ conducere ſibi, & utilitatis aliquid afferre poſſunt. Eam enim potiſſimum ob cauſam me hoc ſcripturæ genus ſuſcepiſſe profeſſus ſum, ut proderem aliquid, quod tibi in perveſtigando illo monſtro tuo, niſi & utile, ſaltem non eſſet injucundum. Quamquam in partem conſilii mei venit etiam ea cogitatio, ut, ſi fieri poſſit, plures excitarem adſcribendas morborum hiſtorias, qua in parte, magno & artis, & ægrotorum detrimento, magnam ſcis eſſe penuriam: quam tamen tollere cuique & jucundum, & honorificum eſſe debet. Quorum ſi quid ero conſecutus, vehementer mihi gratulabor. Multo autem id agam vehementius, ſi inſuper tuo in re mea edito judicio, de voluntate in me tua factus ero certior. Vale, Vir doctiſſime, meque in poſterum favore tuo dignare. Scribebam Lipſiæ, prid. Kal. Jun. 1741.

FINIS.

XIII.

ALEX. CAMERARII

DE

APOSPASMATE PIÆ MATRIS.

Reſpond.

THEOPH. FRIDERICO FABER

DEFENSA DISPUTATIO.

Tubingæ 24 Apr. 1722.

Digitized by Google

Σ. Θ.

IN publicum prodeunti rurſus, & eruditorum cenſuræ pagellas haſce ſubmittenti, procemio prolixo certe non eſt opus. Juſtæ mihi ſunt ſcribendi cauſæ; Eſt etiam qua me tuear, autoritas. Scilicet jubentibus ita ſtatutis Academicis ſub auſpicia profeſſionis ordinariæ conſuetam ſiſto diſputationem pro loco in facultate obtinendo. Scribendi argumentum vero, quia liberum omnino fuerat, ſelegi *apoſpaſma*; Non illud membranarum in obtuſo *ovi*, de quo ſcriptam olim ad *Valliſnerium Bellini* epiſtolam ex *Giornal. d'Ital.* citavi quondam in diſput. inaugur. Coroll. 4. Sed aliud, in homine mihi oblatum, *Piæ matris*, futurum proin non curioſum modo, verum inſuper in medicina etiam uſus forte non nullius. Quod ipſum dum aggredior, ſecedentis membranæ mentionem toties facturus, aliud potius agendum mihi prius adhuc eſſe ſentio; ſcilicet venerari Deum, velit ſua gratia conſtanter nos fovere, nec a nobis unquam recedere!

Thema conſiderationis noſtræ eſt meningis tenuis, *pia mater* dictæ, receſſus a ſtatu naturali ſingularis, conſiſtens in hoc: vaſorum illam perreptantium *plenitudo* non tantum ad infarctum uſque, verum membranæ ipſius diffuſa *rubedo*, ſuper lobum cerebri dextrum anteriorem inprimis & poſticum ſiniſtrum, cum *incraſſatione* ejuſdem tali ac tanta, ut perquam facile a cerebro potuerit elevari, ex gyris ejus *extrahi*, hiantibus inde anfractibus ab invicem, abſque eo ut vel ſanguis vel ſerum ibi fuerit effuſum.

Non ita deſuper *dura mater*, quippe rubedinis iſtius expers, cruore tamen adhuc fluido ſub cranio extravaſato obruta; nec ſubtus *cerebrum* ipſum ita inflammatum, etiam in ventriculis ſuis vacuum, vaſculis tamen plexus choroidis plenis turgidis inſigne, ſed cum *cruore* iterum in baſi quoque extravaſato.

Phænomenon hoc anatomicum fuit oblatum in cadavere humano: *Peregrinus*, annorum cc. 40. æſtimatus, in ſylva inventus, dubiæ relationis & ſuſpicionis, utrum percuſſus, vel æger, derelictus, ab itinere & morbo fuerit collapſus, in viciniæ ptochodochium fuit delatus, ſui non compos, *delirus*, *convulſus*, poſt 24. horas demortuus, anno 1720. menſe Julio, erat inſpiciendus.

Obſervabantur ergo extus per corpus undique *livores*, ſuper utrumque humerum aliquot *vibices*, magis adhuc cœruleſcentes, cum areola quadam ſuper ſiniſtrum *macularum*, petechiis ſimilium ſubnigricantium. De cætero nec vulnera, nec fracturæ, nec luxationes, aut alia externæ violentiæ indicia. Vix autem commoto & ad ſectionem deportato cadavere, effluebat ſtatim *cruoris* ex ore & naribus nigricantis multum.

Cute detracta *pericranium* cruore ſuffuſum, ſpatio vix palma tegendo; cum prius externe tumor non fuiſſet conſpicuus; *cranio* ipſo integro, non fiſſo, nec fracto.

Non

Digitized by Google

Non intermiſſa fuit apertio thoracis; cui *pulmones* undique accreti, plane turgidi, coloris intus & extus obſcure fuſci: in *cordis* ventriculo ſiniſtro nihil fere, in dextro parum ſanguinis non grumoſi; ſed in *pericardio* non parum turbidulæ aquæ.

Imi tandem ventris inſpectio obtulit ſubſtantiam *lienis* mire quam digito friabilem; *omentum* tenue, fere conſumtum; Dum in cæteris viſceribus non occurreret notabilis a ſtatu naturali receſſus.

Tranſeant hæc, niſi in quantum cum themate noſtro connexionem habent; membranæ modo illius pr. nat. craſſæ & abſtractæ rationem habebimus, quia in ſtatu naturali aliter cum iſta comparatum eſſe ſolet. Hæc totum cerebrum, quoad omnes ejus etiam minimos anfractus, involvit, obducit & inveſtit, gyros autem ejus connectit, & anfractuum atque interſtitiorum ſummitates colligat, inſimul ſanguinem cerebro advehit & ab ipſo revehit, dum arterias quæ ad ipſum tendunt, vel juxta recentiores corticalem ejus ſubſtantiam conſtituunt, & venas, quæ inde iterum emergunt, ſuffulcit. Hinc non modo duræ matris inſtar laxe cerebro ſuperjacet, ſed undique firmiter ipſi cohæret & affigitur; arctus inter ipſam atque cerebrum nexus eſt, qui non facile ſolvitur, niſi forſan in caſibus mox dicendis.

Confirmant hoc & quotidiana cadaverum ſectio, & communis Anatomicorum conſenſus. Ita *Heiſterus* in ſuo comp. anat. dicit: Connexio ejus cum cerebro ſano arcta eſt & firma; in hydropicis laxa. *Verheyen* anat. corp. hum. ſubſtantiæ, inquit, cerebri adhæret arctiſſime, ſic ut vix ulla parte diſtrahi aut cultello ſeparari queat, niſi cerebrum prævie fuerit aliquatenus putrefactum, aut ſeroſis humoribus longo tempore inundatum. Et *Blancardus* tandem ſeqq. undecunque habeat, nec enim id ſolet addere, ſuppeditat: hæc non modo τῦ ἐγκεφάλȣ ſuperficiem laxe circumambit, prout dura mater; ſed arcte admodum ita complectitur, ut difficillime ſeparetur; Inſuper in omnes anfractus & ſulcos ejus ſe inſinuat, eorumque intima inveſtit. Et alibi: cerebro ſano & ſicco pia mater ita arcte cohæret, ut vix in ulla parte diſtrahi aut cultello ſeparari queat; quibus autem cerebrum multa humiditate ſcatet, retinacula, quibus hæc meninx cerebri ſubſtantiæ affigitur, laxantur, adeo ut membrana vaſorum plexibus facile abſtrahi, ac fere integra avelli poterit, qua quidem avulſa cerebri plicæ nudæ apparebunt.

Hanc igitur piæ matris conditionem ſingularem placuit vocare *Apoſpaſma*, quod in genere nihil aliud eſt, quam duorum arcte connexorum divulſio, uti etiam in noſtro caſu fuit membranæ iſtius a ſuo cerebro ſeceſſus, non ſpontanea quidem ex gyris expulſio, ſed digitis demum obtinenda facilis ſeparatio, aut potius jam ſeparatæ & incraſſatæ totalis extractio, ad gyrorum & plicarum cerebri notabilem hiatum; qualis incraſſationis & abſtractionis exempla ſuppetunt paſſim in obſervationum medicarum libris, quorum ſ.oin quædam licebit excerpere.

In *Sepulchreto Boneti* (præter alias plures huc ſpectantes, & inprimis p. 113. an *Wepferi*, & p. 211. an *Kerkringii* obſſ.) p. 1496. *Fantonus* recenſet

ſet *pictoris*, *febre* non ſatis agnita, *maligna* demortui, pulmonis & lienis diſſoluti corruptelam, & addit: ulterius metaſtaſin in capite conjiciebant aliqui, quorum gratia cerebri tentavimus diſſectionem, ideoque ſecato cranio craſſiſſimo ſuturiſque adeo compactis, ut deeſſe viderentur; Ablata dura meninge, tenuis occurrit admodum craſſa, ut attoniti ſuſpicaremur, an tenuior aliqua inferius lateret, triplicique cerebrum illud involveretur meninge, quod non ſucceſſit, ſed huc unum obſervabile, piam matrem craſſitie & denſitate duram æquare: ablatis itaque duris hiſce meningibus, corticales cerebri anfractus ita pulchre diſtinctos detegimus, hoc eſt, inter ſe adeo ſeparabiles, ut notabilia vacua remanerent, cum in aliis capitibus arcta contiguitate anfractuoſe copulentur: anfractuum ergo hæc conformatio vere induſtria, dum æque bene ac inteſtinorum gyri ſemetipſis diſtinguerentur, & ideo ſi pia mater per corticales cerebri ambages undiquaque ſe inſinuat, cum illa craſſa adeo extiterit, per conſequens illa ablata notabile remaneret ſpatium inter anfractus, tanto magis conſiderabile, quanto copioſiores gyri: ſubſtantia vero cerebri univerſa naturalis omnino & ſana, præter ſolitam ſeroſitatem in minima quantitate, & corporis colorem nonnihil flaveſcentem.

In *miſcell. nat. cur.* Dec. II. ann. 5. O. 62. *Hartmannus* ſiſtit anatomen *Phrenitici*, de quo inter alia hæc habet: matre dura circumcirca receſſa & ſublata, pia occurrit illæſa, multis vaſis turgida; ſtagnante in interſtitiis anfractuum copia ſubcœrulei humoris. Curioſitatis ergo piam accurate ſeparans, illam alteram duram matrem exhibui, non ſolum quod craſſitiem tunicæ, ſed & quod amplitudinem vaſorum, eademque a cortice cerebri facilius quam unquam dura a pia auferebatur, cum nullo adhæſu cortici eſſet annexa, quo ipſo ſubcœruleus per piam translucens humor effuſus ſe lympham intuentibus probavit. Anfractus vero corticis cerebri, pia hac matre ſemota, nudi prorſus, omni membrana deſtituti, præclaro ſpectaculo, inteſtinulorum vel funiculorum ſeriem quandam diſpoſitam, digitis ordine explicandam offerebant, nullis in ipſorum ſuperficie conſpicuis vaſis, ſive ſanguineis ſive lymphaticis.

Et in dec. 2. ann 6. obſervationem *Anhorni* communicavit *Zwingerus*, anatomen ſcil. *Maniaci* triginta annorum, de quo p. m. 546. Pia mater, inquit, duræ matri arcte adhæſit, & ſolum obiter perreptabat cerebrum, ſecus ut alias contingit, dum intra cerebri anfractus ſe inſinuat. Dicuntur autem inſuper omnia circa baſin cerebri ſero fuiſſe inundata; & plexus choroides veſiculis lividis ſive hydatidibus piſiformibus conſpurcatus &c.

In actis *Acad. ſci. Gall.* ann. 1706. (p. 662. edit. belg.) in anatome *furioſi*, præter abſceſſus hepatis, calculos fellis, lamellas duræ matris offeas, dicitur etiam pia mater craſſa, ex anfractibus cerebri facile extrahenda, cerebri inde gyri inteſtinis ſimiles. &c., *La pie-mére étoit plus épaiſſe qu'à l'ordinaire, elle avoit preſque la même fermeté, qu'a coûtume d'avoir la dure mere dans les autres ſujets. On la levoit avec facilité de deſſus la ſubſtance du cerveau, même dans les anfractuoſités, & elle étoit toute parſemée de vaiſſeaux*

 ſan-

ſanguins fort engorgés de ſang. La ſubſtance du cerveau étoit fort deſſechée, & beaucoup plus ferme qu'elle ne l'eſt ordinairement. Ses circonvolutions, qui imitent aſſés bien celles des menus inteſtins, y étoient d'autant plus diſtinctes, que les ſillons entre ſes circonvolutions étoient devenus larges & profonds par le deſſechement du cerveau &c.

Tandem in *ſchedis Paternis* invenio caſum, viri poſt diros animi angores *maniaci*, intra duas ſeptimanas confecti, de quo inter alia: Pia mater, ſcribitur, non tenuis, ſed craſſa admodum, & ſero albicante concreto, quod intime quaſi imbiberat, adeo turgida, ut abſtrahi facile a ſubjacente cerebro potuerit; hiabant ſub ipſa flaccidæ cerebri plicæ, ſimiles fere inteſtinis, prout meſenterio annexa vendi ſolent, nullo tamen in anfractibus his externis contento ſero.

Exemplis hiſce deſumtis ex anatomia practica, quam ob inſignes in medicina uſus philiatris tantopere commendatam legimus in Scholio ad obſ. 15. annot. 1. miſc. nat. cur. & apud *Baglivum* in praxi lib. 1. c. 5. liceat pro illis quidem, quibus uti phyſica, ſic etiam medicina *tentativa* & *experimentalis* eſt ad palatum, ſubjungere &recenſere modos aliquot, quibus incraſſationem & abſtractionem iſtam piæ matris, ſed artificialem & extemporaneam, a cerebro etiam ſano procurare tentavi. Poſſe digitis iſtam a cerebo ſeparari, & ex gyris ejus extrahi, ſi modo hoc in *aqua fervida* detineatur aliquandiu, vel *coquatur* etiam, culinare quidem eſt phænomenon, anatomicis tamen non minus cognitum, qui in ſectionibus ſuis, ad demonſtrandam ac a cute ſeparandam cuticulam, aqua etiam utuntur fervida, cui forte manum alterutram cadaveris immergunt, atque ita facile detrahunt integram digitorum, cum unguibus quoque, cuticulam, quaſi dactylothecam; coctione autem a baſi cranii, ab oſſe petroſo, quocum firmiter alias connectitur, facile admodum uti notum eſt ſecedit dura mater. Quemadmodum vero hæc ipſa tum mollis eſt admodum & mucilaginoſa; ita certe pia coquendo notabiliter incraſſatur: *num* ab imbibita aqua, unde abbreviatur, & dicta Blancardo retinacula rumpit?

Alia videtur eſſe ratio *ſpir. vin. rectif.* quem pro admiranda cerebelli ſtructura & diviſione in lobulos minimos, fere innumeros, detegenda adhibet *Heiſterus*, juxta obſ. 82. *E. N. C.* cent. 5. certe a portione tam cerebri quam cerebelli in hoc per noctem macerata, ſeparatio proceſſit multo & facilius & liberius, quam a coctione quidem; firmata ſimul & quaſi ſolidata ipſa cerebri ſubſtantia, ſimiliter autem duplo ad minimum craſſior facta membrana. An hic ſiticuloſus vini ſpiritus dicetur humidum, tam cerebri quam membranæ, potius ad ſe rapere, ipſam ſiccare, contrahere & retinacula, Italorum chordas, abrumpere?

Jucundum porro fuit phænomenon, quod exhibuit *candelæ flammula*, per tubulum ad cerebri ſuperficiem directa. Scilicet a primo ejus appulſu membrana ſtatim manifeſto cœpit contrahi, coarctari & abbreviari, cerebrum

brum vero in extremitatibus circum circa (erat enim reſecta quædam lobi portio, quæ candelæ fuerat admota) ac ſi manu premeretur, turgere, prominere ac in convexum, uti fere labia ulcerum cancroſorum ſolent elevari; interim membrana ex gyrorum meandris & anfractibus ſoluta libere potuit extrahi. Similis fere eſt alter ille cuticulam ſeparandi ac demonſtrandi modus anatomicorum, quibus ſola fortior vis candelæ ſufficit ad excitandam etiam in cadavere veſicam, qualem fruſtra expectaveris a cantharidibus, corpus vivum alias toties veſicantibus, non quod ipſis (mortuis, ac in particulas diſcerptis) facultas ſit diſtinguendi corpus vivum a mortuo, uti vivæ plantas melius, ac ipſi quidem botanici, diſcernere dicuntur in *Giorn. d'Ital.* T. XVI. ſed quod cum ipſarum ſpiculis concurrat, vel ad & adverſus ſpicula accurrat vita, non aliter quidem, quam per nervorum & arteriarum influxum, explicanda.

Tandem *flatu*, primum diu atque fortiter in arteriam carotidem utramque, inde ſub pia meninge, inter ipſam & cerebrum adacto, *aëris* etiam in ſeparanda iſta membrana efficaciam tentavi. Sed hic expectationi non reſpondit eventus; prius enim factum fuit omnino fruſtra; poſterius autem non niſi in ſuprema gyrorum ſuperficie parum clevavit, & a cerebro ſeparavit membranam, nihilo tamen facilius inde extrahendam, quippe in interioribus & inferioribus firmiter adhuc connexam. Quantum vero penetrare, & in partium, inprimis vero membranarum, interſtitia ſeſe inſinuare aër alias valeat, patere poteſt ex *Emphyſemate*, ſive intumeſcentia illa corporis univerſi flatulenta, poſt acceptum in thorace vulnus exorta, lethali, quam prolixe legimus in act. *acad. ſci. Gall.* an. 1713. Quo magis miramur novum, quod in *Eph. nat. cur.* cent. I. obſ. 12. Mauchartus propoſuit, & in cent. 4. obſ. 84. repetiit *experimentum pinguefaciendi boves*, & vaccis procurandi lactis augmentum. Scilicet facto juxta utramque ſcapulam foramine, *inſufflando* fortiter aërem, ad turgentias ſubcutaneas, manu etiam ad alias ſub cute partes quaquaverſum protrudendas; ita ſubtumidum videri bovem, brevi tamen tumorem omnem rurſus evaneſcere, impinguationem vero eo citius atque felicius procedere.

Nequitiæ autem humanæ ſpecimen eſt ſtupendum, attentione tamen medica digniſſimum, *Hydrocephalus arte* non tam factus, quam *fictus*, quem ex *Hildano* citat *Hoffmannus* diſquiſ. corp. hum. anat. pathol. ſpecim. XV. §. 18. productum ab ipſis parentibus, qui infantuli ſui cutem, circa nucham, ad muſculos uſque inciderant parvo foramine, per quod mediante fiſtula cutem paulatim *inflaverant*, hacque dein extracta, & foramine cera artificioſe obturato, infantuli caput in tantam molem extenderant, ut puero, quaſi hydrocephalo laboraret, per Galliam deducto, quæſtum lucrumque fecerint turpiſſimum, capite ob eam cauſam re perſpecta mulctati.

Dicta hactenus experimenta inſtituenti ſuperſtes manſit cerebri quidam

lobus, propter curas & occupationes alias neglectus, interim nupero aëri frigido, nivoſo & pluvioſo, ultra ſeptem fere dies expoſitus, quem cum forte fortuna conſpexiſſem iterum, non ſine animi voluptate vidi confirmari verba ſuperius ex Verheyneo citata, ſcilicet ſeparari membranam poſſe, ſi quidem cerebrum aliquatenus fuerit *putrefactum*; noſter enim hicce lobus fuerat omnino putredinoſæ reſolutioni proximus, totus emollitus & tantum non pultiformis, poteratque ab ipſo levi digitorum opera detrahi integrà, qua inveſtiebatur, membrana. Mentionem vero hujus etiam modi factam poſtea deprehendi apud *Bonetum*, in cujus *Sepulchreto*, poſtquam (*Wepferus*, uti videtur) ſimilem piæ abſtractionem recenſuerat, p. 109. ſubjungit: Id vero aliis etiam vicibus præſtare potui, quoties madidius cerebrum debito fuit, aut ſi per biduum vel triduum cerebrum frigido & humido aëri expoſui.

Non inhærebo hiſce diutius, nec, quod hujus utique loci eſſet, operoſe conquiram analogas, aliàrum membranarum hoc modo ſeparatarum & incraſſatarum, hiſtorias, quas nominare ſaltim liceat, a *L.* quem optamus *B.* ſi placet, evolvendas, quippe huc omnino ſpectantes. Scil. vaſorum lymphaticorum, viſcerum atque partium tantum non omnium, atque membranarum tandem illas ſuccingentium *hydatides*, *ſaccatum* peritonæi, uteri ejuſque tubæ ac ovarii *hydropem*, uti paſſim in obſſ. medd. libris, ita in ſpecie apud *Nuckium* in adenographia. *Membranas* etiam imi ventris hydropicorum *incraſſatas*, in diſp. *B. Avi*, anat. hydrop. atque *apoſpaſma* membranæ vaginæ uteri internæ, quod poſt partum difficilem frequenter a ſe obſervatum fuiſſe dixit *Wepferus* in *miſc. nat. cur.* dec. 2. ann. 5. p. 311.

Hiſce ita ſe habentibus, quænam igitur *cauſa* piæ a cortice ita ſecedentis? in noſtro caſu non fuit incipiens cadaveris *putrefactio*; non interceſſit tantum tempus inter mortem & inſpectionem, ut per moram iſtam potuerit diſſolvi nexus. Nec ante mortem, per morbum, adhuc facta fuit talis corruptio; non enim aderat ſanies, aut liquamen quoddam putrilaginoſum, ſed ſanguis adhuc integer & fluidus.

Non *flatus*, iterum noſtro in caſu, quos obſervaſſe non memini: *Wepferus* tamen loc. cit. de dura matre dicit, iſtam fuiſſe elatam, ac ſi flatibus diſtenderetur; & in cit. ſched. *parentis deſideratiſſimi* invenio aërem, in viſceribus & vaſis tam medii & imi ventris, quam ipſius etiam cerebri, conſpicuum & erumpentem. Ut quod olim ab ipſo ſub *B. Avi* præſidio, de vi aëris elaſtica in tenſione cordis lypothymiæ cauſa ſcriptum, atque ad miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 2. tranſmiſſum fuit, quemadmodum ad alias partes, ſic & ad cerebrum extendi & applicari poſſit.

Non *ſerum*: cerebrum peregrini non fuit hydropicum. Quanquam conformiter experimento Loweriano ſanguini refluo poſitus obex ſubterfugium quærere cogat in membranarum interſtitiis, quod egregie demonſtravit Socer venerandus, *D. D. Zeller*, in d. vas. lymph. admin. concl. ult. Quin multus & importunus ſibi ipſi tandem impedimento eſſe poſſit, ut conſequa-

quatur albi a rubro receſſus, cum fatiſcente membrana, & dehiſcente cortice, a laud. autoribus obſervatus.

Quid ergo ſupereſt? Quid? Niſi *ſanguis*, & copia & impetu majore huc delatus, raptus termino vett. ad caput, termino recentiore congeſtus, accumulatus, ad vaſorum, imo vaſculorum alias non conſpicuorum, repletionem, diſtenſionem & membranæ inflammationem. Mirum quod non eruperit, ſive non fuerit extravaſatus ſ. inter duram & piam, ſ. inter piam & cerebrum: *An*, quod in vicinia invenerit exitum, ſupra duram, & ſub imo cerebri?

Neque vero ſic excluditur ſupra ex anatomicorum libris allegatus cerebri ſtatus *ſeroſus*, *hydropicus*, & qui ad latus huic meretur jungi mucoſus, mucilaginoſus, catharrhalis. Quemadmodum enim in recenſitorum caſuum quodam craſſa modo fuit & mucoſa pia mater, ſine ſero ſub ipſa, ſine ſero in ventriculis; In altero autem circa baſin cerebri ſero omnia dicuntur inundata, & plexus choroides veſiculis lividis, ſive hydatidibus piſiformibus, conſpurcatus; Ita huc omnino ſpectat, qui in eodem, quo peregrinus iſte occubuit, promihi etiam obtigit caſus alter, æque memorabilis & rarus. Scil. de *infante* recens nato, qui magnam ex ano propendentem habere veſicam dicebatur, pervenerat ad aures noſtras rumor, expiraſſe ipſum ad meridiem. Ecquid igitur monſtri infans aleret inquirere, & cum auditoribus excurrere, operæ videbatur pretium. Deprehenſa autem, præter alia curioſa, de quibus forſan alibi, veſica iſta fuit vera & genuina *ſpina bifida*, ſcil. tumor aquoſus, mollis, pugni majoris magnitudine, ab anguſta baſi, ſuper ultimum oſſis coccygis articulum poſita, ampliatus in ſaccum quendam, quaſi utrem (qualem, ſed multo majorem, hydropis ſaccati aliquando dedi in *biga obſ. med.*) concludens lympham claram, limpidam, pulchre flavam & ſubdulcem; ſpinali medulla uſque ad vertebras lumbares deficiente & conſumta &c. In hujus igitur infantis capite conſpectus iterum fuit ſingularis ille a ſtatu naturali receſſus *piæ matris*, quæ turgidis vaſculorum ramis pulchre picta, neque tamen inflammata, ſimiliter autem ab imbibito humore multum *incraſſata*, digitis facile potuit tota a cerebro *detrahi*, dum hoc ſubtus gyros quidem adhuc ſervavit ſuos & exhibuit, molle tamen adeo fuit & mucilaginoſum, ut tantum non pultis inſtar (quod *Platero* in vetula obtigiſſe notum eſt (ſuper tabulam difflueret, colore pallidum, ſubluteum.

Solicito autem de apoſpaſmatis illius cauſa poſſet utique opponi inſcriptio obſervationis *Fantoni*, apud *Bonetum* p. 1486. & quid de illa videatur quæri: *Induſtrii pictoris induſtria cerebri conformatio.* Suſpicio enim fuit, raram illam piæ matris craſſitiem, & diductam anfractuum cerebri contiguitatem multum contuliſſe perfectioni in pingendo, cum in hac arte excellens fuerit, ſi quis alius. Præmiſſo igitur diſcurſu, quantum cerebri & cordis, ſanguinis & ſpirituum, ratio contribuat organice ad operationes animæ, ingenii vires, & qualis concipiendus ſit in ſitu is illorum re-

Digitized by Google

ceſſus, tandem concludit : „ Quapropter piam meningem craſſiorem ef„ fecit natura, ut illos (ſpiritus) retineret facillime diſſipabiles, à nimis laxa cerebri ſtructura, tum etiam ut cerebri anfractus ſua interpoſitione dilataret, ad faciliorem ſanguinis inſtillationem : copioſi ergo ſpiritus, cum libere per diductos cerebri anfractus permearent, libera etiam fluiditate per corpus calloſum exſpatiari poterant. Unde ita ingenioſe imaginabatur, ut pura tantum originalia, per Italiam celeberrima, imaginationis ſuæ viribus abſtracta depinxerat, nullis unquam deditus exemplaribus". In re obſcura aliena certi quid ſtatuere non auſim, autori vel ſubſcribere vel contradicere ; quandoquidem tamen pictor febre maligna, à pulmonis & lienis ſphacelo, quorum ſola tunica ſuperſtes fuerint, deceſſerit ; non poteſt non oboriri dubium, *num* ille ſtatus piæ matris fuerit *naturalis*, annon potius febris & raptus humorum ad caput productum, citata ipſi Autori metaſtaſis ? Videtur enim ſpectare caſus ad claſſem illorum, de quibus ſuas dubitandi rationes in ſyſtemate Cautel. Medic. nuper dedit Patruus Exc. *Dn. D. El. Camerarius.*

Succedat quæſtio alia, *utrum* ab hoc apoſpaſmate quid deſumi poſſit pro *media* quadam duram inter & piam matrem membrana, dicta *Arachnoide* ? Quæſtio autem & dubium ſolet eſſe magis de ſupero, quam imo cerebri, ubi hæc tertia diſtincta eſt certior & clarior. *Heiſterus* diſtinctam eam proponit, cujus connexio in ſuperiori parte cerebri cum pia matre ſit ſtricta, in inferiori vero, circa cerebellum, medullam oblongatam & ſpinalem laxa. *Ridley* autem, in Anat. cerebri, quam ab *Etmullero* Jun. latinitate donatam vid. in Miſc. Nat. Cur. Dec. III. Ann. IX. & X. App. cum *Cowpero* in Anat. Corp. Hum. deſcriptam à *Bidloo* atque *Bohnio* iſtam arachnoidem non habet niſi pro externa piæ lamella, provocans ad ſcrutinium ejus controverſiæ gratia ſumma induſtria inſtitutum, in cerebro humano hydropico, in quo ne minima conſpiciebatur cavitas vel interſtitium, quod non aquam extravaſatam abunde contineret, in quo proin non agnovit inteſtitium duarum diverſarum membranarum, ſed unam eandemque membranam, ex duabus tamen conſiſtentem laminis.

Quæritur porro, *numquid* ex tali receſſu deſumi poſſit pro ratione *gyrorum cerebri* ? Cum hoc ſit primum, quod in oculos incurrit, quo cerebrum humanum antecellit cerebra brutorum quæcunque, magnitudo ſcilicet ipſius & gyrorum multitudo (de quibus vid. omnino figur. elegant. *Heiſteri* ad obſ. 82. *Eph. Nat. Cur.* Cent. V.) nec fruſtrà hæc ita ſe habere quiſquam temere dixerit, in genere quidem excellentiam humanam ex parte in hoc quoque fundari, organice, ratione ſcil. diſpoſitionis organicæ, ad actus requiſitæ, facile aſſeruerim, ſed ſpeciatim ſedem facultatis cujuſdam, vel ipſi ſupervenientis habitus, ibi conſtituere non auſim. Non in interſtitio contiguorum duorum corticis lobulorum ; quippe quod ipſa pia mater occupat : non in extante ibi corticali ſubſtantia, quippe quæ dignitatis talis tantæque ſedes non eſt, ſed deſtinatur alteri intimiori prin-

Digitized by Google

principaliori. Quanquam ergo ſub iſta confuſione facultates ita lædi ſoleant, ut aliæ aboleantur, aut imminuantur ad minimum, aliæ depraventur: *utrum* tamen in ſpecie *memoria* habitet in iſtis anfractibus, ex læſione & perturbatione talium ægrorum diſcat qui poteſt; interim attentus legat in *Miſc. Nat. Cur.* Dec. II. Ann. VI. obſ. 147. ſubitaneam memoriæ, ſalvo tamen intellectu, abolitionem à caſu, ejuſque felicem reſtitutionem; in *Giorn. d'Ital.* autem T. XVIII. oblivionem, ab accepto & male curato capitis vulnere inductam, iterumque feliciter ſublatam, vulnere reaperto & ex arte curato. Rara eſt, quæ ibi additur, Papæ Clementis VI. memoriæ, neſcio an dicam felicitas, an infelicitas, qui ab ictu in capite accepto, cujus teſtis ſuperſtes ingens in ſupremo vertice cicatrix, quicquid vel ſemel legerat, oblivisci amplius, etiamſi voluit, non potuit. Suſpecta vero clauſula: *caſus memorabilis, ſi modo verus: hoc enim habet inter multa clarorum admiratio: viam fabulis aperire ſolet.*

Quo cum *ſenſu* autem fiet talis piæ ſeceſſus, quantumve importabit *doloris?* Judicandum id erit ex conditione cerebri à quo meninx avellitur, & meningis ipſius, quæ avellitur. *Cerebro* quidem ſenſum omnem cum Ar'e plerique denegant, unde etiam illud non ut ſentiat, ſed ut ſentiendi facultatem præſtet, factum eſſe, organum non ſentiens, cum Galeno dixit *Diemerbroek*: tanquam ſenſus quidem & motus expers, de omnibus autem judicans; nec in ſubſtantia nervis donatum, omnibus autem præbens originem. *Bellinus* tamen in d. morb. cap. prætendit, ex Anatomicis & experientia chirurgorum patere, cerebri medullam & corticem, etiamſi concedatur non ſentiens &c. tamen quia vaſis innumeris implicatur, quæ ſunt ex membranis ſeu villis ſentientibus, manifeſtum eſſe, corpus cerebri totum poſſe ac debere in dolorem cogi, non ſecus ac oſſa &c. ita dolent, ut ſuum ſibi propium dolorem vindicaverint. *Meningibus* autem (non enim hic in ſingul. ſed in plur. loquuntur Autores) ſenſum alii tribuunt omnem, & ab hoc cerebrum prorſus excludunt; unde *Helmont.* tr. d. Lithias. cap. 9. Cerebri ſubſtantiam, dicit, ſenſu tactus orbam, nec moveri arbitraliter; membranam vero iſtam duplicem, meningis nomine dotatam, acutiſſimi eſſe tactus, licet immotam; hinc & nervos illam mutuari; & excellentiam hanc eſſe meningum, ſicut membranarum aliarum, uteri, ſtomachi &c. Et alibi: ſenſus cerebro cum nullus, vel ſaltim ſurdus ſit, acutiſſimus vero meningibus; ergo lumen ſenſus non defluit per ſubſtantiam medullarem ac centralem nervi, ejuſque tubum; ſed anima ſenſitiva ſenſum diradiat à meningibus, per membranas nervorum tegmina &c. (Miror, quod hæc non allegaverit, qui hanc ſententiam adeo acriter defendit Autor obſervationis de infante ſine cerebro & calvaria nato in *Act. Med. Berol.* Vol. VIII.) De pia matre tamen in ſpecie loquitur *Vieuſſens*, quando in Nevrogr. L. I. c. 5. p. m. 59. Pia, inquit, quemadmodum & craſſa, nerveis quam plurimis fibris intertexta eſt; ejuſque acutiſſimo ſenſui immanes cephalalgias adſcribendas eſſe nequi-

quanquam ambigimus. Verum enim vero hoc poſterius tali experimento non probavit, uti in præced. cranio perforato, ſi detecta craſſæ pars ſpecillo vel leviter attingatur, admotum inſtrumentum ſtatim perſentire ægrotantem: prius autem illud, nervos ſubſtantiam piæ intrantes, in dubium adhuc vocat, imo nullos obſervatos ait *Heiſterus* in comp. anat. cum dura, etiam nervorum à cerebro procedentium involucrum, exterius, ut illa interius, nervos accipiat à pari quinto & ſeptimo.

Vincant, qui poterunt; in caſibus enim propoſitis hoc ſymptoma *partim* deſideratur, ſcil. in ipſo primo, cum æger non amplius fuerit in ſtatu conquerendi de dolore, & in infante, qui rationis uſu adhuc dum deſtitutus conqueri etiam non potuit (ut taceam illud, quod legitur in *Miſc. Nat. Cur.* Dec. III. A. I. l. c. ſenſim, ſine ſenſu, ſeri in cerebro poſſe fieri colluviem) *partim* non obſervatur, cum maniaci fuerint facti, de prævio capitis dolore non queruli: in malignis tandem *febribus* plerunque triſtis hic invaleſcit ordo, *dolor*, *delirium*, *ſpaſmi*.

Sed ab apoſpaſmate quid in præjudicium *ſenſuum internorum?* Alias ab inflammatione membranarum cerebri communiter ſtatuitur delirium cum febre furioſum, phrenitis; quod in dubium quidem à quibuſdam vocatur, ab aliis tamen novis uſque probatur exemplis, quale etiam eſt illud in *Eph. Nat. Cur.* Cent. VI. obſ. 22. Cel. *Mæglingi*, Conſ. & Arch. Würt. Primus caſuum recenſitorum ſiſtit ægrum mentis ſuæ non compotem, non cum furore tamen: ex deſcriptione adſtantium magis lethargicum, ſtupidum, quam phreneticum, niſi cum *Hippocrate* in Epidem. phrenitidem quandam velimus nuncupare obſcuram, qua correpti non valde inſaniunt, ſed veternoſa ad ſomnum inclinatione gravati pereunt, cujus etiam, ſed alio nomine, mentionem facit *B. Avus* in diſp. d. phrenit. Cæteri meningis incraſſatæ & abſtractæ, ſed non inflammatæ caſus fuerunt plerique maniacorum; ubi duæ ſuboriuntur quæſtiones: altera, an apoſpaſma fuerit cauſa læſarum mentis actionum? quod vix credibile. *Vel* coeffectus, conſequens, productum impetus illius, qui concipitur in vehementia commotionis maniacæ? Altera: *num* inflammata pia delirii fiat cauſa, qua ſedes animæ ipſa? quod quidem prolixa illa evolutione obſ. cit. probari voluit in *Act. Med. Berol. Vel* ob conſenſum vicinæ ſedis, & communem, quam cum cerebro ſuſtinet, dictum cauſæ impetum? quod vero quidem longe eſt ſimilius. Conf. ſi placet, quæ de ſede cogitantis animæ *Lanciſius* tam in *Giorn. d'Ital.* T. XXI. quam in *Theatr. Anatom. Manget.* Libr. 4. c. 2. Supereſt unicus infantis, cum ſpina bifida, caſus ſed peculiarem meretur tractationem; ſpectat autem omnino ad hydrocephalum, proin conferri poterit cum illis, quos in *Miſc. Nat. Cur.* Dec. III. exhibuit Biga Vir. Illuſtr. *Schroeckius* quidem Ann. IV. obſ. 115. *L. B. à Brunn* autem A. I. obſ. 152. & *Salzmannus* in Diſp. d. Tumor. Seroſ. Ext.

Quid

Quid inde *convulſivi* per externum ſubjectum corpus? uterque ægrorum noſtrorum, & peregrinus & infans, ante & ad mortem dicebatur *convulſus*. Et ultimum inflammationum internarum maligne terminandarum eſt utique triſti modo ſpaſmodicum, ut jam notavimus; vel ſolo *tendinum ſubſultu* ad primam pulſus explorationem obvium. Sed maniacorum motus vehementes durant forte diu, invaleſcunt ad extremum roboris gradum, abſque convulſione; Nec hoc ſymptoma legitur in caſibus recenſitis. *Hipp.* tamen epid. L. 6. ſ. 8. §. 49. Epilepſiæ meminit cum melancholia alternantis: „ Melancholici plerumque conſueverunt fieri epileptici & epileptici melancholici. Horum autem quidvis præcipue fit, in alterutrum infirmitas inclinaverit, ſi quidem in corpus epileptici, ſi autem in mentem, melancholici. „ Brevis ad hunc locum eſt commentator *Vallesius*, qui poſtquam *Galeni* adduxiſſet interpretationem; Epilepſiam fieri ab humore obſtruente, melancholiam vero ab intemperante, atque mentis ſedem obtenebrante, paucis modo ſubjungit: Itaque fiunt ab eodem humore eandem partem, ſed non eodem modo afficiente. Non ſine cautela tamen: non æque omnem epilepſiam paratam eſſe in melancholiam, nec melancholiam in epilepſiam.

Cujus vero præciſe partis, cerebri an meningis, læſio ad producendos ſpaſmos ſit potentior ac certior, inter ſe non conveniunt autores. Pro cerebro ſtat *Ridley*, cujus prolixum in cane inſtitutum experimentum legitur in *miſc. nat. cur.* Dec. 3. A. 9. & 10. app. ubi duræ meningis perforationem non ſine ſenſu quidem, abſque tamen omni convulſione factam ſcribit, mucrone cultri in cerebrum adacto horribiles jactationes atque convulſiones producente. *Baglivus* contra pro meningibus ad propriam quoque experientiam ſubinde provocans, tandem quaſi concludit: „ Diximus jam ſupra, medullares cerebri fibras obtuſo eſſe ſenſu præditas, & e contrario fibras meningum acutiſſimo. Quapropter in capitis vulneribus animadvertere eſt, cum cerebri pars medullaris pungitur, ægrotum non exhorreſcere, non excitari, non concuti, immotis quidem totius corporis partibus; Sed ſi pungatur vel dura, vel pia mater, illico totum corpus repentino gravique horrore concutitur, ſuccedentibus ſubinde motibus involuntariis & convulſivis. „ Utrique ſeſe oppoſuit, & adverſus tam cerebri meditullium, quam meninges ipſum inveſtientes, rationes & obſervationes ſuas propoſuit olim *Willisius*, ut ſuam modo ſpirituum exploſionem pro epilepſiæ cauſa ſtabiliret. Verum, quanquam illa ipſius argumenta omnino mereantur conſiderationem, vix tamen aſſeclas habuit, ſed cum ſua exploſione fere exploſus fuit, niſi quod *Leibnizius* corpus animale machinam dixerit hydraulico pnevmatico pyriam, in eo impetus oriri prætendens ab exploſionibus, quæ ſint pyriis ſimiles, uti videre eſt in negot. otios. *Stahlii.* Poſſet tamen occaſione Willisianorum benigna interpretatio ſic proponi: primum & ultimum illud cerebri, quod irritari ſolet, quod moveri, tanquam terminus ad quem in ſenſu, a quo in motu omnia, reſpectum tamen non habere niſi inſtrumentalem, ad illam, quæcunque ſit, cauſam principalem, actum corporis organici.

Digitized by Google

Proxima his eſt quæſtio proprie medica: *Utrum*, ille ſtatus & receſſus piæ ſit adhuc *curabilis? Præſervatio*, ne fiat, reſpiciet omnia illa, tam appulſum largiorem & fortiorem, quam reditum ſanguinis difficiliorem præcavere valent. Congeſtio enim & detentio circulabundi ſanguinis ſanguinis tam infarctui rubro, quam ſeceſſui aqueo dant occaſionem. Ubi diverſionis per revulſionem & derivationem atque evacuationis doctrina præcedet alteram, ſive temperationis ſive concitationis & reſolutionis intentionem. Nec *curationis* alia concipitur ratio quicquid ſit de deductione in actum, aut obtentione finis. Difficultas judicandi de his occultis naſcitur & augetur vel inde, quod de apoſpaſmate tali non conſtitiſſet, niſi oblatum fuiſſet in ſectionibus cadaverum: ſigna autem in ægro, vivo tamen adhuc, cerebro illud demonſtrantia vix ſuppetant, niſi quod præſumatur aut metuatur in caſu ſimili, qualem in illis obſervaſſe meminimus.

Ulterius, cum ſint exempla tam acuta paucorum dierum, unius & alterius ſeptimanæ, intra quod breve temporis ſpatium obierint, quorum pia ſic receſſit; quam chronica, e. g. maniaci illius triginta annorum; nec hæc evitari aut declinari poterit quæſtio: utrum *diu* conſiſtere cum illo receſſu poſſit vita? an vero ſub *extremum vitæ* demum credatur fieri? Tardiores quidem ſunt omnes progreſſus ſeri & lentoris pituitoſi, mucoſi, quod ad probandam quoque apoplexiam ſeroſam allegavit *Brunnerus* loc. cit. Non æque moras tales fert ſanguis inflammans, qui niſi cito reſolvatur, vel in pus convertitur, vel corruptionem ſubit adhuc graviorem. In noſtro tamen caſu nondum ad necroſin proceſſerat inflammatio.

Quandoquidem vero nec omnes cum febre furioſe delirantes phrenetici, nec abſque febre melancholico-maniaci, occumbunt, ſed & eorum quidam evadunt, ſi non omnes, aliqui tamen, ad mentem conſtanter ſanam redeunt, non poteſt non ſuboriri etiam hæc quæſtio: *Utrum* in his *non factum* fuerit illud *apoſpaſma*? vel num *connecti denuo* membrana ſuo cerebro & colligare gyros poſſit concipi? Imo quæ in cadavere concipi *ſigna* debeant fuiſſe olim piam craſſiorem, ſeparatam, ſed poſtea tenuatam iterum cerebroque conjunctam ſuo? Si quando piam duræ cohærentem conſpicimus, inflammationem aut excoriationem, exulcerationem quendam præcaſſiſſe conjicimus. In diſp. *B. Parentis* de *vom. cer.* ipſe locus connexionis talis fuit operculum vomicæ; non erat tamen ille caſus de præterito, verum de præſenti. In exemplis allegatis piæ ſic abſtractæ cum dura coalitum non invenimus, niſi in maniaco *Anhorni*, ſed ibi, uti in cæteris etiam, ſeri quam ſanguinis imbibiti potior fuit ratio.

Cæterum ultro fatebor, reſpectu mei quidem eſſe adhuc in deſideratis: quibus in cerebri læſis diſpoſitionibus & actionibus obſervetur receſſus talis? Ex adverſo: quibus tenſior, ſiccior, arctius cerebro ſuo adhæreſcat membrana? Adeo plures hæc requirunt obſervationes, majore ac vulgo fieri ſolet commoditate & ſolicitudine capiendas. Interim tentaſſe aliquid licuerit!

T A N T U M.

XIV.

JO. VALENTINI SCHEID

ET

MARCI MAPPI,

DISPUTATIO

DE

DUOBUS OSSICULIS

IN CEREBRO HUMANO MULIERIS

APOPLEXIA EXTINCTÆ REPERTIS

Argentor. 12 Jun. 1687.

HISTORIA.

CUm ſuperiore anno, ineunte vere, cura medica Noſocomii majoris Profeſſori Anatomico demandaretur, nihil poſt ipſam ægrotantium curam magis commendatum nobis duximus, quam, ut exercitia Anatomica ob copiam cadaverum, quam nobis Noſocomium ſubminiſtraturum foret, redderentur quam frequentiſſima, tum, ut in morbis cauſæ, locique affecti diligentior fieret inquiſitio, tum, ut ſtudio Anatomico in Facultate noſtra medica majus accederet incrementum. Unde, cum inter plura alia, præterito anno diſſecta, corpora humana, diverſis morbis extincta, mulieris etiam, apoplexia demortuæ, cadaver ſeſe obtulerit, illud pro inquirenda ſede affectus cultro noſtro in Theatro Anatomico fuit ſubjectum. Ejus, prout in actis ejuſdem Theatri habetur, quantum ad hoc exercitium pertinet, hæc eſt hiſtoria: A. C. 1686. menſ. Jun. die 15.

Vidua quædam ætate ultra quinquaginta annos provecta, poſtquam per totam, quantum ipſa narravit, fere vitam diuturna Cephalæa, quam Clavum appellant, circa ſuturæ coronalis cum ſagittali coitum laboravit, neque omnino præſentis animi ſemper fuit, demum apoplexia tacta, intra tertium diem expiravit. Caput apertum oſtendit vaſa meninges perreptantia, ſanguine admodum turgida: cerebrum flaccidum, cujus quæ duplicata membrana medium diſtinguit, falx appellata, haud procul ab oſſe cribriformi, cui adnata eſſe ſolet, oſſiculum intra duplicaturam continere obſervata fuit; ſed & aliud, longe tamen minus mole, quæ inſtar cruris ei jungitur, membrana cerebrum à cerebello dividens in latere dextro annexum habebat. Ambo iſta oſſicula, quæ adhuc una cum membranis, quibus adhærent, ſervamus, duritiem fere lapidis obtinent, unde pro calculis in cerebro enatis, quorum hiſtoriæ quandoque meminerunt, venditare potuiſſemus, niſi accuratum deinceps examen oſſa iſta demonſtraſſet. Præterea ventriculi cerebri omnes grumis ſanguinis concreti repleti erant; imo & grumus ſanguinis inter meninges mediocris pollicis magnitudine, ſpinalis medullæ principio incubuiſſe, repertus eſt.

QUÆSTIO I.

Qua ratione corpus ejuſmodi ſolidum in cerebro generari potuerit.

CUm firmum liquido, ac durum molli adeo contraria exiſtant, merito quis miretur, qua ratione corpus ejuſmodi ſolidum atque durum in corporis humani parte, ſi non omnino fluida, molliſſima tamen generari potuerit. Sive enim Peripateticæ Philoſophiæ qualitates primas, elementares vulgo dictas, in ſcenam producamus, ſive Chymicorum ſalem fun-

ditatis omnis cauſam allegemus, ſive antiquiorum atomos, recentiorum corpuſcula cauſemur, ubique ſupererit, de quo amplius quæratur. Equidem quod illud attinet, ſolidum in liquido generari, aut durum in molli, non adeo naturæ inconſuetum eſt, quin potius fere ſolenne, quando lapidum etiam in macrocoſmo plurimorum generatio illud abunde demonſtrat. Siquidem ſolidum naturaliter intra ſolidum non continetur, quam quod prius liquidum fuerit; atque e fluido productum, uti Stenonis *diſſert. prodrom. de ſolido intra ſolidum contento prop.* 1. & 3. declarat. Gemmas certe, corporum naturalium ſolidiſſima, in materia liquida & ex materia prius liquida generari, veroſimile eſt. Et quid de aquis, ut ita loquamur, petrificantibus ſentiendum, quæ non obſtante liquida ſui ſubſtantia, obvia quævis injecta, uti graves & fide digni auctores teſtantur, in lapideam, adeoque ſolidam ſubſtantian convertunt. Ita nec mollis, atque ex parte liquida fructuum arboreorum ſubſtantia obeſt, quo minus durum ſatis ac ſolidum oſſiculum intus generetur: imò in ipſis arborum fructibus, antequam matureſcant, duri iſtius interni nuclei corticis rudimentum, velut gluten quoddam liqueſceus, obſervatur. Eadem fere ratione probabile quoque redditur, oſſa, corporis animalis partes ſolidiſſimas, medulla, ſubſtantia quoad qualitates iſtas elementares, tum primas, tum ſecundas, adeo diverſa nutriri. Quæ cum ita ſint, non tam de loco generationis, quam de modo, cauſiſque, tum efficiente, tum materiali, ut loqui ſolent, ſollicitis eſſe convenit, præſertim, cum de loco generationis inferius dicendi ſuperſit occaſio. Quod ergo cauſam effectricem attinet, illa certe nec in frigore, nec in calore videtur quærenda eſſe, cum ſint corpora naturalia, & quidem in ſpecie lapides, ubi neque calor, neque frigus ſoliditatis cauſæ allegari queunt. Oſſa ſane in corpore animalis ſoliditatem illam, qua ſatis nota ſunt, nec calori debent, nec frigori; alias homini primis pueritiæ annis, in quibus calor abundat, non adeo ductilia eſſent, neque ſenibus adeo ſolida, in quibus tamen ejuſmodi frigus, quali opus foret, loquuntur, actuale non eſt. Verum dicet quiſpiam, jungendas eſſe qualitatibus iſtis, ut vocant, primis activis etiam, paſſivas dictas, humiditatem atque ſiccitatem. Hic vero, ut controverſiam, an mere, an potius, quam calor & frigus paſſivæ ſint, prætermittamus, dubium ſeſe ſiſtet humidum, an non magis pro materia, quam pro effectrice cauſa venditari debeat. Siccitas autem non tam ſolidi videbitur cauſa, niſi, ut loquuntur, per accidens, quam ejuſdem veluti inſeparabilis qualitas, quando quidem, præterquam atomi Epicureæ, quo ſolidius corpus naturale eſt, eo quoque ſiccius eſſe ſolet. Unde & Ariſtoteles *l.* 2. *de gen. cap.* 2. dum ξηρὸν εὐόριστον μὲν οἰκείῳ ὅρῳ, δυσόριστον δὲ dixit, magis firmum ac ſolidum, quam ſiccum definivit, uti recte notat Gaſſendus *Phyſ. ſ.* 1. *l.* 6. *c.* 7. Humidum tamen, ſed certa ratione ſeſe habens, inter effectrices cauſas locum mereri poteſt, nempe, ſi viſcidos non ſolum liquores inſtar glutinis particulas connectentes in memoriam nobiſmet revocamus, ſed &, corpo-

corpora alia ſolida humido liquidiſſimo jungi, obſervamus. Hippocrates certe *l.* 4. *d. morb. ſ.* 28. *t.* 20. calculi generationem non aliter fieri putavit, quam, quod ſedimento miſta pituita velut gluten ſeſe habeat. Unde ea ratione humidum, & cauſæ efficientis munere fungi poſſet, & materiam una ſuppeditare, licet alia ratione, quam, qua ſemini genitali Galenici utrumque tribuunt. Cum enim ſolidi ratio in eo potiſſimum conſiſtat, ut partes partibus quam maxime cohæreant, conſequitur, ut ejus conformationis particulæ eſſe debeant, ut facieculis illis ſuis exacte ſibi invicem reſpondeant, ſive nunc cubicæ illæ ipſæ particulæ, ut in ſale ſupponantur, atque obſerventur, ſive alterius cujuſcunque figuræ, qua mediante particulæ ſeſe invicem velut amplecti queant, ſtatuantur, uti oſſium in ramenta diſciſſio probare videtur. Profecto lapides factitii, cæmentum, ac vitrum illam ſuam ſoliditatem non tam glutini cuidam, quo jungantur particulæ, quam exactiſſimæ earundem connexioni, quæ liquatione humidi conſtat, debere videntur. Unde ſicuti ſuccus quidam, aut ſpiritus petrificans in generatione lapidum, aut induratione rerum petrefactarum primas tenet in illa corporibus iſtis concilianda ſoliditate, ratione ſi non omnino pari, ſaltem non multum abſimili ſuccum quoque ejuſmodi cauſari poſſumus, qui in animalium corporibus ſoliditatis, tum naturalis partium nonnullarum, tum corporum, præter naturæ conſuetum morem in corpore, inprimis humano, genitorum ſit auctor. Nam, ut nunc de lapidibus in animalibus procreatis, aut in variis humani corporis partibus repertis taceamus, quæ naturæ lege partes corporis noſtri ſunt ſolidiſſimæ, oſſa ab ejuſmodi ſucco, veluti glutine conſolidari, videntur, nempe, quo & per acceſſionem continuam, continuatumque appulſum ramenta velut extendantur, ſibique invicem jungantur: Unde tam diu, quam iſte, ut ita loquamur, ſuccus oſſificus in oſſa diſtribuitur, oſſa majorem ſui acquirunt molem, imo adnatæ epiphyſes, cum ſuccus ille in oſſium ſubſtantiam amplius penetrare nequit, vel quod nimis ſolida jam ſint, vel ſucco iſto ſaturata, oſſeam forſitan duritiem acquirunt: quod calli, ſubſtantia ipſo oſſe ſolidioris, generatio indigitare poteſt. Cartilagines alias bene multæ in corpore noſtro in oſſa degenerant, inprimis in capite, uti hoc os occipitis & maxillæ inferioris abunde declarat; imo membranæ in oſſa tranſeunt, uti iſtud os frontis ac pectoris demonſtrat. Quod ſane neque calori, neque frigori tribui poteſt, neque partium reſiccationi tantum, ſed ſucco cuidam paullatin ſeſe, ut ita dicam, inſinuanti, & quoſvis iſtarum partium meatus ſubeunti, particulaſque diſponenti, ipſaſque in ſolidam, quæ oſſibus ſolennis eſt, ſubſtantiam converſas agglutinanti. Quæ cum ita ſe habeant, in noſtro hoc caſu forſitan ejuſmodi ſucci, ut ita appellitemus, oſſifici eo, ubi ambo iſta oſſicula reperta fuerunt, portio quædam devenit, quæ deinceps, ſubinde nova accedente, atque appellente, aucta oſſicula iſta, inprimis majus, in eam, qua adhuc conſpicitur, molem extendit. Neceſſum tamen eſt omnino, quandam à primordiis nativitatis ad-

fuiſſe

fuiſſe diſpoſitionem. Nam, uti in renibus, quibus tamen adeo familiares calculi ſunt, non ſemper calculi generantur, etiam iis hominibus, qui nephriticis minus conveniente diæta λιθίασιν ſibi conciliaturi videri poſſent, niſi adſit illa, ſtatuente Fernelio *l. 6. Pathol. c.* 12. inſita renum arenoſa calculoſaque conſtitutio, pari modo, vix videtur, alibi in corpore calculum, aut etiam os præter naturam generari poſſe, niſi quoddam ab ipſis incunabulis ſuperſit rudimentum. Quanquam enim, uti jam dictum, membranæ ſunt, quæ in oſſa tranſeunt, tamen vix citra aliquod oſſis rudimentum idem contingit; quandoquidem, quod oſſa cranii attinet, fibrillæ iſtæ, oſſa illa primum conſtituentes, quibus in embryonibus intertexta apparent, & quæ velut glutine intermedio accedente coaleſcere videntur, per membranas uſque radiis illis velut ſuis, ex centro ad circumferentiam tendentibus, pergunt, ſeſeque circa locum, in adultis ſuturis deſtinatum, mutuo contingunt; unde quoque, prout hic, vel alibi magis, aut minus ex hoc, vel illo latere excurrunt, proceſſuum iſtorum, ſuturas conſtituentium, & mutuo ſeſe excipientium eſt varietas, quando quoad ordines iſtarum, pectinatim calvam in ſex aut ſeptem oſſa dirimentium crenatum inter, neſcio, quot crania vix unum alteri reſpondet, cum & os frontis, quod in pleriſque unicum eſt, haud raro in duo, ſutura, ut vocant, ſagittali ad oſſa narium uſque penetrante, diſtinctum obſervatur. Proinde, ut ad id, unde digreſſi ſumus, redeamus, videtur, jam inde à primordiis nativitatis eo loci in membrana falciformi oſſis aliquod rudimentum, uti ſunt fibrillæ iſtæ modo memoratæ, ex materiæ ſeminalis portione, oſſibus generandis deſtinata, conſediſſe, quod deinceps ſuccum iſtum oſſium nutritium appellentem ſubinde admiſit, donec ambo oſſicula ad eam, qua nunc cernuntur, magnitudinem atque ſoliditatem excreverunt. Excipiendo autem ejuſmodi oſſis rudimento membrana iſta idonea videtur, quando non tantum iſtis membranis fœtu & partu, recens edito, oſſa cranii jungentibus, quæ deinceps, uti jam dictum, in oſſa tranſeunt, ſimilitudine ſubſtantiæ reſpondet, & confinio jungitur; ſed &, quod perinde, ut iſtæ ordinaria naturæ lege, ita hæc præter naturam etiam in os degenerare poteſt, ſicuti tota oſſea aliquando in Theatro Anatomico Patavino, teſte Offredo *in Ephem. Acad. Nat. Curioſ. dec.* 2. *ann* 1. *obſ.* 127. fuit deprehenſa: ut nihil nunc de membrana, cerebrum à cerebello dividente, in qua alterum oſſiculum, minus ſcilicet, in caſu hoc noſtro repertum fuit, dicatur, quæ in nonnullis animalibus, ut canibus, vulpibus, conſueto naturæ more oſſeſcit. Sine portiones cranii abſcedentes, ſeſeque immergentes, oſſiculis iſtis ortum dediſſe, dubium reddit, quod citra meningum, inprimis duræ, læſionem atque exinde ſecuturam inflammationem, &, quod maximum rei eſt, inſignem dolorem illud idem contingere non potuerit. Sicut & cranium quoad internam ſui concamerationem atque fundum undique lævigatum, nullius ejuſmodi portionis, quæ pridem abſceſſerit, oſtendit veſtigium. Quod ſi vero quærat quiſpiam, quodnam primum

mum movens ſit, quod ejuſmodi oſſis rudimentum eo loci adegerit, ille rogatus eſto, tantum prius declaret, quæ variantium in craniis humanis futurarum ſit ratio, ne illuſtriore naturæ ludentis in aliis humani corporis, inprimis faciei, partibus varietate indaganda explicandaque gravetur.

QUÆSTIO II.

Utrum oſſa potius iſta duo corpora ſint, aut ad calculorum genera reduci queant?

CUm plures auctores, inprimis Kentmannus, Hildanus, Cattierus, aliique, uti Academici Curioſi lapidum, in capite humano genitorum, meminerint, imo iidem Academici *Eph. ann.* 1. *obſ.* 26. & 130. & Bartholinus *hiſtor.* 9. *cent.* 6. cerebri bovini lapideſcentis hiſtorias recenſeant, dubii primo aſpectu in noſtro hoc caſu hæſimus, utrum iſta nobis reperta corpora oſſa ſint, an pro calculis venditari debeant. Unde nihil tutius indagandæ veritati duximus, quam exactum diſcriminis, quod os, lapidemque intercedit, examen. Quod licet difficile videri poſſet; quando, quod ſolidam ſubſtantiam attinet, oſſi cum calculo quadantenus convenit; quando & quoad materiam, terram nimirum juxta veterum placita, non adeo os ac lapis differunt; attamen, vel hæc ipſa, accuratius tum ſenſibus examinata, tum ratiocinio perquiſita, oſſa illa duo corpora demonſtrarunt. Quando quidem, cum calculi, juxta quod ſolidam obtinent ſubſtantiam, friabiles eſſe ſoleant, oſſa vero ductilia quadantenus ſint, nempe quæ non ita, ut lapides in fruſta, externa vi percuſſa diſſiliant, licet in ſchidia quandoque rumpantur, experimento facto, cultelli acie, ramentorum portiunculas, quam fieri potuit, ne figura læderetur, minutiſſimas abſcidimus, ubi interna facies ordinem velut fibrillarum, uti in oſſibus obſervamus, recta excurrentium, & coagmentatarum ſeriem oſtendens, oculis noſtris oſſeæ quoque ſubſtantiæ fidem fecit. Verum, cum notante inter cæteros Carteſio *princ. phil. p.* 1. §. 70. & *ſeqq.* ſenſuum judicium non ſemper tutum ſit, quando & ipſa quoque, quæ rerum magiſtra audit, experientia magno noſtro Hippocrati *aph.* 1. *ſ.* 1. dicatur σφαλερὴ fallax, non contenti illo viſus dictamine, aliud, quod & olfactus ſimul probaret, inquiſivimus, dum abraſa illa ſchidia prunis ardentibus injecimus, ubi non tantum fumo, licet exiguo ob minutiſſimam molem, emiſſo oculi certiores redditi ſunt, ſed & fœtore, qui crematis oſſibus familiaris eſſe ſolet, naribus perſuaſum fuit, oſſa iſta duo nobis reperta corpora eſſe. Nempe ita juxta illud Lucretianum *l.* 2. *d. rer. nat. verſ.* 479. invenimus,

—— primis à ſenſibus eſſe creatam
notitiam veri. —— ——

Quæ cum ita ſint, certiores quoque nos de materia, & modo generationis, ſuperiori quæſtione propoſitis, relinquunt. Siquidem, quod experimentum modo narratum attinet, licet juxta Peripateticæ Philoſophiæ placita terra, tum oſſi, tum lapidi aſſignetur materia, unde & è ſeminis craſſamento magis terreſtri oſſa in corpore animali gigni, Galenici aſſeverant, tamen diverſa omnino calculi, imo etiam in corpore, ſive hominis, ſive alterius cujuſcunque animalis geniti, atque oſſis, ut ſubſtantia, ita materia eſt. Oſſa enim, licet non omnia pari copia, abundant oleaginoſis partibus, etiam reſiccata, unde crematis fumus & fœtor eſt; calculis ſi quid ineſt olei, valde exiguum eſt. Quamvis enim lapidibus, inprimis nonnullis, ſuum ſit ſulphur, unde Chymicis laboribus oleum elicitur, tamen illud ab eo, quo oſſa abundant, multis modis differt, etiam in calculis, in animalibus genitis. Etenim, quemadmodum ſulphur & bitumen iter ſuccos, quos concretos pingues appellant, & pinguedo animalium diverſæ ſunt ſubſtantiæ, pari quoque ratione, ab oſſis oleaginoſis partibus differt, ſi quid pingue admiſtum lapis obtinet. Certe qui lapis Gagates audit, & qui vulgo carbo Petræ, ſeu foſſilis dicitur, licet an proprie lapidum familiæ annumerandi ſint, dubitari queat, cum pingui ſucco terræ admiſto quam maxime abundant, imò fere nihil aliud ſunt, quam terra, bitumine a natura velut ſubacta, longe alium fumum atque odorem ſpirant, ac vel lapides, vel oſſa; imò flammam concipiunt, quod neque lapidibus contingit, neque oſſibus, diſpari licet ratione. Quandoquidem ne ipſe quidem pyrites, aut ſilex inflammabilis eſt, qui tamen percuſſus ſcintillis emicantibus ſulphur ſuum prodit, licet nullum, aut vix obſervabilem fumum, & odorem non adeo tetrum emittat, etiam igni commiſſus. Oſſa vero in animalibus, etiam quæ pinguedine magis referta eſſe videntur, uti ſunt femoris, ac tibiæ, aliaque, ob copioſam, quam continent, medullam, in ignem conjecta, non quidem flammam emittere ſolent, ſed fumum ſatis ſpiſſum, & fœtorem inſignem ſpirant. Unde apparet, cum oſſa & calculi adeo diverſam obtineant & ſubſtantiam, & materiam, viſum atque olfactum a nobis recte, ceu judices, ac certiſſimos exploratores, oſſa ne, an calculi iſta duo corpora ſint, in ſupra memorato experimento fuiſſe adhibitos.

QUÆSTIO III.

An æque facilis calculi, ut in alia corporis parte, ita in cerebro ſit generatio.

QUamvis ſuperiore quæſtione demonſtraverimus, oſſa, non calculos, iſta duo nobis in cerebro præter naturam corpora reperta eſſe; tamen, quia plures de lapidibus in capite inventis hiſtoriæ circumferuntur, exer-

exercitii gratia & hanc quæſtionem lubet excutere. Equidem ſi dicendum quod res eſt, de nonnullis, quæ extant, ſi non de omnibus hiſtoriis lapidum in capite, aut ſpeciatim in cerebro genitorum, dubitari poteſt; quando non tantum, ut fieri ſolet inter auctores, alter ex altero unam vel alteram obſervationem æque perfunctorie, imo interdum falſo, tranſcribit, ſed & accuratum examen plerique omiſiſſe videntur. Kentmanni certe, ab ejus præceptore Florentiis obſervatum, & ex ejuſdem narratione primum inter calculos in corpore humano innatos deſcriptum, lapidem omnes fere ex æquo repetunt, uti inter alios Gemma *Coſmocrit. l. 1. c. 6.* qui tamen & apud ſuos in cerebro inventum lapidem, Kentmanni calculo non abſimilem teſtatur, quem etiam haud ſecus, ac ille, non tam rudi minerva depingit, quam obiter deſcribit. Imo duo iſti Schenkii, alter obſervationum, alter lithogeneſias auctor, ipſius Kentmanni verbis uterque caſum repetunt, adjectis licet aliis nonnullis, haud diligentius recenſitis, hiſtoriis, præter unicam, quam *lib. 1. obſ. med. de dol. cap.* refert obſervationum collector, noſtræ, ut videtur, perſimilem, Botalli obſervationem; nempe, qua quatuor oſſicula, inter utramque cerebri partem, dextram videlicet & ſiniſtram, recta ſub ſagittali commiſſura poſita, & ſub torculari ſepto ipſi affixa adnataque, inventa à ſemet auctor ille teſtatur. Quod enim præcedentes Botalli obſervationes, a Schenkio *l. c.* recitatas attinet, quarum altera repertum intra cerebrum calculum nude memorare dicitur; altera quatuor lapides in cerebro inventos narrare annotatur, ambæ non ſufficienti partium, ut loqui ſolent, enumeratione omnino laborant. Si non hæc de quatuor lapidibus, cum illa priori de quatuor oſſiculis, una eſt & eadem obſervatio. Quod alteram concernit, ex Culmanni cujuſdam obſervatione communicatam, de lapide ejus duritiei, qua cultelli cujuſvis acutiſſimi aciem elideret, validiori nares emungenti niſu ex iiſdem extracto, non liquet, ex iſto hemicranico dolore gravativo, partem anteriorem capitis circa frontem occupante, ipſum lapidem intra cranium fuiſſe generatum, conſideranti tranſitum ejus per os cribriforme impoſſibilem. Alterius lapidis, paulo quidem accuratius, locum & figuram *l. c. de narib.* deſcribit, qui prope baſin cerebri compreſſus, taleri nummi inſtar, ſed non omnino rotundus, cinericei coloris, os cuneiforme (forte cribriforme) & olfactus meatus plane impediens, à Garnero quodam Venetiis fuit obſervatus: ipſius tamen conſiſtentiæ, qua lapidem eſſe conſtiterit, mentionem non facit. Unzero *l. 1. de nephrit. c. 5.* poſtquam ipſe inſigni paroramate calculum iſtum Kentmanni, in civis Lipſienſis cerebro repertum eſſe, falſo tranſcribit, ſatis eſt, tantum allegaſſe Braſavolum, Hollerium, & Thomam à Veiga, negligentiores ſane, uti apparet, nec ſufficientes rei teſtes. Braſavolus enim *comm. in Hippocr. aph. 79. ſ. 4.* lapides in omni fere corporis parte ortum habere, etiam in capite, tantum nude aſſerit; & Thom. Roder. à Veiga *comm. in l. 1. G. loc. affect. c. 5. ad verb. in colo.* ſolummodo à quibuſdam Anatomicis intra calvarian conſpectos lapides, citra, quod ipſe viderit,

 rit,

rit, narrat. Hollerius *ſchol. in l. 1 d. morb. int. c.* 48. obſervatos quidem à ſemetipſo concretos in capite lapides teſtatur, ſed figuræ, aut magitudinis, aut coloris, aut ſubſtantiæ aut loci cerebri vel capitis, in quo reperti ſint, ne verbulo quidem meminit, nimirum perinde ac cæteri; cum tamen omnium momentorum, inprimis autem loci cerebri, in quo latuerint præciſe iſti lapides, uti & connexi ne cum aliis partibus, an ſoluti fuerint, exactam debuiſſent facere mentionem. Proinde omnino eſt, ut Hildanus *cent.* 5. *obſ.* 1. dicat, tum Kentmanni, tum Holleri hiſtorias non immerito in dubium vocari poſſe. Imo ſi veritatis amore loqui fas eſt, non tantum de hiſce modo memoratorum Auctorum, ſed & de reliquis hiſtoriis, uti jam ſupra diximus, dubitari poteſt. Ut enim de Kentmanni hiſtoria, quæ prout manca, tamen abſolutior aliis eſt, primum dicamus, multa ſunt, quæ eam dubiam reddunt & incertam; ſaltem an calculus fuerit. Nam nec loci cerebri, ubi latuerit, nec ſubſtantiæ, nec aliorum momentorum, niſi ſolius magnitudinis, figuræ, atque coloris, fit mentio. Hæc vero lapidem non probant, quod magnitudine atque figura fructui mori reſponderit, ſicut nec color iſte pullus aut cinereus, quo præditus fertur, lapidem demonſtrat. Potius hæc ipſa declarant, tantum obiter fuiſſe ſpectatum. Accedit, ut, quod adeo miram hiſtoriam reddit, ipſius quoque fidem faciat dubiam; nempe ex eſu mori contractus capitis dolor, ejuſque deinceps poſt mortem inventa cauſa, mori ſpeciem referens lapis. Quis enim hic cauſarum nexus eſt? ſi, uti omnino videtur opus eſſe, cauſæ phyſicæ advocandæ ſunt. Nunquid phantaſiæ iſtud tribuemus? nimirum, quando adeo heterogenea atque heteroclita, ut ita loquamur, quandoque à prægnantibus, vi imaginationis, embryonibus imprimis, in memoriam nobis revocamus. Profecto ejuſmodi phantaſiæ effectus, quantum quidem conſtat, hactenus obſervatus non fuit, & fortaſſe nunquam continget, licet imaginationi illa ſua, non ſatis in morbis, vel procreandis, vel curandis admiranda, vis minime denegetur. Putarem potius, ut fides hiſtoriæ ad minimum ſalvetur, cum ille putatitius lapis os non fuiſſe videatur, quod figura & color negant, fuiſſe eum ejuſmodi fere corpus, ſtrumæ inſtar, ſcirrhoſum, quale Platerus *l.* 1. *obſerv. in ment. conſtern. & vis læſ.* calculum appellare non audens, bis obſervavit ac deſcripſit, quod deinceps ſucceſſu temporis reſiccatum ulteriorem duritiem, ſicut in ſtrumis ſæpius fieri ſolet, adeptum fuit, ut pro calculo venditari potuerit; imprimis, ubi accurato examini, ut probabile eſt, minime fuit ſubjectum. Idem forſitan judicium, de illis quoque, quos ſupra Gemmam atque Garnerum obſervaſſe recitavimus, calculis ferre licebit. De quatuor illis, qui a Schenkio annotantur in cerebro repertis a Botallo lapidibus, jam ſupra dubitavimus, utrum non ſint, quæ ſatis accurate *obſ. anatom.* 2. deſcribit idem auctor oſſicula. Sicut etiam omnino eſt, ut dubitemus de altero illo ejuſdem auctoris a Schenkio notato calculo, quando nimirum in illo a Schenkio allegato Botalli tractatu de Catarrho nihil, vel de hoc

unice

unico calculo, vel de illis quatuor lapidibus occurrit. Sed, &, qui accuratius ab Hildano *l. c.* depingitur, atque *cent.* 1. *obſ.* 11. deſcribitur, lapis in cerebro repertus ſcrupulum movet, utrum lapis fuerit, quando, qui ipſius generationi anſam præbuiſſe videtur, caſus, occipitii nimirum ad gradus ſcalæ alliſio, potius portiunculæ cuidam oſſis, quæ vehementi iſto ictu abſceſſerit, ſeſeque intra meninges ad eam, quam notat auctor, cerebri partem immerſit, locum dare potuit, quam novæ alieni corporis generationi. Quamvis enim ex gypſea materia concretum deſcribat, perinde ac prope cor in eodem cadavere calculos invenerat, tamen, cum, quantum ex narratione colligere licet, interiora non adeo diligenter examinavit, non omnino liquet, lapidem fuiſſe, quando & os abſcedens, ſucceſſu temporis cariem adſciſcens, fere inſtar calculi, aut gypſeæ ejuſmodi ſubſtantiæ, inprimis circa externum ambitum friabile reddi poteſt. Ita nec Cattieri, quæ adeo eleganter materiam iſtam, uti putatur, lapideam, craſſæ meningi adnatam, depingit obſervatio *obſerv. Medicinal. XV. Petri Borell obſervat. annex.* omnino illam ipſam materiam lapideam revera eſſe demonſtrat. Vix enim obſervatores aliud quam viſus, judicium adhibuerunt. Certe, quod reperta fuerit illa materia inſtar rupis cujuſdam inæqualis, & aſpera, aculeis multis, & velut cati unguibus, conchyliis, variiſque figuris diſtincta & variegata, non obeſt, quo minus oſſea eſſe potuerit. Inæquale namque & hoc noſtrum majus oſſiculum eſt, & ex parte aſperum, & cuſpide acutum: nimirum quando ejuſmodi corpori, ut ita loquamur, fortuito nulla certa eſt figura. Accedit, quod & in iſta Cattieri hiſtoria, materia illa craſſæ meningi firmiter, ut in noſtro caſu, adhæreſcens, & venulæ, quæ inter ejus inæqualitates ferebantur, ipſamque rigabant, magis perſuadeant, oſſeam iſtam potius, quam lapideam fuiſſe. Pari ratione, qui a Schelhamero *in Ephem. Acad. Cur. dec.* 2. *ann.* 1. *obſ.* 131. deſcribitur calculus cerebri, ad falcis dextram partem ſitus, parvus quidem mole, piſum non æquans, ſed ſilicem duritie & candore æmulans, depreſſior, ubi adhærebat, rotundior verſus cerebrum, non propterea ex albo oſſium plane ſeſe eximit, ſiquidem hæc ipſa fere oſſiculo noſtro minori tribui poſſunt; ſicut & quod calculus iſte in depreſſiore latere duo ſigna punctula rubentia, habuiſſe dicitur, ac ſi venæ & arteriæ, cum nondum lapis eſſet, huc in nutritionem veſtigia referrent, magis pro oſſis requiſito militat, inprimis, quando & in noſtris hiſce oſſiculis, ejuſmodi puncta rubentia obſervare licet. Sic &, qui a Kerkringio *ſpicil. anat. obſ.* 35. deſcribitur & depingitur, calculus, in dextro cerebri fatui cujuſdam ventriculo colore albicans repertus, dubius reddi poteſt, an verus lapis fuerit, nempe, quando pondus granorum tredecim iſti moli, qua pictus adumbratur, non reſpondet, meritoque in obſervatore carpi poteſt, ob varium lapidum pondus, planum de calculi iſtius conſiſtentia ſilentium. Quod demum Borelli obſervationem *LXI. Cent. ſecundæ* attinet, de lapide, e vulnere cranii militis, ictu tormenti bellici læſi, exeunte, non eſt, ut quippiam dicatur,

 quando

quando ipſe eum externa vi per vulnus intruſum putat; illud potius dicendum nobis eſt, quod ipſe ſubjicit, nimirum, ſi in alia parte corporis contigiſſet, potuiſſet, omnibus inſciis, lapis carne obtegi; imo addamus nos, ſi intra calvariam, conſolidato vulnere, manſiſſet, quid non miraculi peperiſſet, quando poſt mortem, in diſſectione cadaveris repertus fuiſſet; tunc enim, ut pergit Borellus, omnes exiſtimaſſent, illum ibi genitum, & non ab extrinſeco veniſſe. Hæc certe omnia, ſi expenduntur, dubium ſatis reddunt problema, utrum unquam in cerebro calculus fuerit progenitus. Forſitan & hæc ipſa moverunt Offredum, ut quem duritie inſignem in Theatro Anatomico Patavino obſervavit, cujuſque deſcriptionem Academicis curioſis *dec.* 2. *ann.* 1. *obſ.* 127. communicavit, proceſſum cerebri falcatum non lapideum, ſed oſſeum venditarit. Sicut & ab iiſdem Academicis idem proceſſus, ſeu membrana falciformis ad dimidiam ſui longitudinem oſſea deprehenſa fuit. *ann.* 6. *obſ.* 71. Proinde non eſt, ut quis pro facilitate generationis calculi in cerebro, alibi in corpore tum hominis, tum aliorum animalium, lapides genitos objiciat, aut etiam alias res petrefactas opponat. Cerebrum ſane bovinum, utrumque in lapidem converſum, tum, quod à Bartholino *l. ſupra cit.* ex aliorum relatione, tum, quod pari teſtimonii genere, ab Academicis Curioſis *l. alleg.* deſcribitur, nihil, aut parum probat. Dubium etenim eſt, utrum accurato, inprimis in eo, quod à Bartholino deſcriptum eſt, examine exploratum fuerit, lapideam fuiſſe ſubſtantiam. Eadem, ſi conjecturæ dandus eſt locus, forſan facilitate oſſeam aſciſcere duritiem potuit, qua lapideam adeptam dicitur. Certe, cum oſſa bovis cerebrum complectentia, reſpectu ipſius cerebri contenti ſatis magna, atque inprimis circa radices cornuum, inter quæ fere maxima cerebri moles continetur, admodum poroſa ſint, quale prius iſtud lapideſcens cerebrum deſcribitur, dubitare ſaltem licebit, utrum non oſſa luxuriantia compreſſum, atque ex parte abſumptum, cerebrum in ſuam converterint ſubſtantiam. Quod idem etiam in altero illo ab Academicis Curioſis deſcripto, examen Celeberrimi Malpighii non obſcure arguere videtur, quod nimirum, non tota ſubſtantia cerebri petrefacta, ſed tantum exterior cortex, ſalva interiore medulla, inventus fuit, ſicuti iidem Academici *append. ad obſ.* 26. & 130. *ann.* 1. notant. Licet, quod maximum rei eſt, ratio, ex qua petrefactum & non oſſeum iſtum cerebri corticem fuiſſe conſtiterit, addatur, qua tamen opus eſſet, nulla. Verum eſto, cerebrum bovinum in lapidem obriguiſſe, tamen illud idem calculi in cerebro humano generationem non adeo facilem reddit. Nimirum, cum a calculis, qui homini v. g. in renibus, aut veſica, non adeo rari ſunt, non concludere poſſumus, etiam eoſdem aliis animalibus ab uno ad aliud genus, nedum ad hominem, in hoc quæſito inprimis, argumentum. Capris Perſicis atque Indis certæ ſpeciei, ubi certis paſcuis aluntur, frequens in ventriculo pretioſiſſimus lapis, Bezoar dictus, concreſcit: aliis etiam ejuſdem generis, aliud nutrimentum ob pretium funeſtum non eſt.

Nem-

Nempe, ne quidem in eodem genere ab uno ad aliud, uti loquuntur, individuum argumentari licet. Sed nec ſufficiunt, ut pro generatione calculi in cerebro ipſius etiam hominis aliæ partes, in quibus lapides reperti dicuntur, allegentur: v. g. lingua, pulmones, cor, ventriculus, inteſtina, hepar, folliculus felleus, lien, uterus. Nam ut controverſia, utrum omnes illæ de calculis, hinc inde in corpore humano inventis, obſervationes fidem hiſtoricam mereantur, prætermittatur, hoc argumentum non aliud eſt, quam ſi quis à crebriore calculi, in renibus ac veſica, tum urinaria, tum bilaria, generatione, ad crebram etiam calculi in ventriculo procreationem concludere velit, qui non tantum rariſſimus, ſed & omnino incertus eſt; cum tamen ratione materiæ, calculo generando ſuppeditandæ, plus commercii, ventriculum inter atque renes, quam quidem inter cerebrum, atque alias partes intercedere videtur. Proinde, licet non omnino calculum in cerebro generari poſſe, negemus, quando tophi ad articulos, partes nervoſas, ac propterea cum cerebro communione gaudentes, prognati, illius poſſibilem etiam in cerebro generationem perſuadere poſſunt, tamen, uti forſitan rariſſima, ita quoque difficillima, lapidis in cerebro eſt generatio. Non enim hic inter alia petrefacta, etiam teſtæ, atque oſſa, aliæque animalium partes allegatæ valent, uti eſt illud admirandum, quod Romæ in Villa Ludoviſia oſtenditur, petrefactum ſceleton humanum. Siquidem, quæ ita petrefacta hinc inde in Muſeis monſtrantur, vel ex aquis extracta fuerunt, vel ex terra eruta, ubi alia vis lapidifica, ut ita loquamur, acceſſit, quæ a corpore vivo exulat. Ne dicamus, multa narrari in lapides converſa, quorum fides ſuſpecta eſt; imo, a ſequioribus quandoque ea affirmari, aut falſo tranſcribi, de quibus primi auctores dubitarunt. Exempli loco eſſe poteſt, quæ a pluribus ex celebri antiquitatum Germanicarum indagatore, Aventino *annal. Bojor. l.* 7. exſcripta circumfertur, hiſtoria, qua ingenti terræ motu A. C. 1348. quinquaginta amplius homines, villicas mulgentes, cum vaccis diriguiſſe, & corpora a ſpiritu terreno in ſalarias ſtatuas redacta, apud Charinos, ex relatione Conradi de Meidenberg, ejus tempeſtatis Philoſophi & Mathematici, qui ea ſimulacra, una cum Cancellario Auſtriaco conſpixerit, laudatus modo hiſtoricus memorat. Hanc vero hiſtoriam, Unzerus *l. c.* 4. forſitan, ut ſuo ſalino ſpiritui patrocinium pro lapidum coagulo firmet, non tantum repetit, ſed & ab ipſo Aventino illa ſimulacra conſpecta aſſeverat, inſigni certe hiſtorici, qui tantam a veritatis ſtudio laudem meruit, injuria; nec magis, quam quo ſupra notatus fuit, excuſando paroramate, cum plus centum annis iſta fabula junior fuerit ipſe Aventinus. Et quod magis eſt, Unzerum erraſſe ſatis non fuit, quando eam æque, ut reliquas, uti videtur ex Unzero, licet eodem haud, ut deceret, allegato, repetit Schirlæus *diſſertat. de cauſ. probab. lap. exp.* 1. *hiſt.* 17. Imo, quod non ſatis mirari poſſumus, qui judicio Celeberrimi Redi *in exper nat.* ſemper veridicus eſt Illuſtris Boyleus, *hiſt. fluid. & firm. p.* 2. *ſ.* 72. de fide

licet

licet hiſtoriæ dubius, αὐτόπτην Aventinum conſtituit. Verum enim vero, ut aliis, ſi quæ adhuc extant, hiſtoriis omiſſis, finiamus, non quidem veri lapidis in cerebro neganda omnino videtur procreatio, quando & materia, &, ut ita loquamur, coagulum ipſi ſuppeditari cum ſanguine poteſt. Siquidem ſanguini, tum in vaſis adhuc contento, tum extra vaſa emiſſo, calculi rudimentum ineſſe valet: ſicut hoc non tantum ratio perſuadere poteſt, ſed & experientia, de qua forte aliquando differendi dabitur occaſio, confirmat. Quæ cum ita ſint, non equidem omnino impoſſibilis calculi in capite generatio ſtatuitur, attamen, uti jam dictum, difficillima, & inter monſtra numeranda videtur. Uti eſt, quam recitat αὐτόπτης Cl. Wepferus *hiſt. 2. apoplectic.* hiſtoria, qua in plexus choroidei medio, calculus gypſeus candidus, aſper & inæqualis, ſeminis lupini magnitudine, aliique in utraque plexus parte ſeminis milii & majore magnitudine hinc inde diſperſi, reperti narrantur. Ita nec aliter æſtimandæ ſunt Sylvii obſervationes, qui, recitante Diemerbrokio *anat. l. 3. c. 6.* in ipſo veluti cerebri centro, glandula nimirum pineali, non tantum aliquoties arenulas, ſed & ſemel exiguum ſubrotundum calculum, piſi quartam partem æquantem, inveniſſe dicitur. Sic &, quod idem etiam Schuyl *præf. in tr. Cartes. d. hom.* teſtatur; qui a ſemet ipſo quoque calculum in eadem glandula pluſquam dimidium occupantem, adſtantibus duobus diſcipulis, repertum fuiſſe, aſſeverat. Quod certe eo magis mirandum eſt, cum modo dictus auctor conarium cerebri, ſeu glandulam illam, præceptorem Carteſium ſecutus, animæ ſedem principalem conſtituit. Ambo tamen horum in glandula pineari repertorum calculorum obſervatores de accuratiori inſtituto examine, quod merito deſideratur, tacent. Unde pariter, ac reliqui, nihil nos morantur, ut veri calculi in cerebro generationem æque ac alia in corporis parte facilem negemus; oſſium vero in membranis, inprimis cerebri generationem non adeo difficilem ſtatuamus. Nimirum quando non tantum ratio prima quæſtione indigitata hoc ſuadet, verum etiam experientia confirmat: adeo, ut potius eorum plerique, qui calculos in cerebro ſeſe obſervaſſe putarunt, accurato examine neglecto, decepti fuiſſe, videri queant, quam ut dubitandum ſit de oſſibus in membranis, præcipue autem in falce, cerebri præter naturam generatis. Inprimis quando & Botalli hiſtoria, ſupra narrata, duabus, noſtris haud abſimilibus ab Hornio *in not. ad Botall.* augetur, quarum una a noſtra vix, niſi numero oſſiculorum diſcrepans, æri inciſa, ab eodem quoque figura exhibetur; imo, quando Offredus, uti ſupra relatum, totum iſtum proceſſum falcatum oſſeum obſervavit.

QUÆSTIO IV.

An oſſicula iſta duo, inprimis majus cauſa fuerint cephalææ, qua mulier dum in vivis erat, laboravit?

CAlculorum, aut aliorum corporum peregrinorum in cerebro obſervatores nonnulli una annotarunt, eos, in quorum cerebro ejuſmodi talia reperta fuerunt, dum in vivis eſſent, capitis doloribus tentatos fuiſſe fere continuis: Unde etiam Schenkius in obſervationibus ſub titulo de capitis dolore eas hiſtorias recenſet. Kentmannus enim eum, in cujus cerebro ipſius Præceptor lapidem poſt mortem inveniſſe dicitur, diuturno atque intolerabili capitis dolore adeo fuiſſe excruciatum, memoriæ prodit, ut dies noctesque nullam prorſus quietis caperet partem. Sic & Hildanus eum, cui mortuo calculum ſe e cerebro extraxiſſe, ait, continuo capitis dolore laboraſſe teſtatur. Platerus quoque alteri illi, in cujus cerebro poſt mortem globum quendam, glandulæ ſeu ſtrumæ inſtar, ovi gallinacei magnitudinem ſuperantem, inæqualem, & formam pineæ nucis exprimentem, interiore ſubſtantia albida & æquali, ovi albumen, coctione induratum referentem, illo tamen duriorem invenit, cephalalgiæ, qua primum inſequente febre correptus fuit, reliquias remanſiſſe obſervat. Ita & Cattierus teſtis eſt, matronam illam, in cujus poſt mortem aperto cranio Chirurgus ſub craſſa meninge, juxta canalem anteriorem ſeu torcular utrinque induratam quandam materiam, & uti putatur, lapideam, ipſi craſſæ meningi firmiter adhæreſcentem invenit, dolore capitis acutiſſimo, eoque pungente admodum, inſtar acuum vel telorum parti infixorum, interdum vehementius, interdum minus divexante, diu fuiſſe conflictatam. Quis enim negabit, in hoc caſu, aculeos iſtos inſtar unguium cati, ut deſcribuntur, acutos pupugiſſe tenuem cerebri meningem, nunc magis nunc minus, prout cerebri moles magis, vel minus turgeret, ex quo iſte acutiſſimus & periodicus capitis dolor promanarit, Sic & in Plateri modo recenſita obſervatione, iſtas cephalalgiæ reliquias, à nulla potiore cauſa, quam a compreſſione cerebri, ejuſque membranarum, tum etiam nervorum opticorum, quibus illo ſuo drachmarum quatuordecim pondere globus iſte moleſtus erat, proveniſſe, omnino veriſimile eſt. Unde in noſtro exemplo, cum fœmina, quantum ex ejus narratione conſtitit, licet non ſemper omnino præſentis animi fuerit, per totam fere vitam dolore capitis acuto & periodico, & quidem, ſede doloris, exiguum ſpatium circa ſuturarum coronalis atque ſagittalis congreſſum occupante, laboraverit, ut ſicuti vulgo loqui ſolent, vel dimidio ſcutato nummo locum doloris obtegi poſſe dixerit, qualiter Practici, clavum dictum, capitis dolorem deſcribunt, dubium non eſt, quin oſſiculum iſtud majus, quod eo in loco, ubi

cruciatus iſtos miſera quam maxime ſenſit, cerebro latuit, illius quoque cephalææ diuturnæ fuerit cauſa. Pondere enim licet exiguo ipſum oſſiculum membranam aliquatenus deorſum, trahere atque tendere potuit, unde ſinus Williſio *anat. cerebr. c. 6.* longitudinalis appellatus, falci continuus, ea inprimis parte anguſtior redditus, regurgitanti ſanguini non ſufficientem tranſitum concedendo, doloris continui ſenſum, qui membranis iſtis adeo exquiſitus eſt, excitaſſe, veroſimile videtur: quamvis nunc magis, nunc minus, prout vel major, vel minor ſanguinis redeuntis copia tranſiret. Sic & periodi iſtius, quam obſervavit dolor, idem oſſiculum cauſa eſſe potuit ratione quidem ipſius cerebri, nempe prout illud nunc magis, nunc minus turgeret: Unde haud ſecus ac in Cattieri hiſtoria contigiſſe ſuſpicati fuimus, oſſiculum hoc noſtrum, tum iſta ſui inæqualitate, tum duritie, ob partes meningis tenuis, lateribus ipſius utrinque contiguas, compreſſas, atque ita læſas, acutiſſimum iſtum dolorem conciliavit. Platerus equidem *l. c. obſ. d. ment. conſtern.* meminit tumoris alicujus ſcirrhoſi, fungoſique, uti jam ſupra innuimus, cerebrum ejuſque inprimis partem, quæ corpus calloſum dicitur, comprimentem, ſtuporis atque torporis cauſam deprehenſum fuiſſe, citra quam quod inſignem pepererit dolorem, quo iſte mente alienatus fuerit correptus; unde cum proceſſus iſte falciformis uſque ad corpus calloſum vocatum tendat, & fœmina, quæ in iſto proceſſu oſſiculum iſtud geſtavit, non omnino ſanæ mentis, ſed fatua ac ſtupida quadantenus dum viveret, fuerit, poſſet quiſpiam ratiocinari, utrum non iſtius deſipientiæ cauſa, etiam in hoc oſſiculo, membranam iſtam ſeu proceſſum uſque ad corpus calloſum detrahente atque ita illud comprimente ſit quærenda: verum non tantam videtur vim corpori calloſo factam fuiſſe, ſi qua ratione oſſiculo iſto fuit affectum. Si enim iſte effectus adſcribi deberet iſtiuſmodi corpori peregrino, in falce cerebri contento, majus omnino illud idem mole, & ponderoſius, quam noſtrum hoc oſſiculum eſſe oporteret, quando ad eum effectum edendum, major certe vis comprimens requiritur; ſicut ex modo allegata Plateri hiſtoria conſtat, in qua nimirum tumor iſte, pomi mediocris magnitudine deſcribitur. Sicut & in altera illa ejuſdem auctoris *l. c. de vis leſ.* globus iſte, nervos opticos opprimens, ovi gallinacei magnitudinem ſuperaſſe, dicitur; uti & qui a Schenkio recenſetur, olfactus meatus impediviſſe, thaleri nummo amplitudine reſpondiſſe fertur. Proinde, quod fœmina iſta, quæ oſſiculum ſæpius dictum in cerebro geſtavit, non ſemper præſentis omnino animi fuerit, non tam videtur cauſa fuiſſe oſſiculum iſtud, in falce hærens, quam ipſa cerebri ſubſtantia admodum flaccida, qualis in mortua reperta fuit. Siquidem ea mente captis ut plurimum familiaris eſſe ſolet, ſicut eam non ſolum haud raro in maniacis deprehendimus, verum etiam Kerkringius *l. c.* in adoleſcente, qui ætatem inter rationis ſtultitiæque confinia traduxerat, poſt mortem invenit. Cæterum ut ad cephalææ, de qua jam diximus, cauſam redeamus, dubitare quis poſſet, utrum,

trum hæc, quam innuimus, ſit alleganda: nempe ſi quis ad ea attendat, quæ de proceſſu toto oſſeo falcato, itemque de calculo in eo reperto Academici curioſi *dec.* 2. *ann.* 1. *obſ.* 127. & 131. obſervant. Nimirum quæ totam oſſeam falcem habuit meretrix Patavina, obſtinati capitis fuiſſe legitur, & qui calculum in ea geſtaſſe dicitur homo robuſtus admodum animo atque corpore prædicatur, nulla de capitis quocunque doloro-facta mentione. Verum cum in poſteriore hiſtoria calculus non tantum mole, qua ipſum non æquabat, exiguus, ſed & depreſſior, ubi adhærebat, rotundior verſus cerebrum deſcribatur, quale alterum illud noſtrum in dextro falcis crure repertum oſſiculum eſt, mirandum non eſt, nullum ab eo excitatum fuiſſe dolorem, quando nec magnitudine, nec pondere, nec figura tenui meningi adeo moleſtus eſſe potuit. Certe in noſtro caſu, ne hoc quidem oſſiculum, cujus modo meminimus, dolorem geſtatrici, quantum quidem conſtat, conciliavit, dum nunquam in ſpecie de dolore in dextra occipitii parte fuit conqueſta. Cum tamen ſi ſitus illius membranæ naturalis, horizonti fere parallelus atque etiam oſſiculi ipſius, quod ſuperiore ſui parte protuberans eminebat, conſideretur, non citra moleſtiam cerebri molem incumbere potuiſſe, ratiocinari quis poſſet. Nimirum neceſſe eſt, ut tenuis meninx iſtos cerebri anfractus ambiens, ſeſe ita adaptaverit, ut ſemper eidem eodem modo incumbens, nullam paſſa ſit læſionem. Sane in ſtatu naturali, cerebrum inferiori ſui parte tot hinc inde exaſperatis proceſſibus oſſium frontis, temporum, occipitis, cuneiformis & cribriformis, citra ullum dolorem incumbit. Imo in cane, vulpe, aliiſque animalibus oſſeo ſepto cerebrum a cerebello diſtinctum eſt, citra quod animalia iſta inde doleant, cum natura ea æque ac hominem ἀεσπαθείας condiderit immunia. Unde non eſt, ut miremur, in illa Patavina meretrice falcem totam oſſeam, nullum peperiſſe, quantum quidem ex narratione colligi poteſt, dolorem; cum ita æqualis eſſe potuerit, ut noxa exinde meningi contiguæ inferri, aut alia pars cerebri ob firmam, qua forſitan juncta, atque immobiliter ſuſpenſa fuit cranio adhæſionem comprimi aut lædi nequiverit. Proinde ratione nequaquam deſtituimur, ut noſtro in caſu oſſiculum iſtud majus cephalæam illam diuturnam & periodicam pauperculæ iſti fœminæ peperiſſe cauſemur.

QUÆSTIO V.

Utrum oſſicula iſta anſam dederint affectui, ſcilicet apoplexiæ, qua mulier fuit extincta?

Si facultatis animalis influxu in partes capite inferiores prohibitæ, atque inde apoplexiam efficientis, cauſa cum Galeno *comment.* 2. *in hip. aph.* 42. & *l.* 2. *de ſympt. cauſ. c.* 7. in pituitoſi ſucci multitudine in cerebri ventriculis, eo humore oppletis, collecta, quærenda foret, ſupervacanea omnino hæc quæſtio videri poſſet, cum nihil aut parum falciformi ſepto cum

ventriculis, inprimis quod eorum oppletionem attinet, commercii juxta ipſum veterum doctrinam intercedat. Sed & licet Galenus *l.* 4. *loc. aff. c.* 2. admittat, in ſopore & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minus: in apoplexia vero corpus magis affici, nullus fere exinde, aut perobſcurus cauſarum nexus deduci poteſt, qua ratione in noſtro caſu anſam nacta fuerit ſideratio. Veruntamen, cum & Galenus *comment. ſupr. cit.* agnoſcat apoplexiæ cauſam Φλεγμονώδη τινὰ Διάθεσιν, inflammatoriam quandam diſpoſitionem, quam nimis generaliter Plantius affectionem aliquam a calida materia interpretatur, in cerebro conſiſtentem, ſecus, ac ejus ſequaces plerique obſervant, forte erit, ut quis argumentari poſſit ex dolore acuto, cujus cauſam ſuperiore quæſtione oſſiculum iſtud majus demonſtravimus, ſanguinem in unam partem impetuoſius ruentem ſecundum Galenicos attrahente, illam Φλεγμονώδη Διάθεσιν cerebro conciliari, atque ita, ſi non immediate ipſum affectum, cauſam tamen, aut ſaltem occaſionem eidem vel ſecundum ipſum Galenum ſubminiſtrari potuiſſe. Verum, ut nunc de hac inflammatoria diſpoſitione, utrum apoplexiæ cauſa eſſe queat, non diſputetur, quando vel ex mente veterum dubitari poteſt, qua phrenitidis parens potius ſtatuitur; illud tantum non ita nude concedendum eſſe videtur, a dolore ejuſmodi capitis hac ratione apoplexiam procreari. Si enim hac ex cauſa in caſu noſtro ſideratio promanaſſet, tunc ſane citius, quam quidem accidit, illa ipſa contigiſſet, inprimis quando continuus fere iſte capitis dolor periodico reditu magis fuit exacerbatus. Sed nec liquet, qua ratione juxta veterum placita oſſiculum iſtud aliquid conferre potuerit ad grumos illos ſanguinis generandos, quibus ventriculi cerebri ſcatentes fuerunt inventi. Illi certe grumi, ſi uſpiam apoplexiæ cauſa in cerebri ventriculis quærenda eſt, potiori jure, quam iſta Galeni inflammatoria diſpoſitio advocabuntur, inprimis cum apoplexia docente Williſio *p.* 2. *d. an. br. c.* 8. etiam a ſanguine, intra cerebrum effuſo, ſive extravaſato, ibidemque in grumos concreſcente, oriatur. Cæterum, cum ſpirituum animalium tum defectus, tum torpor, tum conturbatio vehemens proxima ſecundum Sylvium *prax. Med. l.* 2. *c.* 21. §. 43. apoplexiæ cauſa, a ſanguinis motu læſo proficiſci queat, quando & in ſtatione ſanguinis ipſius apoplexiæ cauſæ eſſentiam conſiſtere, ipſum Hippocratem affirmaſſe, Martianus *ann. in l.* 2. *d. morb. verſ.* 64. notat, hic nobis præcipue quærendum erit, utrum iſta duo oſſicula, inprimis majus, ſanguinis motui ita officere potuerint, ut inde ſi non cauſa, ſaltem occaſio apoplexiæ fuerit ſubminiſtrata. Equidem Cl. Wepferus *exerc. d. loc. aff. in apopl.* qui, promerito Williſii *l. c.* judicio perquam exacte morbi hujus theoriam tradere videtur, vel propter ſanguinis per arterias affluxum, ad cerebrum denegatum, vel ob ſpiritus animalis effluxum, ex cerebro & cerebello per nervos & ſpinalem medullam prohibitum, vel ob utramque cauſam, in quibuſdam caſibus concurrentem, apoplexiam produci opinatur; quæ quidem cauſæ non admodum liquido in noſtro caſu ab ejuſmodi oſſiculo in corpore falciformi detento

fluunt,

fluunt, ſi non ob impeditum ex cerebro ſanguinis reditum ad cor, affluxus quoque ad cerebrum ſanguinis præpeditus ſtatuendus eſt. Unde erit omnino, ut cum Williſio dubitemus, utrum tantum modis a Wepfero notatis apoplexia oriatur. Nimirum, cum uti Willis obſervat, plus periculi ſit a nimio ſanguinis in cerebrum incurſu, & intra illud extravaſatione, quam Etmüllerus *prax. p.* 2. *c.* 8. ex impedito ſanguinis per venas refluxu rationabiliter deducit, patet, ſi quam in noſtro caſu apoplexiæ anſam præbuerunt iſta officula, eam non aliam eſſe potuiſſe, quam qua ſanguinis reditus ad cor fuit impeditus. Denegatum enim ſanguinis regreſſum, eumque inſecutam cerebri repletionem, hancque excipientem extravaſationem ſanguinis, in noſtro caſu, tum venæ, ſanguine admodum turgidæ, tum ſanguis grumoſus intra ventriculos cerebri concretus, inprimis autem ille in occipitio inſignis, qui non exiguam nobis ſui peperit admirationem, ſpinalis medullæ principio incumbens, & intra meninges detentus ſanguinis grumus ſatis abunde declaravit. Unde, cum lege circulationis, ſanguis e venis, meninges perreptantibus, ex cerebri poris exceptus in ſinus, interque eos, longitudinalem dictum, eructetur, contingere potuit, ut officulum majus, nimirum pondere ſuo, licet exiguo, membranam detrahendo, atque ita ſinum utrumque, tum ſuperiorem, tum inferiorem anguſtando, tranſitum ſanguinis reddiderit difficiliorem. Neceſſum tamen eſt, ut ſanguis vel copioſior influxerit, vel tranſitu in vaſis jugularibus fuerit impeditus, inprimis tum temporis, cum apoplexia primum mulier corruit. Alias certe, cum, tantum ultimis annis iſtud majus officulum incrementi demum cepiſſe, rationi conſonum non ſit, quamcunque cephalææ exacerbationem, quam ſupra etiam a pondere officuli inter alia deduximus, apoplexia eſſet inſecuta. Laxatio enim quædam ipſius membranæ, ob ſerum abundans in flaccido cerebro vix videtur, pro ſanguinis tranſitu retardando advocari poſſe. Quæ cum ita ſint, aut ſaltem eſſe poſſint, non omnino videtur negandum eſſe, in caſu noſtro officulum majus ipſi affectui, nempe apoplexiæ, aliquam ſaltem occaſionem præbere potuiſſe, aut forte ſubminiſtraſſe.

QUÆSTIO VI.

An ſigna ſint calculi aut ejuſmodi officuli in cerebri quacunque parte latentis?

Cum unius affectus plures eſſe poſſint cauſæ, non mirandum eſt, adeo arduam quandoque earum eſſe inquiſitionem, inprimis, ubi ſigna non tam dubia ſunt, quam nulla. Equidem in quibuſdam morbis, uti certa habemus mortis ac ſanitatis indicia, propterea Galeno *comm.* 3. *in Hipp. progn. t.* 39. teſte, Græcis τεκμήρια appellata, ita & in nonnullis affectibus cauſarum quo que ſigna ſatis certo habemus. In noſtro tamen hoc caſu, cum, ſi de ſignis quærendum eſt, non tam prognoſtica apoplexiæ, quam diagnoſtica cauſæ,

cephalæam generantis ac foventis, ſigna intelligantur, dubia omnino ſignorum, etiam ratione ipſorum, fontium e quibus ſigna cauſæ morbificæ hauriri ſolent, eſt inveſtigatio. Nempe, ut nunc de iſta cauſarum varietate, a quibus capitis dolor, etiam periodicus atque inveteratus, dependere poteſt, nihil dicatur, ſatis manifeſtum eſt, neque ex rebus, quas medici naturales, neque ex iis, quas nonnaturales dicunt, neque demum ex illis, quæ præternaturales appellantur, ullum potuiſſe in caſu noſtro certum deduci indicium, imo nec, quod a juvantibus & lædentibus peti ſolet, ſignum ullius certitudinis fuiſſe. Quis enim ex anatome, cæteriſque phyſiologiæ, uti vulgo audit, medicæ capitibus divinare potuiſſet, fœminam iſtam in falce cerebri geſtare oſſiculum, cæphalææ illius cauſam. Aut quis ex aëre, victus ratione, aliiſque, de quibus medicinæ pars ὑγιεινὴ dicta præcipit, conjicere quicquam de iſto oſſiculo potuit. Cui denique pathologia rebus iſtis tribus, præternaturalibus vocatis, lucem ad oſſiculum iſtud detegendum præferre valuit. Imo, ne quidem ex juvantibus & lædentibus certus fuit conjecturæ locus. Juvabatur quidem miſera nonnihil, ubi dolor quam maxime exacerbatus erat, venæ ſectione, juvabatur etiam, ſed minus, crebriore inſtituta purgatione. Verum hæc nihil aliud, quam repletionis vitium indigitabant. Unde nulla, niſi admodum obſcura, & prorſus incerta, corporis ejuſmodi ſolidi, in cerebro latentis eſſe potuit ſuſpicio. Imo, ne minimæ quidem ſuſpicioni locus datur, ſi oſſicula in falce hærentia nullum capiti dolorem inferunt, uti Hornius *annot. ad Botall. obſ.* 2. notavit, & Offredus Patavii integrum proceſſum falcatum in fœmina, plures annos nata, ſed quæ capitis dolore non laboraverit, imo præfrictæ potius fuerit frontis, obſervavit. Ita & qui calculum aluiſſe in cerebro dicitur a Schelhamero, robuſtus admodum animo, atque corpore deſcribitur. Unde, ne ἔδοξα quidem, uti vocantur, ſeu probabilia hiſce in caſibus vel oſſis vel cujuſcunque corporis peregrini, in cerebro abſconditi, ulla ſunt ſigna. Certe, ſi quid hic de ſignis dicendum eſt, illud obſervandum eſſe videtur, quod ex noſtra hac, qua occupati ſumus, obſervatione, aliiſque ſupra memoratis hiſtoriis pateat, rationi conſonum eſſe, cephalææ ejuſmodi diuturnæ, adeo pertinacis, neque ullis remediis cedentis, & nunquam plane remittentis, cauſam forte aliquando in alieno quodam cerebri membranis intertexto corpore, v. g. oſſiculo ejuſcemodi latere poſſe, quod non tam perſpicaciſſimum Medicum in inquirendis cauſis fallat, quam remediorum apparatu inſtructiſſimum quemcunque fatiget, & in exoptato ſucceſſu vel feliciſſimum in curando fruſtretur. Unde liquet, inter cæteras, quæ adeo variæ eſſe poſſunt, capitis doloris cauſas, hanc, niſi poſt mortem αὐτοψία per ἐγχείρησιν anatomicam fidem faciat, demonſtratu eſſe difficillimam; cum nulla ejuſdem, quæ quidem certi quid perſuadere diligentiſſimo experientiſſimoque naturæ ſcrutatori poſſint, probabilia ne dum indubitata, ſint ſigna.

QUÆS-

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

An cura aliqua ſit ejuſcemodi oſſiculi, aut etiam calculi in cerebro hærentis?

Quamvis hæc quæſtio, illi, qui ad ea, quæ ſuperiori quæſtione diximus, reſpicit, ſupervacanea videri queat, cum ignoti nulla ſit curatio morbi, tamen, ut mori medicorum ſolenni, quo morborum cauſarumque ſpeculationi curam quoque ſubjungere ſolent, ſatisfiat, paucis quoque de ea diſquirere lubet; non tam, quod in deploratis etiam caſibus conſilium a Medico expeti ſoleat, quam quod inventio poſt mortem cauſæ morbificæ frequentiſſimum moveat ratiocinium. Nimirum, quicunque noſtræ obſervationi interfuiſſet, inprimis ex iis, qui rei phyſicæ medicæque minus gnari ſunt, abſque dubio a nobis quæſiviſſet, utrum nullam ergo hic natura admiſiſſet curationem, aut ſaltem, utrum omnino nulla hic locum alia cura habuiſſet, qua ejuſcemodi oſſiculi generatio impediri potuerit? Verum, ut huic quæſito reſpondeamus, utrumque merito negandum eſſe videtur: quandoquidem ex nulla remediorum penu quicquam auxilii huic caſui ſupereſt. Qua enim diæta opus fuiſſet, qua oſſiculi ejuſcemodi generatio præpediri potuiſſet, niſi ea, quæ oſſium ipſorum generationi atque nutritioni officeret, qua vero non tam naturæ parſimonia, quam benignitate deſtituimur. Et, ſi vel maxime ejuſmodi alimenta proſtarent, quæ oſſibus omne idoneum nutrimentum denegarent, illa ipſa tamen vires ſuas non ita facile in cerebrum, & quidem præciſe in eam, in qua oſſicula noſtra latuerunt, partem extendere poſſent. Imo, licet alimenta ſint, quæ nullam calculo materiam præbent, eorum tamen uſus, ſi quis in cerebro calculus generandus eſt, etiam frequentiſſimus vix ejus concretionem impediet. Et quid ex fonte pharmaceutico hauriemus, quod oſſis in ea corporis humani parte latentis generationem impedire, vel generatum auferre queat. Certe, cum tot habeamus, quæ jactantur lithontriptica, ne unicum quidem ſufficere poſſe videtur, quo calculus, ſi quis in cerebro procreatus eſt, diffringi atque comminui poſſit: ut non dicatur oſſis ejuſcemodi, licet duritie & ſoliditate calculo cedentis, ob novum ſubinde accedens nutrimentum difficiliorem, quæ per interna mollienda eſſet remedia, videri poſſe comminutionem. Ita nec demum chirurgia, in qua forte aliqua ſpes concipi poſſet, ullum præſidium noſtro in caſu ſuppeditate valuit. Nimirum hic Hippocratis *aph. 6. ſ.* 8. dictum locum non habet, quod quæcunque medicamenta non ſanant, ferrum ſanet, quæ ferrum non ſanat, ignis ſanet, quæ ignis non ſanat, incurabilia putanda ſint, niſi quod neutrum horum feliciter adhiberi nequiverit. Qua enim arte chirurgus etiam exercitatiſſimus ex membrana, cui tam arcte cohæret, ejuſmodi oſſiculum eruere potuiſſet. Certe, ſi etiam in externo iſto cerebrum complectente meningis ambitu ejuſmodi oſſiculum aut etiam calculus adnatus hæreret, locuſque ipſe, in quo præciſe lateret, ad amuſſim cogni-

gnitus foret, ne quidem artificioſiſſima chirurgi dexteritate illud ipſum oſſiculum, vel calculus poſſet evelli: ut taceamus de præſentaneo, quod illa chirurgica operatio minaretur, vitæ periculo. Quæ cum ita ſe habeant, omnino eſt, ut concludamus, neque diætetica cura, neque pharmaceutica, neque etiam chirurgica tum calculum, tum ejuſmodi oſſiculum e cerebro auferri, nec ut non generetur, ulla ratione præverti poſſe. Unde & noſtro in caſu per aliacunque remedia nulla omnino ſuccedere potuit curatio. Nimirum merito verbis Th. Rod. a Veiga l. *ſupra cit.* diſſertationem noſtram obſignamus, dum ait: Hæc rara præter doctrinæ utilitatem etiam ad excuſandos Medicos conducunt, ubi nihil curanda proficiunt. Quis enim ſcit, an ejuſmodi monſtra impediant.

Iconismus *membranæ falciformis naturali magnitudine, quæ eam reſiccatam una cum ambobus oſſiculis* Theatrum noſtrum Anatomicum *ſervat.*

Fig. I.

a. b. c. Sinus longitudinalis Williſio dictus.
a. Portio membranæ oſſi cribriformi adhærens.
c. Pars membranæ ad locum cerebri, torcular dictum.
D. Ipſum oſſiculum ſiniſtram verſus reſpiciens.

Fig. II.


Exibet oſſiculi partem dextram verſus.

Fig. III.

Membranæ cerebrum à cerebello in dextro latere dividentis cum annexo oſſiculo portionem oſtendit.

F I N I S.

JUSTI



Disput. Medico-Pract. Tom. I. pag. 232. SCHEID DE DUOB. OSSIC. IN CEREBR.

Digitized by Google

X V.

JUSTI GODOFREDI GUNZII

PROLUSIO QUÆ

LAPILLOS GLANDULÆ PINEALIS

IN

QUINQUE MENTE ALIENATIS

INVENTOS PROPONIT.

Lipſiæ 31 Auguſt. 1753.

Digitized by Google

CUm certitudinis artis ſalutaris ea ſit ratio, ut, ſi quidem haberi poſſit, de quo vel ex ipſis medentibus non pauci ſubdubitant, non tam per ingenioſe excogitatas hypotheſes, quam potius per obſervationes atque experimenta, quæri debeat, non ſatis laudibus efferri queunt, atque tironibus artis commendari, qui tum hiſtorias morborum, tum factas in corporibus mortuorum obſervationes in lucem edunt. Quo nomine etſi celebratur ab omnibus *Theophilus Bonetus*, qui ejuſmodi obſervationes, ab aliis factas, atque ſparſim editas, in unum collegit, uſuique publico accommodavit, longe tamen majori laude atque honore dignus futurus ejus labor eſſet, ſi partim in ſeligendis atque ad ſingulos morbos, tanquam capita, referendis obſervationibus aliquanto accuratior fuiſſet, partim in ſcholiis, annotationibuſque monuiſſet, quæ hinc inde incerta, aut prorſus falſa, atque ab autoribus ſuis parum recte expoſita fuerint. Ea enim, neque injuſta, ſapientiſſimorum virorum querela eſt, qui hiſtorias morborum deſcribunt, pleroſque minus diligentes in ſignis, ſymptomatibus, aliiſque ad morbum & ægrum pertinentibus rebus conſignandis eſſe, ex quibus maxime natura mali cognoſcitur, quam in indicandis laudandiſque auxiliis, quæ cum perſæpe nimis compoſita dederint, atque etiam nimis facile variaverint, quid maxime juverit, aut qualem hæc vel illa auxilia effectum ediderint, intelligi ex ejuſmodi hiſtoriis non poſſe. Neque fere aliter eum obſervationibus comparatum eſt, quæ in diſſectionibus corporum mortuorum factæ habentur, & quarum ad ſedes morborum inveniendas permagna utilitas eſt. Ut enim de illis non dicam, quas medici, in ſecandi arte parum verſati, fecerunt, tamen ex ceteris quoque permultæ tam negligenter factæ ſunt, aut ſaltem deſcriptæ, ut illis uti cum fructu non liceat; tum quoque nihil frequentius eſt, quam cauſſas morborum invenire cum horum effectibus, mutationibuſque inter moriendum factis, præcipue ſi homo lenta morte exſtinctus eſt, confuſas; quod tamen non admodum difficulter evitare potuiſſent, modo hiſtoriam morbi cum rebus, in diſſectione corporis animadverſis, diligenter comparaſſent. Nolo equidem hæc longius proſequi, neque animus mihi eſt, multis oſtendere, quantum ejuſmodi obſervationes ad cognoſcendos curandoſque morbos valeant: illam potius utilitatem commemorabo, quam eædem obſervationes in corpore ſano habent. Qui enim hac noſtra ætate vivi ſanique corporis actiones exponunt, obſervationibus ex corporum, morbis confectorum, diſſectionibus deſumtis, ita frequenter utuntur, ut priorum auctorum de his actionibus ſententias vel comprobent atque illuſtrent, aut etiam non raro convellant, & quam vere utilitatem ſingulæ partes toti corpori præſtent, luculenter commonſtrent. Neque minus ad fabricam ſingularum partium corporis humani cognoſcendam ejuſmodi obſervationes permultum faciunt, modo iiſdem caute utamur; namque abunde conſtat, quot etiam

 quan-

Digitized by Google

quantique errores ex iiſdem in anatomen irrepſerint. Quare uti bene de arte ſalutari merituri eſſent, qui, quas obſervationes de morbis faciendi occaſionem in diſſectionibus habuerint, publicarent, ita etiam optandum eſſet, ut multi ex illis nudas potius obſervationes ederent, quam ad hypotheſes ſuas ſæpe male accommodatas. Quam cum mihi ſemper ſcriptam legem habuerim, ſtatim ac mihi jam aliquid edendum eſſe intellexi, de ejuſmodi obſervationibus cogitavi, quarum proinde nonnullas hoc loco ſic publicabo, ut aliquot tantum conjecturas ſubjiciam. Ex multis autem, quæ a me olim factæ, non in ſenibus tantum, molles partes indurari ſucceſſque vel in lapideam ſubſtantiam non raro concreſcere, comprobare poſſunt, nunc illas ſelegi, quas de ejuſmodi mutatione in glandula pineali facta habebam, reliquas alio tempore editurus. Nimis longum foret, ſi vellem de natura omnium concretionum hic agere, quæ contra naturæ ordinem, in corpore humano fiunt, quæque mihi videntur ad oſſeam, lapideam, atque callosam revocari poſſe, quarum lapidea fere, ſi diſtinctio quædam facienda ſit, in arenoſam diſpeſci queat, calculoſam, atque tophaceam. Neque à me aliquis deſiderabit, ut hoc loco ſingulas humani corporis partes recenſeam, in quibus ejuſmodi concretio ſive ab aliis, ſive à me inventa fuerit. Itaque ea tantum exempla indicabo, quæ apud varios auctores de glandula pineali, per ejuſmodi concretiones mutata, occurrunt. Neque enim à me primum talis mutatio obſervata fuit, neque in univerſum rara illa exempla ſunt, quin potius longe frequentius, quam illa reliquarum cerebri partium occurrunt, de quibus, calculo obſeſſis, nulla ſatis idonea obſervatio habetur. Imo peculiaris *Salzmanni* (*a*) de glandula pineali lapideſcente diſſertatio eſt, ut de *Georg. Franco* (*b*) qui olim, & *Schurigio* (*c*), qui nuper aliorum de hac re obſervationes collegit, non dicam. Ex omnibus autem, qui ejuſmodi obſervationes fecerunt ac publicarunt, primum equidem *Franciſcum de le Boe Sylvium* invenio, qui, ut illas, ſecundum varios auctores (*d*), aliquoties fecit, ita ſeorſim *Olao Borrichio* (*e*) teſte, anno 1661. tres lapillos, iterumque duriſſimas aliquot arenulas (*f*), & duobus annis poſt, grandiores arenulas, in glandula pineali vetulæ, invenit, atque diſcipulis demonſtravit, quæ, quod *Brechtfeldus* commemorat (*g*), pulmones ulcere exeſos habebat. Eodem

(*a*) Hæc diſſertatio Argentorati habita fuit 1733.
(*b*) In diſſertat. de lapicidina microcoſmi in capite §. 33-37. Heidelberg. 1688.
(*c*) In lithologia, ſeu calculi humani hiſtoria, cap 2. §. 1. & 66.
(*d*) Videſis *Paulum Barbette* oper. chirurg. anat. Part. 3. lib. 2. cap. 2. p. 481. *Diemerbroeckium* Anatom. lib. 3. cap. 6. & *Thom. Bartholinum* Anatom. reform. lib. 3. c. 6. p. 496.
(*e*) In epiſtola ad *Bartholinum*, quæ eſt inter hujus Epiſtolas medicinales cent. 3. 85. p. 362.
(*f*) Loc. cit epiſt. 97. p. 420. Conf. Acta Hafn. Vol. V. obſerv. 81. p. 194.
(*g*) In Act. Hafn. Vol. II. obſ. 14. p. 34.

dem ſere tempore *Florentius Schuyl* (*h*) lapillum invenit, atque adſtantibus oſtendit, qui plus quam dimidium glandulæ pinealis occupabat. Eandem glandulam figuræ irregularis, & calculis refertam vidit *Henricus Meibomius* (*i*) atque *Regnerus de Graaf* (*k*) teſtatur, ſe calculos, plus quam vigeſies, in hominibus lento morbo, vel violenta morte extinctis, in hac glandula inveniſſe, tum in epiſtola ad *Elſnerum* (*l*), inter alia memorabilia, in virginis cujuſdam cadavere reperta, plurimas aſperas arenulas memorat, in conario deprehenſas, quarum aliquæ, propter magnitudinem, calculi dici potuerint. Circa idem tempus *Chriſt. de Cock à Kerckwyck* (*m*) calculum, dimidii fere piſi magnitudinis, in ſene quodam deprehendit. *Wepferus* (*n*) etiam ipſam aliquando lapideam glandulam æmulari ſcribit, atque album, anguloſum, lente majorem calculum memorat (*o*), quem cum aliquot arenulis pellucidis anguloſis in infanticida invenerit. In eadem glandula duo vel tres calculi, imo quatuor aliquando à *Paulo Barbette* (*p*) inventi ſunt, & unus magnitudine grani cannabini in muliere à *Stalparto van der Wiel* (*q*). Idem etiam quatuordecim diverſæ magnitudinis & formæ duriuſculos calculos vidit (*r*) à *Nuckio* (*s*) in glandula pineali hominis cujuſdam deprehenſos, qui ſe ſcribit ſæpius præterea tales eo loco reperiſſe. Videtur etiam huc pertinere *Brunneri* obſervatio (*t*) de multo ſabulo in glandula pineali capite plexi, & altera *Barbeckii* de calculo ibi invento (*u*). Idem de ſe teſtatur, & duorum calculorum in puerpera (*x*) & totidem in ſene quodam (*y*) repertorum meminit *à Meekren*. Eadem pinealis glandula viridibus lapillis referta inter *Juſti Veſti* (*z*) obſervationes eſt, & memorabilis maxime *Edmundi Kingii* (*a*) obſervatio, qui

(*h*) Quod ipſe refert in præfatione ad *Carteſii* Tract. de homine, Lugd. Bat 1662. 4.

(*i*) In obſerv. Anatom. medic. quas *Schraderus* cum obſervat. & hiſtor. de generatione animal publicavit Dec. I. obſ. 3 Amſt. 1674.

(*k*) In tract. de ſucco pancreat. cap. 7.

(*l*) Videas Miſcell. N. C. Dec. I. Ann. I. obſ. 127.

(*m*) Memorat hoc in Diſput. Anat. Sylvæduc habita 1670.

(*n*) In tractat. de Apoplexia obſerv. 22. p. 496.

(*o*) De cicuta aquat. p. 116.

(*p*) Loc. cit.

(*q*) Obſerv. med. anat. chirurg. rar. cent. 1. obſ. 12.

(*r*) Loc cit. p. 54.

(*s*) In epiſt de inventis novis, quæ exſt. cum Adenographia, p. 151.

(*t*) Vid. *Franci* diſſert. ſupra citat. §. 11. Conf. quoque *Brunnerus* de glandula pituitaria cap. 3. ubi nimius eſt in hoc, quod glandulam pinealem dicit, eam ut plurimum eſſe in hominibus ſabulo conſperſum.

(*u*) Apud *Herſeltum* in Philoſ. Homin. cap. 16. §. 386.

(*x*) Obſerv. med. chirurg. cap. 58.

(*y*) Obſerv. med. chirurg. poſthum. cap 3.

(*z*) Obſerv. med. rar. Dec I. obſ. 1. exſt. cum *Caſp. Crameri* Colleg. Chimico.

(*a*) Habetur in Act. Erudit. Lipſ. Ann. 1688. p. 234.

qui lapidem, membrana involutum, in hac glandula vidit, aut verius, ut ait, glandulam petrefactam in membrana. Duæ etiam huc pertinentes *Beni. Bened. Petermanni* obſervationes ſunt, altera de glandula pineali in lapillos, granis milii ſimiles, coagulata (*b*), altera de duobus calculis, cubi minoris figuræ, in virginis ſedecim annorum glandula inventis (*c*). *Dionis* (*d*) quoque ſe lapillum ait aliquando intra illam inveniſſe, aliumque in cadavere juvenili *Bartholomæus Krugerus* (*e*). Tota petroſa glandula fuit, & nucem avellanam magnitudine adæquans in eo ægro, quem *Berlingerius Gipſeus*, profeſſor Bononienſis, ſecuit, quemadmodum à *Jo. Bapt. Contulo* (*f*) memoriæ proditum eſt. Tres calculos minimos, vel potius arenulas craſſiores ſubflavas in glandula pineali à ſe deprehenſas habet *Laubius* (*g*), totidemque *Quina* medicus Amſtelodamenſium in fæmina quadam invenit, uti *Ruyſchius* (*b*) refert, qui figuram horum corpuſculorum adjecit, quæ tamen pro oſſiculis habet. *Morgagnius* autem ſcribit (*i*): exiguum corpus durum, ſubflavum, & nonnihil aſperum pluries in ea invenimus, qui præterea in viro quodam Bononienſi totam fere glandulam ex flava duriuſcula ſed friabili materia conſtantem deprehendimus, cui demum *Salzmannus* (*k*) addendus eſt, qui altero anno lapillos ſatis notabiles in duobus ſubjectis, & altero in alio cadavere, non multum friabiles & magis minuſve flaveſcentes in theatro anatomico Argentoratenſi inventos habet, atque *Mauchartus* (*l*), qui glandulam pinealem in calculoſo-ſabuloſam ſubſtantiam in viro quodam concretam memorat, ne de *Vieuſſens* (*m*), *de la Charriere* (*n*), *Winslovio* (*o*), & *Lieutaud* (*p*) dicam, qui æque ac multi alii ex noſtræ ætatis diſſectoribus ſcribunt, glandulam pinealem perſæpe exiguis lapillis refertam eſſe, vel exiguum corpus durum, ſubflavum & nonnihil aſperum ſæpiſſime in ea reperiri. Omnium vero maxime notabile illud exemplum eſt, quod *Mangetus* (*q*) narrat à *Carolo Drelincurtio* viſum; hic enim glandulam pinealem dicitur in virgine, vigin-

(*b*) Obſerv. med. Dec. I. obſ. 1.
(*c*) Ibid. obſ. 10. p. 16.
(*d*) Anatom. Demonſtr. VII. p. 354.
(*e*) Anatom. curioſ. cap. 11. p. 38.
(*f*) In libro de lapidibus, Podagra & Chiragra in C. H. productis Rom. 1690. 4. vid. Act. Er. L. Ann. 1699. p. 396.
(*g*) In Ephemer. Nat. Cur. Cent. IX. obſ. 63. p. 150.
(*b*) Theſ. Anat. V. N°. 63. Tab. 3 fig. 5.
(*i*) Adverſ. Anat. VI. Animadv. 9. p. 10.
(*k*) Loc cit. p. 27. ſq.
(*l*) Differt. de lombrico in ductu pancreat. reperto p. 7. Tubing. 1738.
(*m*) Neurogr. Libr 1. cap. 11. p. 71.
(*n*) Anat. de la tête de l'homme p. 155.
(*o*) Expoſ. Anat. Tr. de la tête N°. 83.
(*p*) Eſſ. Anatom. p. 394.
(*q*) Theatr. Anat. Lib. 4. cap. 2. p. 309.

Digitized by Google

viginti circiter annorum, non tantum ſaxeam inveniſſe, ſed etiam ovi gallinacei magnitudinem æquantem. Quamvis igitur ex tot tantorumque virorum obſervationibus abunde conſtare queat, ut in aliis quibuſcunque corporis humani partibus, ſic etiam in pineali glandula, lapillos, vel aliquid his ſimile, ſæpe concreſcere, tamen, quas olim de eadem re obſervationes feci, hoc loco ſubjungere, eo minus dubito, quo certius eſt, priores auctores obſervationes ſuas partim tribus tantum verbis, partim ita propoſuiſſe, ut, quæ inde in functionibus corporis humani mutationes conſecutæ, vel cum eo malo conjunctæ fuerint, parum appareat. Ex quinque autem, quæ mihi occurrerunt, exemplis primum juvenis viginti quinque circiter annorum fuit. Is à patre genitus, qui, quadrageſimo circiter ætatis ſuæ anno, ſenſim aciem perdidit, à prima fere infantia de viſus quadam debilitate conqueſtus eſt, cui ſiccus juſtoque tenerior totius corporis habitus accedebat. Fuit autem illa viſus debilitas, procedente tempore, ita aucta, ut duodecimo ætatis anno, ſiniſtro oculo uti amplius fere non poſſet. Itaque non ſine cauſſa metuens, ne & dextro oculo perdito, omnem lucis uſum amitteret, variorum medicorum auxilia contra graviſſimum hoc malum, ejuſque metum quæſivit. Accidit vero, ut in tales maxime incideret, qui omnem amauroſin ponentes à variæ indolis atque utplurimum corruptis humidis proficiſci, quæ circa opticum nervum, ad quem concurrerint, hæreant, contra ipſam non niſi ejuſmodi auxiliis pugnandum eſſe exiſtimant, quibus mobilia illa humida reddi queant, atque per varias vias ex corpore eliminari. Quapropter cantharidibus, fonticulo, ſetaceo, variiſque modo alvum, modo ſudorem fortiter moventibus, vomitumque etiam cientibus medicinis, per plures annos vexatus, ſenſim magis magiſque minui viſum in dextro oculo ſenſit, totumque ſimul corpus extenuari. Hinc ubi meo conſilio uti voluit, equidem ſi oculus dexter ſervari, aut ejus videndi facultas plene reſtitui poſſit, id non niſi per nutrientia atque leniter aperientia cum humectantibus conjuncta, & quæ revocare utiles ſuccos ad hunc oculum queant, obtineri poſſe, ipſi protinus declarabam. Quo ubi ſe abſterrere paſſus non eſt, pugnatum quidem ejuſmodi auxiliis contra hunc morbum, per annum fere, ſed fruſtra fuit, quod ægrum, aliorum ſuaſu accedente, permovit, ut, quamvis id diſſuaderem, ad aquas Pyrmontanas abiret. Sed ab his quoque melius ſe non habuit. Quare omnem fere ſpem ſanationis abjicere coactus, magis quam à natura, triſtior factus eſt, hominumque conſortio raro uſus, idque potiſſimum poſt, quam celeberrimi cujuſdam medici juſſu, valentiſſimi generis auxilio, quod ἄνω, & κάτω purgabat, bis uſus, tum oculi dextri tum quoque totius corporis vim atque robur ſolutum magis & quaſi fractum ſentiebat. Factum tamen aliquandiu poſt eſt, ut me denuo in conſilium vocans, argenti vivi uſum proponeret, quo ab *Hoffmanno* aliiſque ita adhibito, ut ſalivæ fluxus concitaretur, nonnulli amauroſi laborantes reſtituti ſint; reſpondi equidem, de quo certo perſuaſus ſum, argenti

genti vivi nullam contra hunc morbum vim eſſe, niſi à venerea cauſſa profectus fuerit, cujus cum ne leviſſimum quidem in ipſo ſignum ſit, peſſime ſibi conſulturum eſſe, ſi hoc auxilii genere uteretur. Ea vice perſuadere ſibi paſſus eſt. Quia vero paulo poſt iterum atque tertio rediit, idemque urſit, ne ſe homini crederet, qui parum ſciens, quam caute eo auxilio utendum ſit, id in ægri perniciem adhiberet, illini mercurium ita feci, ut neque ſalivæ, neque alvi fluxus, aut ſudor conſequeretur, verum ut reſolvendi tantummodo poteſtatem exercere poſſet. Quamvis autem, quæ tamen, ut fere ſolet, ſuboriebatur, leviſſimam ſputationem nullo modo cohiberem, aut prorſus ſupprimerem, quin potius ad plures ſeptimanas protraherem, nihil tamen in illo morbo mutatum fuit, mœror autem atque triſtitia aliquantum aucta. Cumulum huic paulo poſt adjecit de morte inopinata dilectiſſimæ ſororis nuntius, ita, ut duos circiter menſes poſt in veram maniam cum febre incideret, qua etiam nono die moriebatur. Flagrans equidem ſciendi cupiditate, an non in cerebro aliquid ſit, quod, ut olim amauroſin facere potuerit, ita demum maniam producere, operam dedi, ut caput aperiendi poteſtatem obtinerem. Qua impetrata in membranis cerebrum inveſtientibus nihil, quod præter naturam eſſet, inventum eſt, hoc ipſum autem admodum ſiccum, atque compactum. Seorſim vero in dextri hæmiſphærii eo margine, qui ſinum duræ matris ſuperiorem, in longum ductum, contingit, duo, digitum tranſverſum lata, ſed paulo longiora, loca erant, in quibus cortex cerebri, etſi non totus, fere calloſus fuit. Hinc ſingulis cerebri partibus examinatis, quas omnes ſanas vidi, tandem ad glandulam pinealem perventum eſt; eaque turgidior paulo, quam ſolet, & inæqualior apparuit; tandem de lapillis vix cogitaſſem, niſi, dum plexum, quo ipſa tota velatur, choroideum lente ſeparabam acies ſcalpelli in lapillum aliquem prominentem obiter incidens, ſonum edidiſſet. Attentius igitur rem examinans, tres in ipſa glandula lapillos, variæ magnitudinis, inveni, quorum maximus piſum minus æquabat. Præter hos dura quædam calculoſa ſubſtantia inerat, quam tamen eximere non potui, quin, ex quibus coaluiſſe videbatur, granula ſecederent, quorum decem numeravi. Tum hæc tum majores illi lapilli flavi aſperique erant, flavedo tamen illa, ubi ſicci facti ſunt, fere evanuit. Præter hæc igitur nihil morboſi in cerebro deprehenſum eſt, ut etiam uterque opticus nervus ſaniſſimus eſſet. Oculos ipſos examinare non licuit. Quo longior in hoc primo exemplo recenſendo fui, eo me breviorem oportebit in ceteris eſſe. Primum illud exemplum mihi ante octo annos occurrebat, alterum, de quo nunc, tribus annis poſt. Vir ſexaginta circiter annorum erat, ſatis, ut videbatur, robuſtus, qui poſtquam varia peregerat, quæ ſanæ mentis hominem ſatis non decent, propter jacturæ alicujus rei familiaris metum vim ſibi laqueo inferre voluit. In quo facinore deprehenſus in carcerem ductus fuit, ubi poſt quinque vel ſex dierum abſtinentiam à cibo potuque, ita periit, ut aliquot horis ante mortem, cujus nulla antea indicia aderant, ſenſuum

ufu

uſu privaretur, & in lethargi ſpeciem incideret. In hujus corpore, quod in theatrum anatomicum delatum fuit, inſolitum prorſus duræ matris cum cranio nexum, præcipue in adverſa & laterali parte, inveni, tum adverſos cerebri lobos, deficiente ibi proceſſus falciformis parte, arcte connatos, & piæ matris proceſſus utrinque, magis tamen in dexteriore latere, præter modum denſos craſſoſ-e. Eadem membrana granuloſam ſed friabilem & molliuſculam quamdam ſubſtantiam accretam habebat ibi, ubi venæ ſinum ſuperiorem duræ matris in longum ductum, ſubingrediuntur, quas pia mater comitari ſolet. Sed hanc quidem ſubſtantiam in multis aliis corporibus inveni. Hinc ubi ad cerebrum ipſum ventum eſt, ventriculi laterales aqua flaveſcente turgidi deprehenſi ſunt, iiſque apertis & fornice ablato, plexus choroideus juſto pallidior apparuit, & glandula pinealis ſolito fere major. Quam ubi proinde attentius examinabam, ſeptem in ea quaſi arenulæ aſperæ inventæ ſunt, quæ glandulæ non procul à baſi inhærebant. Hæc in capite deprehenſa ſunt. In ventre duæ circiter unciæ biliosi humoris effuſæ erant, coloris ex flavo ad rubrum inclinantis, adeoque obſcuri, atque ilei portio cum omento, in dextro latere, cum peritonæi ſacco, in ſcrotum deſcenderat. Eodem anno ſimilem obſervationem de lapillis glandulæ pinealis faciendi occaſio mihi nata eſt. Cadaver militis erat, viginti octo annos nati, qui in flumine ſuffocatus periit, in quod ſe, ut ferebatur, neſcio, quam ob cauſſam, præcipitaverit. Nolo nunc ea recenſere, quæ manifeſti ſuffocationis effectus erant, neque quæ in pectore atque ventre animadverſione digna inventa ſunt, ex quibus nihil fuit, quod vel ſuſpicari licebat, mentis alienationi occaſionem dare potuiſſe. Dubito etiam, an præter glandulæ pinealis mutationem, inter ea, quæ in cerebro vidi, aliquid ſit, quod ad illum animi, ut ſic dicam, morbum, tamquam ad effectum cauſſa, referri queat. Primum vero in exteriore duræ matris facie, qua parte oſſi frontis ſubjacet, à latere ſuperioris ſinus, plura quaſi fungoſa, attamen firma, corpuſcula occurrebant; ſingulis foramen laminæ exterioris duræ matris, tanquam foveola, ita reſpondit, ut per illud partim interiori laminæ inhærerent, partim ſuper illud exſtantia, à totidem cranii foveolis exciperentur, quæ, ut tenuiſſimum ibi cranium eſſet, efficiebant. Ut vero corpuſcula illa, ſic quoque cranii foveolas in permultis vidi, ut proinde non mirer *Pacchionum* alioſque duræ matri glandulas adſcripſiſſe. Per medium corporis calloſi tum ſulcum aliquem, tum à latere ſulci modo unam, modo duas quaſi chordas in longum ductas eſſe, notiſſimum eſt. Tum hæ tum ille in hoc corpore flectuoſe procedebant, & ſulcus potiſſimum hinc inde quaſi deficere videbantur. Thalami nervorum opticorum ſolito anguſtiores inventi ſunt, & canalis à tertio ventriculo ad quartum pertinens, aquæductum *Sylvii*, vel canalem intermedium vocant, ſaltem ibi clauſus, ubi ſub commiſſura cerebri poſteriore, & tuberculis quadrigeminis, vel

potius ante hæc ad ventriculum quartum deſcendit. Partim igitur ad hoc, quod nunquam videram, partim, propter duo priora exempla, ad glandulam pinealem attentus fui. Hanc itaque ſuper corporibus quadrigeminis ad horizontem poſitam, invenio, atque dum ejus interiora rimor, in quinque diſtinctos lapillos incido, qui flavi, & aſperi erant, & quorum maximus milii ſeminis granum fere ſuperabat. Ceterum in ſubſtantia glandulæ, ut in prioribus duobus exemplis, nihil mutatum inventum eſt. Quartum exemplum mihi ante hos quatuor annos occurrit in puellæ cadavere, cujus caput ſaltem ſecandi poteſtas data eſt. Paupercula erat, viginti, quantum accepi, annorum, de qua, antequam moreretur, nihil inaudiveram. Neque multum fuit, quod poſt mortem, ab affinibus expiſcari licuit, parum ut ſolent, in ejuſmodi rebus curioſis, tum de valetudine affinium non multum ſollicitis. Hoc tamen relatum fuit, non triſtem tantummodo, ab aliquot annis, fuiſſe, atque ut plurimum taciturnam, verum etiam aliquoties nemine ſalutato de ſuis, ad aliquot dies aufugiſſe ita, ut deprehenſa iterum ægre ac renitens domum reduceretur, qua occaſione cum etiam de vi loqueretur, quam ſibi illatura eſſet, aut ſaltem ex ejus vultu geſtibuſque affines metuerent, ne hoc faceret, ipſam domi continuerunt ſic, ut ſemper aliquis adeſſet, qui cuſtodem ageret. Sed hoc quidem interdum neglectum eſt, adeoque puellæ quaſi occaſio facta, fuga ſibi conſulendi; quod quia veſpertino tempore fecit, an viam ignorans, an ſtudio, neſcio, in rivum incidit, ex quo tamen ab homine quodam extrahebatur, qui ſtrepitu, quem in aquis faciebat, excitatus accurrit. Hinc ad ſuus iterum delata, atque ob frigus, quo tenebatur, hyems enim erat, in lectum collocata tranquilla per aliquot dies manſit, &, neſcio ſub quibus ſymptomatibus, mortua eſt. Capitis igitur, præcipueque cerebri ſectionem, aggreſſus, in quo nempe aliquid inventum iri, judicabam, quod puellæ mentem alienaverit, utut omnes ac ſingulas ejus partes, magna cum cura atque ſtudio, examinabam, nihil tamen, quod non in ſaniſſimi cujuſque cerebro inveniatur, deprehenſum eſt. Ad morboſa enim referre neque lobos cerebri adverſos, ſuper corporis calloſi averſa parte, inter ſe concretos, ſatis audeo, qualem concretionem memini & in aliis nonnullis, mente non alienatis, etſi fortaſſis leviorem, vidiſſe, neque valvulam cerebri magnam totam cineream, quam in aliis utique ex medullaribus & corticalibus faſciolis, in tranſverſum-ductis, compoſitam invenio. Quo magis autem omnia cum naturali & conſueta harum partium fabrica convenire videbantur, eo diligentius glandulam pinealem examinandam eſſe, exiſtimavi. Quæ etſi non aliter poſita, atque figurata erat, quam ſolet fere in omnibus eſſe, tamen cum illa parte, qua tuberculis quadrigeminis incumbit, tum etiam oppoſita, aut ſuperiore, plana atque compreſſa fuit, & ſolito etiam aliquantum longior. Hinc autem ſecta inventa eſt corpuſculum du-

durum inæquale & aſperum continere, quod grano ſabuli ſimile, adeoque lapillus erat, coloris ad flavum proxime accedentis. Latebat autem in media corticali aut cinerea potius glandulæ ſubſtantia ita, ut baſin ejus medullarem videretur attingere. Quintam denique obſervationem licuit in cadavere viri facere, qui dicebatur quinquaginta quinque annos habere, quique macilenti ſatis habitus erat. Inventus fuerat in ſylva, non procul ab urbe, ex laqueo ſuſpenſus in arbore, neque ulla ſuſpicio erat, mortis ab alio illatæ, qui, quo celaret ſcelus, mortuum ſuſpenderit, ut videretur ipſe ſibi manum intuliſſe. Quod vero ſibi ipſe gulam laqueo fregerit, vero ſimillimum & tantum non certum faciebat hoc, quod aliquot dies ante, eodem circiter loco, deprehenſus eſt in iis parandis, quæ ad hoc facinus patrandum neceſſaria ſunt. Quæ prægreſſa ſint, & quid ipſum eo adducere potuerit, ut vitam ſibi eriperet, de his reſciſcere equidem parum potui. Accepi tantummodo, ſtupidi ſemper ingenii fuiſſe, atque litem habuiſſe cum ſuis ſuper vili quadam re, & quæ nullius quaſi momenti eſſet. Plena mihi libertas erat, mortuum hoc corpus ita diſſecandi, ut ſingulas ejus partes diligenter examinarem. Ventre inciſo, ventriculus inventus eſt præter modum amplus, ſimulque in ſiniſteriore parte multum relaxatus. Contra coli inteſtini inſignis anguſtia erat, quæ medio loco illius partis, quæ fere ante magnam ventriculi curvaturam, in tranſverſum fertur, incipiens, omnem coli ſiniſteriorem partem, atque rectum inteſtinum ipſum occupabat. Sed hoc quidem inter frequentiſſima vitia, etiam eorum hominum, eſt, quibus mens perfectiſſime conſtat, quamvis negare nolim, hypochondriacum malum, quod cum magna, præſertim coli, inflatione conjunctum eſt, atque aberrare interdum mentem leviter facit, perſæpe ab ejuſmodi anguſtia provenire. Ad hæc duo vitia aliud omenti acceſſit, cujus particula in dextro latere, in ſcrotum devoluta erat, quod tamen extus parum apparuit. In pectore nihil inventum eſt, quod hoc ſaltem loco memorandum eſſet. Nemo enim facile crediderit, poſſe pulmonis aliquot nexus cum pleura, aut glandularum bronchialium indurationes, quæ in provectæ ætatis hominibus nunquam fere non ſunt, ad mentis alienationem aliquid conferre; cerebrum quoque, primo intuitu ſaniſſimum fuit, ſi à firmitate recedas, quæ utique tanta erat, ut paulo ſiccius, quam ſecundum naturam, eſſet. Ex partibus cerebri non, niſi tubercula quadrigemina, fuerunt, quæ nempe à naturali ſtatu ita recedebant, ut inferiora, quæ alias ſuperioribus minora inveni, ejuſdem fere ac hæc magnitudinis eſſent. Contra glandulæ pinealis ſitus, figura, magnitudo, nexus atque fabrica naturalis erat, ut non niſi diſſecta ipſa, tres lapilli aſperi atque ſubflavi in conſpectum, prodirent, qui in cinerea glandulæ ſubſtantia hæſerunt, & quorum unus pellucidus fuit. His denique addendum eſt, aliquanto plus aquæ ventriculos cerebri laterales continuiſſe, quam alias ſolent, etſi hic forte

laquei effectus fuerit, qui, vaſa à cerebro ad cor pertinentia comprimendo, effecerit, ut aqua in ventriculis partim hæreret, partim in eos, ſub ultimis cordis & arteriarum ictibus, exprimeretur. Hæ igitur meæ de calculis glandulæ pinealis obſervationes ſunt; quas etſi eo potiſſimum animo propoſui, ut alios ad ſimiles ſive faciendas, ſive jam olim factas publicandas excitarem, quæ vel confirmandis vel convellendis iis inſervire queant, quæ de uſu illius glandulæ propoſita habentur, nonnullas tamen circa hanc rem factas animadverſiones hoc loco ſubjiciam. Earumque prima de natura hujus particulæ erit; quæ etſi parum ſcio à quonam ex diſſectoribus inter glandulas relata ſit, hoc tamen novi, id jam olim à *Galeno* factum eſſe, quem anatomici, uſque noſtram ætatem fere omnes, in hac re, ſequuti ſunt. Idque ab iis factum eſſe, qui ante *Sylvii* & *Stenonis* tempora floruerunt, propterea mirandum non eſt, quia, quidquid de glandulis in univerſum tenebant, non tam ad fabricam earum, ſtructuramque internam pertinuit, quam ad notas aliquot externas, atque de cerebro ita locuti ſunt, ut viderentur duplicem ejus ſubſtantiam non natura, ſed colore tantum diſtinguere. Accedit, medullarem illam particulam perſpectam non habuiſſe, per quam conarium cum lamina vel tractu medullari cohæret, qui à parte thalamorum laterali interiore utrinque procedens, ante tubercula ſuperiora & ſuper commiſſura cerebri poſteriore, quodammodo arcuatus, poſitus eſt. Has vero duas cerebri particulas poſtquam primus, ut videtur, *Sylvius* (*r*), demonſtravit, etſi anatomici poſt hunc omnes, deſcripſerunt, conarium tamen, æque ac antea, in numero glandularum habitum eſt. Primus, quantum ſcio, pro particula cerebri potius, quam pro glanduloſo corpore *Collins* (*s*) habuit, poſt quem *Winslovius* (*t*) de hac particula ita locutus eſt, ut vix pro glandula habere videretur, *Hallerus* (*u*) autem glanduloſam eſſe plane negavit. Contra à *Morgagnio* (*x*) factum eſt, qui etſi nexum conarii cum tractu illo medullari non negat, tamen propter obſervationes quaſdam, in morboſis corporibus, factas, eo inclinat, ut pro glandula potius, quam pro cerebri particula habeat. Atque colorem equidem conarii non tam albidiorem invenio eo, quem corticalis cerebri ſubſtantia habet, quam potius obſcuriorem & à corticis cerebelli colore parum diverſum; neque, ſi eſſet, deſumi inde argumentum poſſet, ad glanduloſam conarii ſubſtantiam probandam. Ut enim non dicam, cerebelli corticem, qui tam ejuſdem ac cerebri cortex, naturæ eſt, colore ab

(*r*) Diſſ. medic. 4 §. 22.
(*s*) Syſtem. Anatom. Lib. 3. c. 45.
(*t*) Loc cit. N°. 82. ſq.
(*u*) In Not. ad Boerhaavii Prælect. Academ. Vol, II. p. 658. r.
(*x*) Loc. cit.

Digitized by Google

ab hoc ſatis differre, glandulæ totius corporis diverſiſſimi coloris ſunt, & nullæ ex illis admodum albicantis. Dubito etiam an multum tribui illi argumento poſſit, quod ab aqua deſumitur, qua conarium in multis, non aliter ac reliquæ plexus choroidei glandulæ, turgidum fuerit. Nam ut ceteras fere omnes corporis humani partes, ſic vel ipſum corticem cerebri memini aqua turgidum vidiſſe, atque fere illis accedo, qui, quas illi pro glandulis plexus choroidei habent, ad hydatites referunt. Sed *Morgagnius* etiam quoſdam quaſi loculos in conario invenit, qui, cum in naturali ſtatu, ne quidem in maximis glandulis, in conſpectum veniant, debuiſſent utique concretam ibi materiam continere, cujus tamen *Morgagnius* non meminit; fortaſſis igitur voluit lobulos nominare, in quos memini conarium aliquando leviter diſtinctum vidiſſe. Quos, ſi verum eſt, glandulas conglomeratas conſtituere; conarium ſaltem inter conglobatas referri non poterit, ſed poſſet hæc obſervatio potius ad confirmandam eorum opinionem aliquid valere, qui, ut cetera fere viſcera, ſic quoque cerebrum, pro glandula habent, modo externus habitus naturam glandulæ conſtitueret. Graviſſimum vero argumentum videtur id eſſe, quod à calculis, in conario concretis, deſumtum eſt, quodque movere me hanc de natura conarii quæſtionem fecit. Videntur enim ejuſmodi concretiones loculorum vel folliculorum præſentiam probare, in quo, qui *Malpighium* ſequuntur, naturam glandulæ in univerſum ponunt. Attamen ne his quidem plena ad probandum vis eſt. Ut enim id omittam, quod per innumeras obſervationes confirmatum eſt, ſi oſſa, & cartilagines fortaſſis excipias, nullam corporis humani particulam eſſe, in qua non lapidoſæ concretiones fiant, illæ etiam partes, quæ vulgo pro glandulis habentur, rarius fere ceteris, talem mutationem patiuntur; quod diſci ex obſervationibus à *Wincklero* (*y*) collectis poteſt; neque videtur conarium cum bronchialibus glandulis adeo convenire, ut, quia ex adultis fere nemo eſt, qui non harum glandularum aliquot lapidoſas habeat, colligi inde queat, debere conarium glanduloſæ ſtructuræ eſſe; in renibus etiam, quos permulti inter glandulas referunt, utut frequentiſſime in iis calculi naſcantur, tamen in corticali ſubſtantia, in qua vulgo glaudulæ poni ſolent, vix unquam calculus inventus eſt, ſæpiſſime in tubuloſa parte & infundibulis, in quibus partibus ne quidem *Malpighii* aſſeclæ glandulas ponunt. Quodque maximum eſt, permulta hominum exempla habentur, in quorum cerebro lapilli inventi ſunt. Quæ etſi tam negligenter deſcripta habentur, ut auctorum, quantum ſcio, nullus medullarem ſubſtantiam à corticali diſtinxerit, atque ipſe olim Pariſiis cerebrum pueri ſecui, in cujus medullari ſubſtantia undeviginti globuli, quaſi ex pulte parati, diſperſi hærebant, quorum alii piſum majus æquabant alii ſuperabant; tamen quia etiam corticem cerebri

 indu-

(*y*) Diſſert. de vaſor. C. H. Lithiaſi p. 25. Gotting. 1747.

Digitized by Google

induratum calloſumque vidiſſe memini, inter illa de cerebri lapillis exempla fuiſſe non dubito, in quibus cortex etiam ſedes mali fuerit. Accedit præternaturales illas concretiones in univerſum frequentius, ac fere ſemper in celluloſo contextu fieri, qui inſignior ſine dubio in cortice cerebri eſt, quam in medulla. In exemplis autem à me viſis lapilli ſemper in ea parte glandulæ pinealis hærebant, quæ cortici cerebri non abſimilis eſt. Supra de nexu conarii cum tractu ſeu lamina medullari thalamorum arcuata dictum eſt; qui cum nonniſi tunc videatur per duos pedunculos vel nervulos, ut alii dixerunt, fieri, quando conarium levatur, atque retrahitur, dubito equidem an non dici potius debeat baſis ejus medullaris tota tractui illi medullari proxime adhærere, quæ videtur etiam *Stenonis* (z) ſententia fuiſſe. Iſque etſi conarium oblongæ paululum figuræ eſſe oſtendit, impedire tamen non potuit, quo minus à *Williſio* (a) magiſque à *Vieuſſens* (b) &, qui hos ſequuti ſunt, anatomicis rotundum deſcriberetur & pingeretur. Ut hos errores partim mollities conarii partim arctior cum plexu choroideo nexus peperit, ita per hunc quoque fortaſſis factum eſt, ut plures, ex noſtræ etiam ætatis diſſectoribus, conarium ad perpendiculum fere poſitum eſſe ſcriberent; ſi enim plexus ille caute lenteque ſeparatur, conarii baſis videtur ad partem cerebri adverſam converſa eſſe, apex vero ad averſam. Hactenus de fabrica conarii; ſupereſt, ut de uſu hujus particulæ aliqua proferamus, quæ ſaltem monere naturæ humanæ ſcrutatores poſſint, ut plura ſuper hac re experimenta capiant. Neminem fugiet, qui conarium pro glandula habuerunt, partim hunc ipſi uſum tribuiſſe, ut vaſa & plexum choroideum ipſum firmaret, vel in ventriculis lateralibus contentam aquam in ſe reciperet, & tamquam janitor aperturam cerebri poſteriorem quodammodo clauderet, quæ veterum maxime opiniones fuerunt, partim vero exiſtimaſſe, lympham cerebri in ipſo ſecerni. Quæ omnia quam longe à veritate abſint, patere ex illis poteſt, quæ ſupra de fabrica conarii diſputata ſunt. De eo potius videamus, quod *Carteſius* propoſuit, mentem in conario reſidere. Quod ſi nude propoſuiſſet, effeciſſet fortaſſis, ut naturæ ſcrutatores in fabricam conarii diligentius inquirerent, contra dum explicare etiam volebat, qua ratione mens omnes actiones ſuas in conario exerceat, adque hunc finem machinam ſibi quamdam fingebat, confutandi rejiciendique illam hypotheſin de glandula pineali occaſionem nacti ſunt. Unus *Stenonius* (c) eſt, qui *Carteſii* machinam ab humano cerebro plurimum diſcrepare oſtendit, ceteri omnes contra modum diſputarunt, quo mens actiones ſuas exerceat, eoque aſſeclas *Carteſii* potius confutarunt, quam hunc ipſum. Nolo jam de ſingulis argumentis agere, quibus Carteſianorum ſententiam impugnarunt, ſufficiet de eo videre, quod à morbis ac læſionibus conarii deſumtum fuit.

(z) Diſcours ſur l'Anatomie du cerveau p. 20. Paris 1669. 12.
(a) Cerebri Anat. fig. 3. F. fig. 4. G.
(b) Loc. cit. fig. 7. H. fig. 8. G. fig. 9. e.
(c) Loc. cit. p. 14. ſqq.

fuit. Atque hic utique argumento in univerſum maxima vis ineſt, modo id ejuſmodi obſervationes præbeant, in quibus præter illam, de qua quæritur, partem, nullæ aliæ læſæ aut per morbum mutatæ inventæ ſunt. Sed in hoc quidem plurimi peccant. Quare ut ſeorſim de conarii uſu videamus, doleo equidem, non paucas ex illis obſervationibus, quæ apud auctores de morbis conarii habentur, ita comparatas eſſe, ut uti ipſis plane non liceat. Atque ſi vellem per experimenta quærere, quantum poſſit, *Carteſii* opinioni de mentis in conario ſede tribui, primum equidem eorum obſervationes rejicerem, qui hanc particulam in hydrocephalicis abfuiſſe ſcribunt (*d*), aut ſaltem fatentur, ſe, an vere abfuerit, an errore ablata ſit, dicere plane non poſſe (*e*). Vix *Kerckringii* (*f*) obſervationem admitterem, qui in juvene quatuordecim annorum, ſomnolento per omnem vitam, & capite obtuſo, glandulam pinealem non vidit, aut vix ſaltem ad *Carteſii* opinionem confirmandam uterer, quia in eodem puero calculus in cerebri ventriculo repertus eſt. Neque multum me *Muralti* (*g*) experimenta, et a *Lentilio* (*h*) confirmata, moverent, in quibus animal uno ictu trucidatum eſt, ſtilo ad glandulam pinealem adacto; præterquam enim quod hoc experimentum, quomodo ſine aliarum partium cerebri læſione fieri potuerit, animo non comprehendo, non quæ vitæ ſedes ſit, eam quoque mentis domicilium eſſe, ſequitur. Qui vero contra *Carteſium* dixerunt, maxime illis obſervationibus uſi ſunt, ſecundum quas lapilli in glandula pineali concreverunt. Ut igitur has potiſſimum examinemus, ex omnibus illis, quæ de hac re habentur, quarumque tantum non omnes ſuperius allegavi, *Cockii* tantum atque *Nuckii* ſunt, ſecundum quas mente alienati illi homines certe non fuerint, in quorum conario hæc mutatio inventa ſit. Atque ex his quidem *Nuckii* teſtimonium rejicere aliquis propter hoc poſſet, quia *Carteſio* infenſus fuerit. Neque fortaſſe illa *Schuylii* obſervatione multum moveretur, qui dum dicit, moriendum homini non fuiſſe, quia calculus conarium ita occupaverit, ut in altero latere integrum maneret, non videtur mentis, cujus non meminit, ſed vitæ domicilium hic poſuiſſe. Ex reliquis obſervationibus etſi multæ tum in univerſum negligenter nimis, tum vero ita factæ ſunt, ut cum nihil fere de illis adderetur, quæ mortem prægreſſa ſunt, uti illis, neque ad revellendam, neque ad confirmandam *Carteſii* ſententiam, poſſimus, tamen non paucæ habentur, quæ huic ſententiæ vel ex parte vel omnino favent. Ex prioribus illa *Graafii* eſt, in virgine facta, quæ olim capitis dolore vexata fuerat (*i*), tum altera *Petermanni*, etiam in virgine facta (*k*), quæ ante mortem toto cor-

(*d*) Qualis eſt obſervatio *Alard Herm. Cummii* in Miſcell. N. C. Dec. I. An. I. obſ. 47. & *Cockii* à *Kerckrwych* loc. cit.

(*e*) Hoc à *Paiſenio* factum eſt Miſcell. N. C. D. I. An. IV. & V. obſ. 196.

(*f*) Spicileg. Anat. obſ. 35.

(*g*) Vid. Miſcell. N. C. Dec. II. An. II. obſ. 29.

(*h*) Ibid. An. IV. obſ. 156.

(*i*) Miſcell. N. C. Dec I. A. I. obſ. 127.

(*k*) Loc. cit. obſ. 10.

Digitized by Google

corpore convulſa eſt, & omnem ſenſum motumque voluntarium perdidit; neque non illa *Gipſei* apud *Contulum* in ægro ex continua cephalalgia denato. Ejuſdem generis videtur ea eſſe, quam *Wepfferus* (*l*) in infanticida, *Brunnerus* in capite plexo, & *Barbeckius* quoque in infanticida fecit, tanquam in ejuſmodi hominibus, quos ſaltem ſuſpicari licet, mente alienatos fuiſſe. Quod etiam de illo valere poteſt, quem *Laubius* ſecuit. Ad confirmandam vero Carteſianam ſententiam facit ea, quam *Mauchartus* publicavit; in quo enim glandulam pinealem invenit, in calculoſo-ſabuloſam ſubſtantiam concretam, fatuus erat, tum vero maxime illa *Edmundi Kingii*, qui, in quo eundem morbum invenit, omnibus rationalibus facultatibus deſtitutum fuiſſe ſcribit. Addi etiam his poteſt, quod *Anhornius* (*m*) in maniaco vidit, conarium nempe ſolito firmius atque ſolidius, tumque in balbutiente atque fatuvo, quæ *Lancifii* obſervatio eſt, adeo exile ut vix cannabinum ſemen æquaret; quæ obſervatio videtur propterea magnum pondus habere, quia in ea diſſertatione habetur, in qua *Lanciſius* ſedem animæ cogitantis in corpore calloſo ponit (*n*). Atque ceteris quoque auctoribus fides eo magis haberi poteſt, quo minus *Carteſio* addicti fuerunt. His demum meæ obſervationes addendæ ſunt, quæ videntur ad Carteſianam hypotheſin confirmandam plurimum valere. Non enim mente tantum alienati illi fuerunt, in quorum glandula pineali lapilli inventi ſunt, verum etiam tanto magis à ratione aliena, eique contraria fecere, quanto plures, majoreſque in ea glandula lapillos habuerunt, quibus mentis actiones videntur quaſi prorſus interceptæ fuiſſe. Nihilo tamen ſecius aliqua ſunt, quæ ut plena ipſis ad probandum vis non inſit, efficiunt. Præterquam enim, quod non in ſingulis quinque exemplis, omnes totius corporis partes attente examinare potui, inventa etiam, præter glandulæ pinealis mutationem, nonnulla ſunt, quæ credi fortaſſis poſſent, mentem, æque ac calculi illi, turbaſſe. Et hoc quidem in primo exemplo credere aliquis tum de ſiccitate cerebri, tum de calloſitate corticalis ſubſtantiæ poſſet, maxime ſi maniaci illius recordaretur, in quo, *Boneto* (*o*) auctore, cerebrum in ſuperficie flavum & ſiccum inventum eſt. Similis ſuſpicio, in altero exemplo, de proceſſibus piæ matris, de ventriculis cerebri aqua turgidis, tumque de hernia ſcrotali oriri poſſet, atque in tertio de *Sylvii* aquæ ductu. Quorum omnium etſi nulla etiam ratio habenda eſſet, hoc tamen negligi nullo modo poteſt, à *Nuckio* (*p*) potiſſimum plane affirmatum eſſe, ſe quatuordecim calculos in glandula pineali hominis inveniſſe, qui, dum vixerit, non minus, ut ait, ingenioſus fuerit, quam quorum glandula naturaliter diſpoſita. Tum enim nimis durum eſſet, hanc obſervationem negare velle, tum quoque intelligi non poteſt, quomodo conſ-

(*l*) De cicut. aquat. p. 116.
(*m*) Vid. Miſcell. N. C. Dec. II. An. VI. obſ. 234. p. 547.
(*n*) Oper. Tom. II. p. 107.
(*o*) Sepulchr. Anat. p. m. 290.
(*p*) Loc. cit.

conſtare homini mens potuerit, in cujus glandula pineali tot lapilli hæſerint, ſi vere mens in ea reſideat. Quare cum omnes hæ obſervationes neque ad redarguendam *Carteſii* opinionem, neque etiam ad eam confirmandam plane ſufficiant, exhortandi quam maxime medentes in univerſum ſunt, ut quotieſcunque mente alienatorum corpora ſecandi occaſionem nacti fuerint, ita in glandulæ pinealis ſtructuram inquirant, ut ſimul, quidquid in cerebro, aut in aliis viſceribus, præter naturæ ordinem, invenerint, accurate annotent. Ex pluribus enim utilitatibus, quas videtur certa cognitio ſedis mentis, atque etiam earum mutationum corporis, per ſua ſigna, habitura eſſe, quæ mentis actiones turbant, hæc una medentes ad illud ſtudium excitare debet, quæ ſe in eo loco medicinæ forenſis oſtendit, in quo de melancholicis & furioſis quæritur.

F I N I S.

XVI.

ABRAHAMI VATER

DE

PLICA POLONICA RARISSIMA

PROGRAMMA.

Witteberg 7. Febr. 1748.

INter affectus quidem rariſſimos in noſtris regionibus pertinet, qui plica a complicatione capillorum præternaturali appellatur, & polonica, quoniam in Polonia frequentiſſima & endemia obſervatur, audit. Hæc non tantum in capite, verum etiam in barba aliiſque corporis locis, ſub axillis, & in ipſis inguinibus & pudendis ab autoribus obſervata fuit, ipſis ne quidem brutis, equis atque canibus, ab ea liberis exiſtentibus. In hujus productione notatu præprimis dignum eſt, eandem quandoque adeo ſubito oriri, ut illam unica nocte generatam fuiſſe obſervaverint. Hæc etiam eſt cauſa, quamobrem eandem non cauſis naturalibus ſed incubo, aut ipſi diabolo adſcripſerint. Differt autem plica ratione numeri, ſiquidem interdum plures contorti cirri hinc atque inde a capite inſtar caudarum glirium pendentes, quæ mas dicitur, obſervantur: interdum autem omnes capilli contorti & complicati, pileum quaſi villoſum, totum caput cingentem, aut mitram repræſentant, quam fœminam appellant, quarum illam mitiorem, & frequentiorem, hanc rariorem & contumaciorem æſtimant. De quo *vid. obſ. D. Simonis Schulzii* de plica explicata, quæ habetur *in miſc. nat. curioſ. dec. 1. annot. 6. & 7. obſ. 138. p. 190. ſqq.* Magnitudine itidem variat quammaxime plica, quæ diverſa eſſe ſolet. Non poſſum non hic commemorare plicam illam enormem, quam Cl. Dn. D. Floercke, Principis Radzivil antea Archiater, nunc Conſiliarius Aulicus Regius ex Polonia ſecum attulit, mihique videndam præbuit, antequam eandem Regio Tameo traderet. Hujus hiſtoriam tunc temporis ad Regiam ſocietatem Londinenſem miſi, quæ dignà judicata fuit, ut *Tranſactionibus philoſophicis* infereretur, cum icone ſimul tranſmiſſa feminæ plicam geſtantis, quæ eadem adhuc vivente delineata fuit, quam ex *Tranſactionibus* dictis deſumtam in *Commercium litterar. Norimbergenſe* tranſtulerunt. Quoniam uterque liber in paucorum manibus eſt, non ingratum fore ſpero lectori, ſi hiſtoriam hic adjecero. *Femina ruſtica in Polonia, in terris Principis Radzivil, anno ætatis decimo quinto viro nupta, incidit decimo octavo in morbum Poloniæ endemium,*

qui

qui Plica Polonicaa capillo inenodabili vocatur. Hanc plicam per quinquaginta annos femina geſtavit, ac per totum fere illud tempus dolore arthritico & contracturis, tandemque maraſmo univerſali corporis afflicta, lecto affixa fuit. tandemque ſenio confecta, anno ætatis 78. diem ſuum obiit. Erat autem plica quatuor ulnas longa, palmum lata, duoſque pollices craſſa, ſed altero tanto longior foret, niſi magna ejus pars, temporis, quo ægra decubuit, diuturnitate, referente laudato *viro, ſqualore & attritu conſumta fuiſſet.* De hac plica Cl. *Kleinius*, Secretarius Dantiſcanus ad Baronettum *Sloane*, tunc temporis dictæ ſocietatis Præſidem, ſingularia quædam perſcripſit, quæ itidem in doctis *Tranſactionibus* conſignata atque inde in *Commercium litterarium* translata leguntur. *Vidi plicam hanc Dreſdæ; notatu autem dignum eſt, feminam hanc per 52. annos, quibus malo illo laboravit, non niſi bis in anno habitationem mutaſſe, vere ſcilicet ac hieme. Hac adveniente frigoris adeo patiens fuit, ut nullum calorem, ne quidem illum candelæ accenſæ, ferre poſſet. Neque unquam liquore uſa fuit fortiori, ſed pane male parato, herbis crudis & aqua, ad ſeptuageſimum uſque ætatis annum, victitavit. Verno tempore talem in locum transferri ſolebat, ad quem calori difficilis erat aditus. Tandem ante duos fere annos e vivis exceſſit.* Cui placet, conferre poteſt *philoſophical Tranſactions Vol.* 37. *nro.* 417. 7. & *n.* 426. 3. & *commerc. litterar. phyſico-techn. med. anno* 1737. *hebd.* 1. *p.* 7. & 1734. *hebd.* 12. *p.* 415. In dictis *Tranſactionibus nro.* 8. judicium additur, quo aſſeritur, plicam ad morbos nullatenus eſſe referendam, ſed potius effectum eſſe ſordidæ vivendi rationis in Polonia uſitatæ, dum nec capillos comunt, nec aqua caput abluunt; idque confirmatur teſtimonio Anonymi in litteris ad Linckium Lipſienſem datis, & ex *annalibus Breslavienſibus anno* 1724. *art.* 17. *menſ. Auguſto p.* 126. huc translatis, qui ſimul addit, ſe virum vidiſſe, qui propter 70. plicas, laqueorum inſtar e capite pendulas, caput Meduſæ repræſentaverit. Contrarium tamen autores medici defendunt, & plicam morbis, ex intemperie humorum maligna oriundis, accenſent. Teſtantur id quoque morbi a reſecta improvide Plica ab autoribus obſervati, & ipſa conſtitutio morboſa feminæ noſtræ, Plica laborantis. Propterea tamen nullatenus inficias ibimus, multum neglectam capillorum culturam tribuere poſſe.

F I N I S.

Digitized by Google

GEORGII

Digitized by Google

XVII.

GEORGII FRIDER. STABEL

ET

STEPHANI MACKII

DISSERTATIO.

EXHIBENS SINGULARES OBSERVATIONES

DE

PLICA POLONICA.

Halæ menſ. Octob. 1724.

Digitized by Google

PROOEMIUM.

PErnicioſiſſima & generi humano maxime inſenſa tria hæc morborum genera jure vocari poſſunt, quæ mediante contagio ex aliis mundi partibus in Europam ſive transferuntur, ſive translata fuerunt & contagio propagantur; quippe quæ nocendi vi, ſive virulentia, reliquos fere omnes morbos, quibus corpora noſtra affliguntur, ſiue dubio longe ſuperant. Ex his primum eſt hoc mali genus, quod peſtilentiæ veræ nomine venit, & quod ex Oriente, maxime Ægypto, Barbaria, Syria, Græcia, Valachia & hiſce vicinis locis, ubi veluti domeſticum ac fere perpetuum eſt, conſenſu omnium fere medicorum modernorum, unice per contagium in Europam tranſfertur, dum miaſma hoc virulentum hominibus aut rebus etiam aliis, quæ propter mollitiem ac pororum copiam ad recipiendum ac retinendum illud aptæ ſunt, ibidem communicatur, & ad noſtras oras cum hiſce defertur, ubi ſæpius brevi tempore venenum hoc ſubtiliſſimum penetrantiſſimum, non tantum ex uno ſubjecto in aliud, ſed etiam ex uno loco in alium, ex una regione in aliam, migrat ac propagatur, atque tum nonnunquam, divina ſic concedente juſtitia, populoſiſſimas quoque urbes celerrime funeribus exhaurit, uſque dum tandem ſerpendo elangueſcat & affligere deſinat. Alterum valetudini ac vitæ humanæ ſumme adverſum atque moleſtiſſimum malum eſt Neapolitanum, quod alias lues vocatur venerea. Hocce quod fuerit advectum primum ex Indiis occidentalibus per infectum Chriſtophori Colnmbi exercitum in Europam, & quidem primum in Hiſpaniam, poſtea vero in Italiam, & inde per Galliam, Germaniam cæteraſque Europæ partes propagatum, nec ulli forte jam eſt ignotum; quam crudeliter vero venenum hoc venereum miſeros homines, quorum corpora intrat, excruciet, quam peſſimos atque periculoſos ſæpius hoc effectus ſive operationes præſtet, quando cum variis corporis humani ſuccis commiſcetur, quam diverſimode, quam frequenter, ſontes æque ac inſontes, palam non tantum, ſed etiam clanculum, ſub ſpecie aliorum morborum, virus hocce affligat, prudentes & attenti medici optime norunt; ita ut clandeſtina generis humani peſtis, jure lues hæc vocari etiam poſſit. Idem enim, quamvis tardius ac mora, quam quod prius malum celerrime præſtat, dum continuo hoc durat, ſucceſſive magis magiſque propagatur, & nuſquam locorum ceſſat. Tertium quod hiſce accedit eſt malum illud Polonicum, quod communi nomine plica nominatur Polonica. Hocce itidem prius quidem in Podoliam, poſtea vero in reliquam Poloniam, eſt nunc quoque in alias vicinas regiones, præſertim in Hungariam atque in Sileſiam ſuperiorem, aliaſque etiam oras, contagio eſt delatum atque propagatum. Cum itaque inquinamentum hoc contagio-

Digitized by Google

tagioſum diverſimode corpora humana intret, variis ejuſdem humoribus immiſceatur, tam perniciosos atque funeſtos ſæpius in variis præſtet effectus, & tam longe lateque jam virus ſuum diffundat, præterea palam non tantum, ſed etiam clanculum, ſub larva aliorum morborum vim ſuam exerceat, uti per plures annos ibidem locorum *Experient. Du. Præſes* ſedula obſervatione annotavit, & denique etiam indoles ipſius & effectus inde reſultantes haud accurate explorati, neque ſatis cogniti ſint; non inutilem ſane nos ſuſcepturos eſſe laborem confidimus, ſi hujus mali naturam & cauſas examinaverimus, methodumque ac media indicaverimus, quibus hoc ipſum non tantum cognoſci, ab aliiſque morbis diſtingui, ſed etiam, qua ratione tuto ac prudenter tractari, imo feliciter exſtirpari poſſit. Quoniam itaque de re ardua generique humano maxime utili nobis agendum eſt, ante omnia Deum T. O. M. ardentibus invocamus precibus, ut hoc in labore mentem noſtram in omnem veritatem dirigat, cujus ipſe unicus fons eſt & auctor.

OBSERVATIO I.

Per plicam Polonicam, quæ Polonis Koltun ſive Koltek, aliis etiam Goſc, Germanis autem Wichtel-Zopff, *ſive* Weichſel-Zopff, *audit, id mali genus intelligimus, in quo, poſt ſpecificum quoddam inquinamentum contagioſum, corporibus humanis diverſimode communicatum, non tantum fluidæ & ſolidæ partes, plus vel minus, graviter læduntur aut corrumpuntur, ſed etiam functiones œconomiæ humanæ vario modo turbantur, ſpeciatim vero ſimul crines hocce conſpurcati, in cirros & funiculos, diverſæ figuræ ac longitudinis, conglutinantur & concreſcunt.*

Diſtinguendum itaque probe hoc malum eſt ab aliis complicationibus pilorum, quæ nonnunquam à cauſis quibuſdam oriuntur externis, præſertim à neglecta pectinatione, ab immediata applicatione inviſcantium &c. quippe, quas nulli alii effectus, ſive pernicioſi, ſive etiam ſalutares, adeo notabiles ſequuntur. Diſtingui etiam probe debet ab aliis morbis, quibus cum nonnunquam convenientiam aliquam ratione indolis ac ſymptomatum habet, v. g. à ſcorbuto, à cachexia, à lue venerea, à tinea capitis &c. uti poſtea indicabimus, quoniam ab illis non tantum ratione cauſſarum, ſed etiam ratione invaſionis, indolis, effectuum primariorum, ſive ſymptomatum, & ſecundariorum, nec non ratione methodi medendi, multum diſtat. Præterea in eo etiam ab aliis differt malis, dum in Polonia hocce eſt endemium, ubi nempe plurimi non tantum eodem affliguntur, ſed ubi continuo etiam per aliquot jam ſecula illud graſſatur, reli-

Digitized by Google

reliquis vero in regionibus unum vel alterum tantum ſucceſſu temporis corripuit.

OBSERVATIO II.

Malum hoc ſpeciale chronicum, ex Indiis orientalibus per Tartaros; qui in Poloniam irruperunt, in hanc regionem circa annum 1687. *contagio fuit translatum.*

Unanimiter veteres, qui de malo hoc ſcripſerunt, illud confirmant; quamvis de tempore diverſas foveant ſententias, *Vid. Joachim. Paſtorius in Floro Polon.* & *Eberh. Gockelius in Gallic. Medic. pract. &c.* Adeoque minus audiendi ſunt iſti, qui originem hujus mali à cauſis domeſticis derivant, & ab antiquiſſimis jam temporibus morbum hunc in regione iſta notum fuiſſe ſtatuunt, multo minus attendenda eſt fabula *Joh. Prætorii*, quæ in *nova mundi deſcriptione* recenſetur, de ſpectro plicato, quod ad Jacobum IV. Scotiæ Regem in templo acceſſerit &c. quippe qui plures tales pro veris memoravit hiſtoriis.

OBSERVATIO III.

Malum hocce unice nunc propagatur per inquinamentum quoddam ſpecificum contagioſum, quod jamjam aliis corporibus communicatur, (1) dum hocce corpuſculis tenellis in utero matris, hoc malo afflictæ, mediante ſucco nutritio quaſi implantatur; (2) dum alii immediate hoc inficiuntur, quando nempe quidam proxime cubilibus, miaſmate tali conſpurcatis, corpus, inprimis caput, ſuperimponit, vel quando alii in eodem lecto proximius cum plicato tali dormiunt, vel quando alii etiam caput cum pileo aut mitra tali tegunt, ſub qua hoſpes ejuſmodi ſuum habuit hoſpitium.

Multos non tantum infantes cum talibus funiculis, ſive plicis, ex utero prodiiſſe, ſed quam multos etiam, dicto modo per illud inquinamentum infectos, & præter omnem aliam datam cauſſam hoc malo correptos fuiſſe, *Experient. Dn. Præſes* ſedula & firma experientia edoctus confirmat. Præterea vero communi ſuffragio incolarum hujus regionis veritas ſententiæ noſtræ corroborari poteſt, quippe qui malum hoc contagio, & quidem dicta ratione propagari, omnes quidem concedunt, diverſæ autem hujus inquinamenti operationis cauſſas aut ignorant, aut fingunt.

OBSERVATIO IV.

Reliquæ cauſſæ, quæ à variis aliis, præſertim medicis, accuſantur, ad generationem hujus mali in Europa nihil, ſive mediate, ſive immediate, contribuunt, ſed tantum in infectis ad diverſimodam effectuum modificationem, uti poſtea examinabimus, faciunt.

Quicunque enim hiſce in locis accurate propagationem hujus mali obſervabit, facile cognoſcere poterit. (1) Quod malum hocce ſine diſcrimine adoriatur homines cujuſcunque ætatis, ſexus, ac conſtitutionis, morbidos non tantum, ſed etiam ſanos, in quibus omnes functiones naturaliter, ac legitime perficiuntur; quod tamen fieri non deberet, ſi diſpoſitio quædam morbida certa, ſive cauſſæ illæ internæ, à quibus alias morbi hujus origo derivari ſolet, ad geneſin hujus mali quocunque modo facerent. (2) Quod in locis nonnunquam ſalubribus, quæ optima gaudent aëris temperie, uti v. g. Bilicium in ſuperiori Sileſia, tam multi, imo forte plures, hoc malo corripiantur, quam in aliis inſalubribus, humidis, uvidis, non procul inde diſſitis; adeoque vana etiam eſt hæc cauſſa, quando vitium quoddam aëris accuſatur. Neque miaſma hoc mediante aëre ex uno ſubjecto in aliud, uti in peſte, transfertur; tantæ enim non eſt ſubtilitatis, ut exhalationes iſtæ per aërem longe lateque diſpergi poſſint, adoque nemo etiam exempla talia proferre poterit, quibus alium, præter dictum communicandi modum, propagationis hujus inquinamenti, demonſtrabit, præterea multæ ſunt domus, in quibus plurimi hoc laborant malo; & reliqui non tantum illarum, ſed etiam proxime adjacentium domiciliorum incolæ, per longum tempus ſæpius manent, vel manſerunt ab eodem immunes. (3) Quod multi heluones, qui ſpiritus ardentes, aut alium potum ſpirituoſum largiter ſatis ingerunt, hoc malo quandoque quidem corripiantur, quandoque vero etiam multi illorum plane ab eodem liberi maneant. (4) Quod loca quædam ſint, in quibus incolæ ſolam ex flumine Viſtulæ bibunt aquam, quorum tamen nullus unquam plica laboravit; multa vero etiam dentur loca, in quibus homines, ibidem degentes, hanc aquam neque guſtarunt unquam, nihilominus tamen ſæpius hoc malo corripiantur; adeoque dictæ non tantum cauſſæ, ſed etiam reliqua populorum iſtorum diæta, effectus tales minime præſtant. (5) Quod contra omnem ſanam rationem, ſive animi pathemata, ſive nimius ſomnus, ſive nimiæ vigiliæ, ſive nimius corporis externus motus, ſive etiam incantationes, pro mediatis, aut immediatis hujus mali habeantur cauſis. Itaque merito concludimus, quod neque ulla dictarum cauſſarum per ſe immediate, neque omnes, aut plurimæ collectim ſumtæ, ad producendum hoc mali genus hiſce, & aliis

Eu-

Europæ in locis quicquam conferant, ſed quod unice jam in iiſdem per contagium hoc propagetur.

OBSERVATIO V.

Cujus indolis ſpecificæ ſubtile hoc inquinamentum ſit, vix determinari quidem ita accurate poteſt; ex effectibus autem quibuſdam, quos in corpore humano præſtat, concludere licet, quod ſalino-ſulphureæ acris ſit indolis.

Omnes enim fere illius effectus de indole hac teſtantur; hinc, quando cuti, qua caput tegitur, communicatur, porrigo oritur, conſtrictio illius ſequitur, unde larga ſudoris glutinoſi tum ex hac fit promanatio: ad pericranium & ad alias capitis membranas delatum, ſpaſmodicam illarum inducit criſpaturam, unde dolores capitis, irregulariſque per vaſa cerebri oritur humorum circulatio, imo convulſiones nonnunquam accedunt, quando nimirum meninges occupat, & ſic in reliquis etiam ſenſibilibus membranaceis partibus, uti poſtea examinabimus. Præterea humores ſeroſo-lymphatici inde non tantum nimis viſcidi, ſed acriores etiam fiunt, cartilagines & oſſa eroduntur, friabilia & fragilia redduntur, imo quandoque conſumuntur &c.

OBSERVATIO VI.

Cum itaque tam diverſiſſimi in corpore humano hujus inquinamenti ſint effectus, quos plurimi quidem admirantur, rationem vero illorum vix percipiunt, vel intelligunt; itaque ut diſtinctius illi proponantur & ſpeciatim ſinguli examinentur ſumme neceſſarium eſt.

Certe medicus, qui differentiam hanc bene cognitam non habet, neque in diagnoſi, neque in prognoſi, quicquam certi ſcire aut ſtatuere poteſt; multo minus, quid hoc in malo agendum, vel omittendum, aut quibus remediis, quaque methodo medendi malo huic ſuccurrendum ſit, percipere unquam valet.

OBSERVATIO VII.

Differunt itaque effectus hujus inquinamenti (1) ratione modi communicationis; alii enim obſervantur oriri effectus, quando immediate per contagium externum, alii, quando embryoni in utero materno hoc miaſma communicatur.

Sedula profecto didicimus obſervatione, venenum hocce per hæreditatem infantibus communicatum, multos ſæpe per annos delituiſſe, & ſine notabili noxa cum maſſa ſanguinea permixtum, atque partibus illius gelatinoſis aut oleoſis involutum manſiſſe; inprimis quando diætam ac vitæ regimen juxta regulas, quæ ad conſervandam ſanitatem in genere proficuæ ſunt, prudenter, ac circumſpecte obſervarunt, adeoque in aliis vix ullos adeo notabiles, in aliis, non niſi poſt multos annos demum, perniciofos effectus ſecutos fuiſſe novimus.

HISTORIA I.

Sic uxor Kobielæ cujuſdam ruſtici viginti annorum, per totum vitæ tempus vix ullum morbum experta, robuſta ac ſana, ſine manifeſta quadam cauſa tandem dolore lancinante capitis, & artuum continuo per totum annum torquebatur, poſtea in faucibus ac naribus oriebantur ulcuſcula ſordida, manus vero & pedes occupabant nodi ac tubercula dura paſſim diſperſa. Implorabat hæc prius auxilium balneatoris hujus loci, qui remediis mercurialibus tam internis, quam externis, malum hocce exſtirpare conabatur; ſed fruſtra ac male: paucos enim intra dies narium non tantum oſſa ſquamoſa, ſed etiam uvula, corruptione putredinoſa ferme erant conſumta, reliquaque ſymptomata magis magiſque augmentabantur, eaque propter meum poſtea implorabat auxilium. Examinavi tum reliquas circumſtantias, inquinamenti venerei ſuſcepti nulla aderat ſuſpicio, ex matre plicata fuerat nata, ſingulis fere noctibus ex capite ſudor manabat viſcidus, phantaſia quodammodo corrupta, & appetitus depravatus erat, ungues apparebant ſcabri &c. ideoque ſequentem adhibui methodum medendi. Primo ordinavi hoc decoctum incidens & laxans ſingulis diebus ad unciam cum dimidia ſumendum v. g. Recipe raſ. lign. guajac. unc. duas, rad. ſarſapar. unc. ſem. hermodact. drach. I. liquor. nitri fixi unciam I. ſpirit. vini rectif. uncias duas, infuſa per noctem leni exponantur digeſtioni, poſtea adde fol. ſenn. uncias duas. Vini gener. menſ. ii. coqu. leni calore, atque tandem colentur. Huic junxi magneſiam albam ſingulis diebus veſperi ad ſcrupulum unum pro doſi ſumendam, poſtea adhibuimus præter decoctum aquoſum ex raſ. lign. ſaſſafr. rad. ſarſap. & lapath acut. compoſitum, ejuſmodi pulveres: recipe ſulph. antim. fix.) quod noſtra methodo cum aqua ſimpl. deſtill. præcipitatur) gr. ii, reguli antimonii medic. gr. vj, cinnab. gr. viij. m. f. pulv. pro doſi de hiſce alternis diebus veſperi doſin unam cum regimine diapnoico ſumebat. Externe vero utebamur hoc decocto v. g. Recipe herbæ lycopod. M. V. coq. in menſ. iij aquæ comm. coletur, cum quo calide bis vel ter per diem caput foveri juſſimus, partim etiam aquam viridem Hartm. quam chirurgus ad conſolidanda ulcuſcula, adhibebat. Quo facto, brevi non tantum plica ſeſe explicavit, atque in ſat magnam longitudinem crevit, ſed ulcuſcula etiam

con-

conſolidata & nodi, tuberculaque diſparuerunt, ac reliqua tandem ſymptomata plenarie ceſſarunt, per pluresque annos jam bona gaudet valetudine.

Contra vero diverſi ut plurimum non ita diu poſt reſultant effectus, quando inquinamentum hocce alio modo corpori communicatur, uti poſtea videbimus.

OBSERVATIO VIII.

Differunt (2) effectus hujus inquinamenti ratione diverſitatis ſuccorum corporis humani, quibuſcum commiſcetur.

Primo enim virulentiam ſuam utplurimum illud manifeſtat, quando cum ſeroſo lymphaticis humoribus commiſcetur; unde tum illi non tantum magis magiſque inviſcantur aut glutinoſi etiam fiunt, tardiuſque ac difficulter per glandulas ac ductus alios, præſertim anguſtiores, transferuntur, atque facile poſtea in hiſce ſubſiſtunt, unde ſudores glutinoſi manifeſti, juncturarum moleſtiæ, varii nodi, multa tubercula in externo habitu corporis conſpicua inprimis derivanda, ſed acrimoniam etiam illi inde concipiunt, quæ quidem ratione gradus longe major tum eſſe ſolet, quando in capite ſecretum jam hoc miaſma, poſt turbatam hanc ſecretionem, iterum ad interiora regurgitat, unde capitis dolores lancinantes, artuum cruciatus inſignes, pleuritides, hæmoptyſes, dyſenteriæ, unguium ſcabrities, oſſium fragilitas maxime deducenda.

HISTORIA II.

Sic notabilis fuit caſus, quem *Dn. Præſes* obſervavit in vico quodam Polono, qui vocatur Biala. Pharmacopœus nempe hujus loci ſanus ac ſobrie vivens praxin medicam paſſim in Polonia exercens, in cubiculis plicatorum incaute dormiens, hoc inquinamento inficiebatur, plicaque tum ſtatim in capite ſeſe explicavit, præterea vero nulla adeo manifeſta inde percepit incommoda, propter deformitatem autem plicam iſtam ſtatim abſcindebat, varia ſimul purgantia aliaque pro ſanguine mundificando adhibuit medicamenta. Sed non ita multo poſt doloribus capitis, & artuum moleſtabatur graviſſimis, in manibus pedibus nodi ac tubercula, in reliqua vero corporis externa ſuperficie ulcuſcula oriebantur ſatis moleſta, deficiebat nutritio, vires conſumebantur, tandem oſſa etiam arrodebantur, ac fragilia evadebant. Hinc, cum aliquando ex lecto ſurgeret, oſſa tibiæ ac fibulæ per tranſverſum frangebantur, ita ut una harum extremitas ſupra alteram emineret, & alio tempore, dum cum manibus operam quandam levem ſuſcipere tentabat, os ſcapulæ magno cum ſtrepitu, ac

ſi maxima vi eſſet ſuffractum, diſſiliebat. Varia quidem adhibuit auxilia medica æque ac chirurgica, ſed omnia fruſtra, uſque dum mors calamitati huic finem fecit.

Deinde effectus iterum alios inquinamentum hoc præſtat, quando humoribus ſalivalibus ſubtilibus unitur, fermenteſcentemque tum aſſumit ſimul indolem, unde faucium non tantum muſculoſam ac glanduloſam partem, ſed oſſa etiam ſquamoſa brevi tempore erodit ſucceſſiveque conſumit, vid. hiſt. 2. recenſita. Tandem ſanguini communicatum, diu quidem ſine notabili quodam damno, cum gelatinoſa illius parte commixtum per corporis compagem vaſculoſam transfertur, vid. hiſt. 1. nonnunquam vero & ſuccus iſte corruptionem aliquam inde nanciſcitur, unde nutritionis actus læditur, corpus decreſcit, ungues decidunt, nonnunquam etiam ſuccus iſte inde nimiam contrahit ſpiſſitudinem aut viſciditatem, unde ſtagnationes aut ſtaſes illius variis in partibus oriuntur, vel dum lentius tum per minora vaſcula transfertur, irregularis illius fit circularis motus, unde tum dolores capitis, apoplexiæ, aurium tinnitus, cæcitas &c. ſæpius ſequuntur.

OBSERVATIO IX.

Differunt (3) effectus hujus inquinamenti ratione diverſitatis partium humani corporis, quas adoritur.

De effectibus, quos præſtat in cute externa quæ ſuperficiem capitis tegit, nec non ipſis in crinibus, poſtea agemus, inpræſentiarum tantum de illis inprimis effectibus agendum erit, qui oriuntur, quando ſive poſt conceptum contagium, ſive poſt ſecreti illius retroceſſionem, hoc ad interiora corporis devolvitur: quamvis enim lege circulationis per omnes partes indiſcriminatim illud circumferatur cum humoribus, modo tamen hanc, modo illam, præ altera citius ac magis aggreditur, unde diverſiſſimi tum reſultant effectus. Pro illuſtranda ratione diverſorum illorum effectuum, quare nempe hoc fiat, non incongrue ſane hic citamus *Baglivium* noſtrum, qui eleganti ſane obſervatione in ſuo *de praxi Med. lib.* 1. *p.* 97. docuit, qua ratione venereum inquinamentum, propter certam quandam diſpoſitionem, hanc vel aliam partem magis affligat. Sic obſervamus etiam, quod noſtrum inquinamentum ad perioſtium, quod cranium circumdat, delatum, ſpaſmodicam inferat illius conſtrictionem, unde dolores in hac parte oriuntur graviſſimi. Meninges irritando, cauſa fit convulſionum, quæ ſæpius, inprimis poſt retroceſſionem ſecreti jam hujus inquinamenti, oriuntur, nonnunquam & ſtaſis ſanguinis in hac parte criſpaturam hanc ſequitur, unde phrenitidem tum oriri obſervamus.

HIS-

HISTORIA III.

Sic Bilicii fœmina 36. annorum ſanguinea, quæ per plures jam annos plicam in capite geſtaverat, ex perſuaſione vero aliorum illam abſciderat, prius quidem crudeliſſimis torquebatur capitis doloribus, tandem vero affligebatur periculoſa phrenitide, cum febre acuta ac ſumma mentis abalienatione, ita ut deliria, cum furibunda audacia ſtipata, per aliquot dies ſine intermiſſione fere continuarent, cum reliquis ſymptomatibus. Adminiſtrabantur venæ ſectio prius quidem in brachio, poſtea vero etiam ſub lingua, ubi tum furor aliquantum quidem mitigabatur, non tamen penitus cum reliquis ſymptomatibus prius ceſſabat, uſque dum plica ſucceſſive in capite ſeſe explicaverat, quo facto perfectam iterum ſanitatem recuperavit.

Membranas haſce pariter ac reliquas capitis irritando, ſpaſmodicamque criſpaturam illis inducendo, cauſa fit irregularis ſanguinis per vaſa cerebri motus, unde ſæpius furorem maniacum tum oriri obſervamus.

HISTORIA IV.

Sic itidem Bilicii fœmina quædam quinquaginta annorum, plethorica, fortiſſimo corripiebatur furore maniaco, cum ſumma agrypnia; cui accedebant inſolentes convulſivi motûs, inconſueta murmura, ac borborygmi in ventre, jungebantur blaſphemationes, præternaturale robur, aliaque ſtupenda ſymptomata, adeo ut omnes, qui triſte hoc ſpectaculum cernebant, firmiter crederent, eam a Diabolo eſſe obſeſſam, eoque in ſtatu fere per totum annum ſine intermiſſione permanebat. Varia quidem adhibita fuerunt remedia antimaniaca, ſed fruſtra; tandem vero utebantur decocto lycopodii, quocum frequenter caput ægrotæ lavabant amici, ubi intra octiduum plica in capite creſcere incipiebat, remittebat tum vis furoris, reliquorumque ſymptomatum, atque ſucceſſive penitus hæc ceſſabant, liberaque ab aliis etiam morbis multos per annos permanebat. Alia vice autem, cum plicam imprudenter abſcidiſſet: in capite & ſpina dorſi acutiſſimos patiebatur dolores, phantaſiaque valde erat depravata, ſtatim vero cum plica ſeſe explicaſſet, modo dicta etiam mala deſierunt.

HISTORIA V.

Pariter ibidem fœmina quadraginta annorum, magnam ſpiſſorum humorum in corpore copiam ſovens, prius quidem in melancholiam incidebat gravem, quæ vero poſtea mutabatur in maniacum furorem, data fuerunt huic, inſtituta larga venæ ſectione, varia antimaniaca, & uterina; furor vero cum reliquis ſymptomatibus increvit. Poſtea ſuſpicio etiam oriebatur de

Digitized by Google

de ſuſcepto inquinamenti plicoſi contagio, unde antea nominatum decoctum calidum capiti frequenter applicabatur externe, quo facto, non ita diu poſt plica totum occupabat caput, & furor iſte cum reliquis ſymptomatibus penitus tandem ceſſavit, & bona poſthac uſa eſt valetudine.

Nonnunquam ad membranas, & vaſa cerebri, quando hoc defertur inquinamentum, ſanguis in partibus illis nimirum criſpatis ſtagnat, & quandoque etiam extravaſatur, vel ſeri ab illo fit ſeceſſio, unde multoties, ſive affectuum ſoporoſorum, ſive paralyſis, ſive inopinatæ ſubitaneæ mortis fit cauſa.

HISTORIA VI.

Quemadmodum ex *obſerv. Mocci Sennertus* notabile recenſet exemplum, quod nempe vetula quædam poſt abſciſſionem plicæ, & poſt materiæ hujus malignæ ad interiora capitis retroceſſionem, tridui decurſu ſupremum clauſerit diem. Sic ex irregulari humorum per vaſa capitis tranſitu, qui quandoque oritur, quando inquinamentum hoc ad illas partes penetrat, derivari etiam poteſt turbatio operationum animæ, unde ſæpe in illis imbecillitatem judicii, vel phantaſiæ etiam depravationem, quæ per apetitum quendam depravatum maxime ſeſe manifeſtat, dum anxie res quaſdam abſurdas, aut nocivas appetunt, obſervare licet.

Præterea in auribus moleſtiſſimum ſæpe hoc excitat tinnitum; oculis vero lippitudinem, quandoque etiam cæcitatem, inducit, quando hoc ſanguini aut lymphæ, immixtum ad tunicas, & ad humores illorum pervolvitur.

HISTORIA VII.

Sic pannifex quidam Biliceнſis, vir triginta fere annorum, laxioris habitus corporis, & multos ſeroſos humores in corpore fovens, per duos annos patiebatur graves dolores capitis nullis remediis cedentes, moleſta ſimul affligebatur oculorum lippitudine, oculorum humores apparebant turbidi, & jamjam objecta externa tanquam per nigrum pannum cernebat, difficulterque diſtinguebat, noſtrum tum implorabat auxilium, adhibitis auxiliis, tam internis, quam externis hoc in caſu alias ſumme proficuis, malum augmentabatur. Confirmatus itaque per multiplicem experientiam, effectus tales ab inquinamento plicoſo alias etiam originem traxiſſe, ſuperius dictum decoctum capiti, externe applicandum, ægro commendabam, quo factum, ut plica non tantum intra paucos dies formari inceperit, ſed magnam etiam in molem ſucceſſive excreverit, ex quo ſtatim dolores capitis ceſſarunt, oculorum vero vitium priſtino in ſtatu permanſit. Poſtea circumforaneus quidam cataplaſma, quod ex floribus ſambuci, mica panis, & cereviſia, componebatur, fronti calide frequenter applicare jubebat, quod largum ſatis ſudorem circa regionem oculorum ipſi elicuit, quo factum eſt, ut, noſtris ſimul

ſimul internis adhibitis diſcutientibus, ac roborantibus, oculorum vitium notabiliter imminuebatur.

Hi potiſſimum ſunt effectus, qui variis in capitis oriuntur partibus, graves autem, ac periculoſi ſæpius ſequuntur, ubi venenum hocce regionem pectoris occupat: primo enim fibras membranaceas ſive pleuræ, ſive pulmones cingentes, criſpando, ſtaſin ſanguinis hiſce in partibus cauſatur periculoſam.

HISTORIA VIII.

Ita fœmina viginti quatuor annorum, ex matre plicata nata, ſine aliis manifeſtis cauſis, gravi affligebatur dolore pleuritico in latere dextro; vocabatur in auxilium *experient. D. D. Piſcareck*, qui venæ ſectionem in brachio ſuadebat ſiniſtro, remittebat dolor in dextro, & ſiniſtrum vero iterum occupabat latus. Secari ita juſſit venam in ſiniſtro brachio, ſimulque adhibuit interne varia diſcutientia, ſed translata tum fuit materia ad interiora pulmonum, in quibus ſuppuratio nullo modo præcaveri potuit, ita ut per biennium materiam purulentam, quandoque ſanguine tinctam, ex aſpera arteria mediante tuſſi moleſta, ejiceret, corpuſque antea ſucculentum tabe fere conſumebatur. Adhibita hoc in tempore fuerunt varia decocta, ac juſcula aliaque antiphthyſica, quæ dictus modo *Vir excellent.* commendaverat, ſed ſine ſingulari fructu, qui tamen tandem fuit egregius, poſtquam inopinato varii cirri in capite apparebant, ac creſcebant, plenarie vero a malo iſto deſperato ſucceſſive liberabatur. Poſt duodecim circiter annos, propter junctam moleſtiſſimam phthiriaſin hæc plicam abſcidit, ubi brevi poſt tumor, ac dolor moleſtiſſimus oriebatur in dextro hypochondrio cum febre hectica, ac corporis conſumtione; ideoque noſtrum ſed ſero inplorabat auxilium, ſequenti enim die diarrhœa accedebat colliquativa, ſequebantur purulentæ alvi dejectiones, frequentia ſub ſitu corporis erecto animi deliquia, tandemque mors.

Deinde acrimonia ſua quandoque vaſcula ſubtiliſſima pulmonum erodit, unde ſanguinis oritur extravaſatio hocce in viſcere.

HISTORIA IX.

Sic chirurgus quidam nomine celebris, vir triginta circiter annorum, ſtrictioris habitus corporis, magnamque intra vaſa ſanguinis copiam poſſidens, plicoſo in Polonia inficiebatur inquinamento, oriebantur capitis dolores & ſudores in illo glutinoſi, paulo poſt, accedente refrigeratione quadam corporis, tempore nocturno corripiebatur horrore, atque anguſtia præcordiorum, mox ſanguinem ſincerum, floridum in magna ſatis copia cum tuſſi per os ejecit, vires dein proſternebantur, capitis iterum affligebat dolor & corpus valde conſumebatur. Adhibita fuerunt prius quidem varia de-

rivantia, & reſolventia, poſtea vero abſtergentia, & nutrientia analeptica, ſed ſine notabili quodam bono effectu, deinde externe ſimul utebatur linimento ex lycopodio parato, quod frequenter calide capiti applicavit, tum dolores capitis remittebant, plica in capite apparebat, & ingens hujus moles brevi totum caput circumdabat, tandemque æger ſanitatem, ac vires iterum recuperavit, per multoſque annos vitam vixit ſanam, quamvis propter depravatum appetitum, qui continuo poſtea permanebat, ſat largiter vinum, hujuſque ſpiritum quotidie biberet.

Quando in abdomen materia hæc virulenta penetrat, vel retrocedit, graviſſimos etiam, imo quandoque periculoſiſſimos ibidem præſtat effectus. Ita in hepate eandem inflammationis ejuſdem ac exulcerationis ſubſequentis cauſam fuiſſe *Hiſt.* 8. recenſita confirmat, ſi vero ſenſibiles inteſtinorum tunicas adoritur, ſpaſmorum, dolorumque graviſſimorum, ſit genetrix, imo etiam membranas illas arrodit.

HISTORIA X.

Sic puella quædam in confiniis Poloniæ, octo circiter annorum, magnam mucoſorum varii coloris, tandemque ſanguine tinctorum excrementorum, copiam cum ingenti inteſtinorum dolore, atque moleſtiſſima depreſſione per frequentes alvi dejectiones excrevit, quæ excretio præternaturalis per ſex ſeptimanas durabat, quo tempore ex conſilio noſtro temperantia, atque pilulas balſamicas in dyſenteria ab aliis cauſis orta, alias ſumme proficuas, adhibebat, iiſque uſurpatis aliqualis ſpaſmorum, ac dolorum obſervabatur remiſſio, non multo poſt tamen iiſdem iterum affligebatur. Poſtquam itaque tenellum corpus, ac vires ferme eſſent conſumtæ, mater illius unguentum ex lycopodio paratum, nec non vinum calidum, capiti applicabat, & præter omnem ſpem plica veniebat in apricum, continuavimus hinc cum dictis medicamentis, tandemque analeptica, ac nutrientia in auxilium vocavimus, ſic vis hujus morbi, antea inſuperabilis, imminuebatur, & ægra tandem convaluit.

Præterea ad artus varios, quando materia hæc pervenit, roſione ſua inprimis ligamenta tendinoſo-nervoſa affligit, unde juncturarum variarum, præſertim manuum, ac pedum, oriuntur cruciatus inſignes, nonnunquam, & hiſce in partibus tendines muſculorum nimium relaxantur, unde ſive ſemiluxationes, ſive luxationes variæ, tum oriuntur.

HISTORIA XI.

Sic vir quidam nobilis Polonus triginta annorum robuſtus & ſanus plicam per dies vitæ geſtaverat, poſtquam autem eandem ex perſuaſione aliorum exſtirpaſſet, prius quidem capitis, poſtea vero arthriticis doloribus, modo vagis, modo fixis, affligebatur crudeliſſimis, qui per aliquot annos tantum

non

Digitized by Google

non continuo duraverant. Noſtro itaque implorato auxilio; quoniam cauſa horum pathematum erat manifeſta, ſæpius laudatum decoctum lycopodii capiti applicandum externe ordinavimus; interne vero decoctum dilutum aquoſum ex radice ſarſaparillæ, lapathi acuti & raſura ligni ſaſſafras compoſitum loco potus ordinarii adhibere juſſimus, quod & ipſe diligenter adhibuit; poſt tres ſeptimanas ad nos iterum redibat, & cirrum in capite productum ſatis magnum nobis prius monſtravit, poſtea vero dolores moleſtiſſimos penitus etiam ceſſaſſe læto ac grato animo ſimul nuntiavit. Nonnunquam in collo ſcrophulæ oriuntur, & ſtrumæ, quando viſcidi humores in tubulis glandularum iſtarum conſtrictis ſtagnant. Ad ſubſtantiam oſſium quando hæc materia cum humoribus penetrat, tubercula dura, exoſtoſes dicta, in illis oriuntur, tumque illa partim fragilia reddit, partim exedit atque conſumit, quod ſæpius lugubria teſtantur exempla, vid. *Hiſt. I. & II.* allegata. Nonnunquam etiam dorſi vertebras afficiendo, gibboſitatis fit cauſa, quod pariter quam multi hiſce in locis lugubri teſtantur exemplo. Tandem ungues, quando materia hæc obſidet, illi modo lividi, modo incurvi & ſcabri fiunt, modo decidunt, dum laudabile conveniens nutrimentum illis detrahitur, & ipſi a materia hac acri conſumuntur.

OBSERVATIO X.

Differunt (4) *effectus hujus inquinamenti ratione ſpecialis conſtitutionis corporis*

Non tantum diſpoſitio hujus, vel illius partis, dum una illarum præ altera majori laborat atonia, ſive flacciditate, aut nimium eſt conſtricta, multum contribuit, ut inquinamentum hocce magis, aut citius hanc, vel illam partem, occupare poſſit, tum ſive diutius in illa hæret, ſive difficilius cum humoribus aliis, quibus eſt commixtum, eandem pertranſit, ſed nullum etiam eſt dubium, quin ratione mixtionis etiam corpora talia gravius, atque periculoſius hoc affligat, quæ impuris jam antea ſcatent ſuccis, unde ſcorbuticos & cacochymicos graviſſime ſæpius hac lue affligi obſervamus, acrimonia quædam aut dyſcraſia alia jam in humoribus præſens eſt. Nec dubitandum eſt, quin corpora etiam plethorica citius ac majus periculum inde reportent, quippe in quibus lentior humorum fit progreſſus, adeoque maxime tum illi, ad ſtaſes, ad ſtagnationes humorum, & inde oriundos malos effectus, nec non ad ruptiones vaſorum, ſive ad hæmorrhagias, maxime ſunt proclivia, quæ facile tum in iiſdem oriuntur.

OBSERVATIO XI.

Differunt (5) *effectus iſti ratione cauſarum externarum accedentium:*

Sic (1) aërem frigidum materiæ hujus peccantis ſecretionem, quæ in pluri-

rimis ſalutariter in externa capitis ſuperficie contingit, valde nonnunquam retardare obſervamus, dum poros, ac meatus cutis conſtringit, unde retrocedens, & membranas capitis irritans, hæc materia dolores illius & irregularem humorum per vaſa capitis motum, indeque oriundam phantaſiæ depravationem, aliosque perverſos parit effectus. Et ſicuti fotus calidus multum ad productionem cirrorum iſtorum contribuit, ita nimium frigus, hiſce partibus libere admiſſum, impedit etiam illorum generationem. Sic (2) vitæ genus varium vario etiam modo effectus hujus, inquinamenti in corpore latitantis, vel ad interiora retrocedentis, diverſimode modificat, & vim ejus adauget, inprimis autem effectus tum ac periculum maxime augentur, quando tranſpiratio inſenſibilis turbatur, aut impeditur, dum homines tales tempore verno, autumnali, hyemali, aut nocturno etiam æſtivo frigido, corpus frigori libere exponunt, unde majorem acrimoniæ gradum humores hoc inquinamento corruptos tum acquirere obſervamus. Sic (3) nimia copia eſculentorum, nec non potulentorum nutrientium, dum humores nimium inde augentur, remote etiam ad mali hujus exacerbationem faciunt. Ita (4) ex abuſu ſpirituum ardentium, acidorum, ciborum crudorum, induratorum &c. actum digeſtionis, chylificationis & ſanguificationis variæ lædentium, ſucci omnes corporis dyſcraſiam concipiunt, adcoque effectus poſſimi inde & oriuntur & augentur hiſce in corporibus, in quibus materia hæc maligna reſidet; citius enim, ac gravius tum in illis fluida non tantum, ſed & ſolida corrumpuntur, unde nonnulli per cauſas tales quandoque, non quidem malum hoc aut hujus cauſam, ſed exitus funeſti cauſam contrahunt, quamvis illis quidem, in quibus ſecretio materiæ per plicam in capite formatam legitime procedit, minus vel non adco graviter quidem, hæc noceant. Sic (5) virulentia inquinamenti plicoſi in corpore latitantis maxime exacerbatur, quando alia poſtmodum miaſmata contagioſa in illud adhuc ſuperinferuntur.

HISTORIA XII.

Cum ante decem annos Bilicii petechiales febres epidemice affligerent, miaſma hoc contagioſum adoriebatur medicinæ practicum quendam, qui breviter, ante invaſionem hujus febris, plicam abſciderat. Hic crudeliſſimis torquebatur capitis doloribus ſine ulla remiſſione, quibus jungebatur delirium phreniticum; tertio die accedebat coma cum ſtertore; & tumor capitis, circa veſperam ſparſim in collo; & pectore quædam apparebant petechiæ, & hac in nocte exſpiravit; capitis tumore poſt mortem mirum in modum adaucto, adeo ut triplo fere majus appareret. Pariter etiam inquinamentum venereum, quando ſubjecta talia corripit, quæ in interioribus corporis materiam plicoſam latentem fovent, citius ac longe gravius virulentiam ſuam exercet, & valde difficulter, imo difficillime nonnunquam exſtirpatur, id quod ſatis notum eſt omnibus medicis praxin ibidem locorum exercentibus.

OB-

OBSERVATIO XII.

Differunt (6) effectus ratione temporis.

In aliis quidem ſubitanei periculoſi aut moleſti ab hoc inquinamento oriri ſolent effectus; in aliis autem ſucceſſive magis magiſque virulentiam ſuam hoc exercet; non ſtatim enim duriſſimas corporis partes adoritur, ſed prius quidem humores, tum partes ſolidas, molles, denique cartilagines, & oſſa corrumpit, & ſic malum evadit chronicum, quo per plures annos, niſi legitimis tollatur auxiliis, homines quandoque affliguntur, & malignitatis gradus ſucceſſu hoc temporis exacerbantur, effectuſque pernicioſiores ſequuntur. Vid. *Hiſt. I.* & *II.* allegata.

OBSERVATIO XIII.

Differunt (7) effectus ratione ſalubritatis, & inſalubritatis.

Hactenus examinavimus effectus pernicioſos, quos diverſimode inquinamentum hoc ſpecificum in œconomia humana præſtare ſolet. Præterea vero ſingularem, atque accuratam conſiderationem imprimis meretur effectus quidam primarius, ac principalis, qui in plurimis poſt conceptum hoc inquinamentum oritur, & maxime ſalutaris eſt. Effectus autem iſte eſt novum ac extraordinarium, hoc ſecretorio-excretorium organon, quod primario in capillitio, deinde etiam nonnunquam in aliis corporis partibus piloſis oritur, vel formatur, & proprie plica vocatur. Quando enim inquinamentum hoc cuti, quæ cranium inveſtit, ſive ab extra per contagium immediatum communicatur, ſive ad eandem, nec non ad cavos crinium bulbos per minima vaſcula, quæ cutim tranſeunt, pervenit, levis quædam conſtrictio in hac membrana, maxime in corpore illo, quod a *Malpighio* reticulare vocatur, & ex nervulorum extremitatibus eſt conflatum, oritur, quem deinde immediate major vel minor humorum ſeroſorum, æque ac lymphaticorum affluxus ad has partes ſequitur, qui ſtagnantes ibidem humores prius quidem per poros hujus cutis tranſeunt, & tum externe, prouti magis, vel minus ab ambiente aëre externo coagulantur, ſive glutinoſos ſudores in ſuperficie capillitii conſpicuos, ſive furfures etiam partem illam obſidentes conſtituunt. Poſtea vero, quando ſucceſſive ab affluentibus copioſis iſtis humoribus pori non tantum cutis illius, ſed bulbi etiam crinium, nimis ampliantur, & latera illorum nimium diſtenduntur, pili non ſolum in majorem excreſcunt longitudinem, ruptis plurimorum illorum bulbis, largior quoque liquorum iſtorum fit effluxus, unde crines tum in tricas, cirros & funiculos inexplicabiles variæ figuræ, ac magnitudinis conglutinantur, com-

plicantur & concreſcunt. Per meatus itaque cutis illius non tantum, ſed ex diſruptis etiam pilorum bulbis, humores iſti continuo partim promanant partim, ſub vaporis madidi forma exhalant, ibidemque plurimi ſine dubio iterum colliguntur, ac coeunt, tandemque inter, atque per interſtitia illa, aut cavitates, quæ intra concretos illos crines remanent, opeque microſco piorum ſatis evidenter obſervari, ac diſcerni poſſunt, perfluunt, atque in extremitate illarummodo ſenſibiliter ſatis, modo inſenſibiliter, excernuntur. Cum hiſce autem ſimul, mediante hoc actu ſecretorio-excretorio, inquinamentum hoc ſpecificum, a reliqua maſſa humorum optime ſecernitur.

OBSERVATIO XIV.

Itaque ſecretio & excretio illa in omnibus individuis, in genere, qui cum hoc inquinamento fuerunt infecti, eſt ſalutaris.

Hoc ſequentia inprimis demonſtrant argumenta: (1) certa & conſtans docet experientia, & teſtimonio etiam aliorum medicorum confirmari poteſt, quod homines tales, qui plicas per multos annos, imo quandoque per totum vitæ tempus in capite portarunt, & actum hunc ſecretorium nullo modo turbarunt, ab omnibus fere hiſce noxiis præternaturalibus effectibus, quos alias inquinamentum hocce in corpore humano præſtare ſolet, maneant liberi, id quod vel centum exemplis, aut pluribus probari facile poſſet. (2) Per eandem edocemur, quod iidem non tantum a talibus effectibus, de quibus modo diximus, ſed etiam ab aliis morbis, ſi non ſemper, tamen utplurimum, immunes vivant, qui alias originem trahunt ſive a nimia copia humorum ſeroſo-mucoſorum, ſive a dyſcraſia illorum ſalino ſulphurea, ſive quæ tranſpirationem inſenſibilem neglectam, aut imminutam ſequuntur. (3) Eadem luculenter ſatis confirmat, & ex ſupra recenſitis hiſtoriis evidenter etiam conſtat, quod in graviſſimos, ac periculoſiſſimos morbos homines tales, & quidem certo ac ſemper, quamvis in diverſos, incidant, qui ſecretionem & excretionem hanc plenarie cohibent, dum plicas tales radicitus ac penitus ſive abſcindendo, ſive abradendo exſtirpant. (4) Accurata etiam obſervatio docet, quod ſæpius, quando negotium hoc ſecretorio-excretorium aliquatenus tantum turbatur; dum nempe ſive ab aëre ambiente nimis frigido, ſive poſt imprudenter applicata varia linimenta adſtringentia, aut refrigerantia, pori cutis nimium conſtringantur, ſive poſt adhibita unguenta inviſcantia obliniuntur ac obſtruuntur, pro diverſo læſionis hujus gradu in illis ſubjectis modo majora, modo minora, ſtatim oriantur incommoda v. g. dolores capitis, variique in illo ſpaſtici effectus. (5) eadem experientia teſtatur, quod effectus varii pernicioſi, qui ab inquinamento hoc in corpore præſente jam orti fuerunt, imo quandoque diu hominem jam afflixerunt, ſine adhibito alio auxilio medico, ſine ſubſequente etiam alia quadam notabili

bili critica evacuatione, ſæpius plenarie, & quidem quandoque intra breve tempus remittant, ac cedant, quando plica legitime ſeſe explicat, & actus ſecretorius iſte continuat. (6) Nec non tandem, quod varii effectus perniciosi ac periculoſi, qui ab inquinamento iſto jam fuerunt orti, citius non corrigi legitime, multo minus morbi varii chronici inde originem trahentes, plenarie ac radicitus exſtirpari, ſive per alia hunc in finem adhibita medicamenta curari perfecte poſſint, antequam ſecretio & excretio illa materiæ hujus peccantis hac via debite iterum perficiatur, id quod inexperti medici & incauti ſæpius maximo cum damno experiuntur.

OBSERVATIO XV.

Actus itaque hic ſecretorio-excretorius, quamvis ſit extraordinarius; nullo tamen modo in ſubjectis ſpecifico hoc inquinamento infectis turbandus, multo minus imprudenter ſupprimendus eſt.

Ex ante dictis quivis facile intelliget (1) Quod ſecretio, & excretio illa ſumme ſit ſalutaris, & quidem omnibus, qui hoc inquinamento quocunque modo fuerunt infecti. (2) Quod omni tempore eadem ſit utilis, ac neceſſaria, & (3) quod graviſſima mala & periculoſiſſimi effectus in œconomia humana oriantur, quando actus hic diverſimode ſive turbatur, ſive cohibetur. Ut vero hæc, quæ de ſalubritate hac hactenus dicta ſunt, eo melius intelligantur, & quo eo evidentius etiam innoteſcat, quod & quare actus hic minus turbandus, aut ſupprimendus ſit, quæſtiones aliquot merito adhuc examinari debent.

Primo itaque quæritur, cur & quomodo ſecretio & excretio illa ſit ſalutaris? Reſpondemus itaque, quod eadem ideo inprimis ſit ſalutaris (1) Quoniam indoles hujus inquinamenti plicoſi omnibus corporis partibus maxime eſt infenſa, dum ſimulac ad pericranium tantum, multo magis dum ad interiora capitis, aut ad alias etiam hujus partes defertur, in ſingulis hoc, modo citius, modo tardius, virulentiam ſuam exercet. (2) Quoniam reliqua corporis œconomia a pernicioſis effectibus, qui ab iſta materia alias oriri ſolent præcavetur, dum nempe eadem ſtatim eodem in loco, nempe in cute, qua cranium inveſtitur,, ubi principaliter primario per immediatum contagium hominibus communicatur, non tantum ab affluentibus humoribus ſeroſo-lymphaticis excipitur, atque cum illis commiſcetur, ſed mediantibus etiam illis immediate ſtatim hac via ſecernitur atque excernitur. (3) Quoniamper alia ordinaria ſecretorio-excretoria organa, nempe neque per alvum, neque per renes, neque etiam per tranſpirationem, inſenſibiliter eliminari poteſt. Et licet mentis acie ſpecialem mechaniſmum hujus organi extraordinarii percipere nemo poſſit; negari tamen hic non poteſt. Si enim organon ſecretorium aut excretorium reſpondere debet materiæ ſecernendæ, (quem in finem diverſa etiam talia in corpore ſunt conſtructa) ideo dum pe-

io-

Digitized by Google

ordinaria alia minus tuto neque convenienter, multo minus perfecte, hæc materia ſecerni atque excerni poteſt, uti ſuperius jam demonſtravimus, mechaniſmus hujus organi neceſſario debet eſſet ſpecialis, dum commode, ſine omni noxa, optimo cum ſucceſſu, ac fructu per hoc ipſum hæc materia, & ſecernitur & excernitur. Secundo quæritur: quare in aliis hominibus hæc non contingant? Reſpondemus; quod hoc fieri non poſſit: nam cauſa, quæ effectum hunc in corpore producit, non eſt generalis, ſed ſpecialis, nempe ſpeciale hoc inquinamentum plicoſum, ad alias vero cauſas morbificas generales ſecernendas, & excernendas ordinario conſtructa ſunt organa, non itaque opus eſt, ut alii hoc deformi organo ſint inſtructi. Tertio in quæſtionem venit: numne aliquod periculum, vel pernitioſus effectus ex hoc actu metuendus ſit? Reſpondemus: nullum unquam, modo non turbetur, aut ſupprimatur, nimia enim excretio nunquam ſequitur, nec humorum ſeroſo lymphaticorum nimia profuſio inde metui poteſt, uti nonnunquam præternaturaliter, ſive per renes, ſive per ſudores hoc contingere alias ſolet. Quarto quæritur de tempore; quam diu nempe hic actus continuet? Reſpondemus: continuo & quidem ordinario per totam vitam, quando organon hoc quocunque modo non deſtruitur. Eſt enim inquinamentum hoc inſtar fermenti, quod ſucceſſive, ſicuti priores. ita & denuo accedentes humores, in ſimilem motum abripit, dum illis commiſcetur, ideoque quamvis priores quidem ſecernantur & excernantur, relicti tamen in hac parte ejusdem manent indolis, & eandem nocendi vim, quando ad interiora corporis regurgitant, ſervant. Adeoque ex dictis nunc patet, quod ſalutaris hic actus nullo modo, & nunquam etiam ſive turbandus, ſive ſupprimendus ſit.

OBSERVATIO XVI.

Actus hic ſecretorio-excretorius potius tuendus, atque nonnunquam etiam in ſubjectis hoc inquinamento infectis, quando deficit, promovendus eſt.

Nonnunquam inquinamentum hoc plicoſum per multos annos in corpore deliteſcit, tandemque modo minores, modo majores ac periculoſiores, pro diverſitate ante dictarum circumſtantiarum, in corpore præſtat effectus, ubi quidem, præter nocivos iſtos, aliquando ſalutaris etiam iſte, nempe ſecretio & excretio illa ſalutariter ſimul oritur; aliquando vero pernicioſi effectus ſucceſſive & augentur & periculoſiores fiunt, ſine ſubſequente hoc ſalutari effectu. Nonnunquam immediate, quando contagio hoc miaſma hominibus communicatur, repente per nimis amplos atque apertos poros, ac tubulos ſtatim interiora capitis, & corporis intrat, & hoc penetrat, vimque nocivam luculenter manifeſtat, plicaque nulla ibidem oritur. Nonnunquam etiam imprudenter homines propter deformitatem, aut alia de cauſſa plicas iſtas ſive ab-

abſcindunt,ſive cultro abradunt,tumque tubuli ac meatus in cute aperti concidunt, ab aëreque ambiente conſtringuntur, vel a coagulatis iſtis humoribus ſimul etiam obſtruuntur, & materiæ hujus ſecretio, tum plenarie ſupprimitur, partimque ibidem ſubſiſtit, partim vero ad interiora corporis cum reliquis humoribus devolvitur, ſive regurgitat, unde peſſimi ac periculoſiſſimi, & quidem breve poſt temporis ſpatium in corpore oriuntur effectus. Ratio eſt evidens, omnis enim materia peccans ſecreta, vel in partibus quibuſdam ſtagnans, majorem mora concipit acrimoniam, aut virulentiam, & retrocedens ad interiora, periculoſiſſima ſæpius excitat ſymptomata, uti hoc in variolis, morbillis, ſcabie, tinea capitis &c. quotidie evenire obſervamus. Hiſce itaque in caſibus, ut œconomia humana a perniciosis effectibus ſive præſervetur, ſive liberetur, ante omnia eo potiſſimum allaborandum eſt, ut actus hic ſecretorio-excretorius reſtituatur, ſive, ut productio plicæ promoveatur, quod fieri poteſt *experient. D. Præſidis* methodo ſimpliciſſima quidem, ſed certa & optima. Paratur nempe ex herba lycopodii cum aqua ſimplici decoctum ſaturatum, quocum lintea imbuuntur, quæ aliquoties de die capillitio calide applicantur; fotu enim calido hujus decocti dolores, ac ſpaſmi hujus partis ſopiuntur, cutis rigida & arida emollitur, pori ac meatus obſtructi & conſtricti reſeruntur, humores glutinoſi hiſce impacti diluuntur, atque ad exitum diſponuntur, adeoque hiſce cauſis, quæ productionem hujus plicæ evidenter alias impediunt, legitime remotis, dicto antea modo, cirri poſtmodum iſti facile ac brevi ſeſe explicant & actus iſte ſalutaris incipit, atque ſucceſſive magis magiſque melius ſuccedit, ac continuat. Præterea prudenter etiam actus iſte conſervandus nec quodammodo turbandus eſt; hinc frigus maxime externum & refrigerantia omnia, nec non conſtringentia & unctuoſa, viſcoſa poros obſtruentia, quæ male ſæpius huic parti applicari ſolent, ſummo ſtudio vitanda ſunt: alias confirmante hoc quotidiana experientia, ſtatim dolores capitis, & varii in illo ſpaſtici oriuntur effectus, tum materia hæc membranas capitis ſenſibiles occupat.

OBSERVATIO XVII.

Diagnoſis hujus mali modo ſatis manifeſta, modo valde occulta eſt.

Quando crines incipiunt complicari, vel quando plica jam eſt producta, tum quidem manifeſte ſatis malum hocce cognoſci, illudque, nec non ſpecialis hujus cauſa ab aliis morbis ac cauſis morbificis, facile diſtingui poteſt, inprimis ab illis, qui unam tantum vel alteram plicam talem jam viderunt. Quando vero inquinamentum hocce internas corporis partes occupat, & virulentiam ſuam in illis exercet, valde difficile hæc morborum, ac ſymptomatum inde oriundorum cauſa ab aliis cauſis morbificis, pares effectus in

corpore præſtantibus, diſcerni poteſt, difficillime autem præſentia illius cognoſcitur, quando ſanguinis maſſæ immixtum hoc inquinamentum, & quaſi inviſcatum, ſine notabili quodam effectu in corpore adhuc latitat. Quibus in caſibus ex ſedula obſervatione depromtas ſequentes commendamus cautelas ſive notas: (1) ante omnia examinanda hæreditaria diſpoſitio, non facile enim, imo forte nunquam, infans ex parentibus plicatis natus, ab hoc inquinamento manet immunis. (2) Utrum forte in aliis corporis partibus piloſis plica quædam hæreat occulta, ſæpius enim in inguine plicas obſervavimus varias. (3) Attendenda eſt phantaſiæ corruptio, quæ per appetitum depravatum maxime manifeſtatur, dum anxie res quaſdam abſurdas aut minus ſalutares appetunt; ſic nota ſunt exempla quorundam, qui, ex anxio deſiderio hauriendi ſpiritum ardentem inopinato, ſine ulla alia cauſa ſæpius lipothimias incurrebant, & ſolo deinde hujus ſpiritus odore, vel ſapore, iterum excitabantur, ſæpe hinc ſub pica latet plica. (4). Inter ſigna iſta referri quoque poſſunt ſudores capitis viſcidi, glutinoſi, capillitii ſpurcities & orti in illo furfures. (5) Nec omittenda ſunt ſigna, quæ ex unguibus deſumuntur: hinc conſideranda eſt illorum deformitas, incurvatio, ſcabrities, color, livitas, nec non corruptio. Circumſtantiæ dictæ ſedulo ſemper examinandæ ſunt, quando ſuſpicio quædam de inquinamento plicoſo præſto eſt; ſigna enim hæc, inprimis collectim ſumta, ſemper ſpecifici hujus inquinamenti præſentiam indicant. Magis vero de rei veritate medicus confirmatur, quando ex juſta quadam ſuſpicione dictis antehac in caſibus, remedium illud externum laudatum, alias innoxium, ægrotis commendabit, ubi tum ordinario in illis, qui hoc inquinamento infecti ſunt, brevi tempore plica formari incipiet, aliis vero etiam fotus talis calidus minime nocebit, quamvis talis effectus inde non oriatur.

OBSERVATIO XVIII.

Circa prognoſin medicus effectus, qui ab inquinamento hoc ſpecifico virulento oriuntur, quando ad interiora corporis fuit delatum, prudenter diſtinguere debet ab effectibus, qui ab actu hoc peculiari ſecretorio-excretorio originem trahunt, priores enim omnes præternaturales, ac pernicioſi, poſteriores vero maxime ſalutares ſunt.

Itaque circa prognoſin ſequentia potiſſimum ſunt notanda: (1) Quamvis inquinamentum hoc per multos ſæpe annos ſanguini involutum, ſine notabili quodam malo ſubſequente effectu, remaneat, attamen, niſi hoc per dictum actum ſecretorio-excretorium ab illo ſeparatur, tandem, ſive citius, ſive tardius, ſui juris fit, & pro diverſitate partium varios tum noxios præſtat effectus, uti ex ſupra dictis ſatis patet. (2) Citius ac gra-

gravius hoc periculum minatur, quando ſeroſo-lymphaticis humoribus eſt immixtum. (3) Materia ſecreta in capillitio ad interiora iterum regurgitans brevi tempore peſſimos, ac periculoſiſſimos edit effectus, de quibus itidem videantur hiſtoriæ ſupra recenſitæ. (4) Prout partes internæ magis, vel minus ſunt nobiliores, ac ſenſibiles, quas adoritur, eo plus vel minus pernicioſi aut periculoſi ſunt effectus, qui in illis ab hoc inquinamento oriuntur. (5) Quo diutius hæc materia humoribus ſeroſo-lymphaticis internis eſt commixta, eo majorem viſciditatis, & acrimoniæ gradum aſſumit, eoque pertinaciores, periculoſiores, curatu difficiliores, imo interdum lethiferos, poſt ſe trahit effectus. (6) Et quidem eo citius, quando fermenteſcentibus ſalivalibus commiſcetur humoribus vid. *obſerv.* 8. (7) Quo magis partes ſolidæ molles jam ſunt corruptæ, eo majus imminet periculum. (8). Eo minor vero reconvaleſcentiæ ſpes ſupereſt, quando duriores, nempe cartilagines, & oſſa, jam valde ſunt eroſa aut corrupta. Plura vid. in recenſitis hiſtoriis.

OBSERVATIO XIX.

Quamvis hoc inquinamentum actu ſecretorio & excretorio ante nominato optime à maſſa humorum ſecernatur, & ſimul ibidem excernatur; nihilominus effectus præternaturales pernicioſi, in œconomia humana à virulenta hac materia orti, dum diverſimode, ſive mixtio, ſive ſtructura illius læditur, ſive motus regulares illius turbantur, auxilium requirunt medicum, ut illi corrigantur, aut tollantur; quapropter ſequentes commendamus cautelas practicas, in cura horum malorum ſumme neceſſarias, & prudenter adhibendas.

Conducunt itaque hoc in malo (1) alterantia, & quidem partim decocta aquoſa diluta, quæ ex raſura ligni ſaſſafras, radice ſarſaparillæ & radice lapathi acuti componuntur, locoque potus ordinarii per longum tempus copioſe ſatis adhibentur, quando humores ſive lymphatici, ſive ſalivales, ſive ſeroſi, propter inquinamentum diutius hiſce immixtum, corrupti, nimis viſcidi & acriores ſunt facti, ut per dicta incidantur, corrigantur, fluxiles reddantur atque ad exitum diſponantur. (2) Eundem etiam in finem prodeſt mixtura ex tincturæ antimonii & eſſentiæ pimpinellæ albæ æquali parte compoſita, priori decocto combinanda, quæ ſecretionem & excretionem ſimul per vias urinarias promovet, poteſt hæc ipſa ter quotidie ad guttas 40. pro doſi propinari. (3) Scopo non tantum corrigendi dictos humores, ſed ſucceſſive etiam ac blande per alvum excernendi, hoc præſtantiſſimæ virtutis decoctum vinoſum, quod *experient. D. Præſes obſerv.* 7. *hiſt.* 1. communicavit, optimo cum fructu adhibetur in-

Digitized by Google

interne, de cujus uſu itidem locus citatus videri poteſt. (4) Tandem diaphoretica antimoniata, inprimis autem pulveres ſingularis efficaciæ, quos loco modo citato commendavimus, quippe qui blande ac tuto humorum dictorum corruptorum ſecretionem per ſuperficiem corporis promovent, atque motum illorum progreſſivum per minimos corporis tubulos adaugent. (5) Proſunt & nonnunquam ſanguinis evacuationes artificiales, vario modo inſtituendæ, quando nempe ſanguinis progreſſivus motus irregularis eſt, dum in quadam parte illius ſive ſtagnatio, ſive ſtaſis, oritur (quamvis à noſtra cauſa trahant originem) vel quando plethora maxime urget, ut impetus ſanguinis à locis nobilioribus maxime à capite & pectore ad alia derivetur, copia illius nimia imminuatur & circulatio illius regularis reſtituatur. (6) Reliqua auxilia interna & externa, nec non methodus eadem prudenter adhibendi & applicandi, ex ſupra recenſitis hiſtoriis repeti atque deſumi poſſunt. Ceterum, quicquid poſitive agat medicus, ſemper tamen ſimul, ut ſecretio excretioque hujus inquinamenti per actum ſuperius dictum promoveatur, reſpicere debet; noſtra enim ſententia corrupti quidem humores corrigi per auxilia ante nominata & expurgari poſſunt, inquinamentum vero hoc indolis fermenteſcentis minime alterari, ſed unice per dictum actum ſecerni atque excerni debet. Unde etiam, quamvis motuum irregularium cauſæ mediatæ, nempe humorum nimia copia & ſpiſſitudo, tollantur, nunquam tamen vitioſi in ordinem legitimum rediguntur motus, niſi materia hæc peccans prius hoc actu ſufficienter eliminetur.

OBSERVATIO XX.

Sicuti inconveniens atque imprudens medendi methodus, malum item regimen, ac perverſa diæta, multum ad exacerbationem mali iſtius ſæpius contribuunt; ita cautelæ etiam quædam, quid partim medicus, partim ægrotus, omittere vel fugere hoc in caſu debeat, ſumme ſunt neceſſariæ.

Normam quidem ac leges tam medici, quam infecti, aut ægroti, ex hactenus dictis formare ſibi facile quivis poteſt, quid agendum vel omittendum ſit; interea autem paucas adhuc cautelas hunc in finem placet addere: itaque (1) damnamus conſilia atque auxilia illa ſuperſtitioſa, atque diabolica, quæ paſſim ac multoties hiſce in regionibus ſive commendantur, ſive adhibentur & applicantur, quorum quidem mentionem aliquam facere, pietas non concedit. (2) Rejicienda etiam eſt farrago illa medicamentorum, atque imprudens illorum, inprimis infidorum, commendatio & applicatio, quæ paſſim in ſcriptis quorundam medicorum, inprimis *D. Sperlingii*, *Bonfiglii* & *Binningeri* reperitur, plus detrimenti, quam emolumenti præſtans. (3) Mercurialia, ab aliis quidem hoc in malo laudata, plus nocuiſſe, quam pro-

Digitized by Google

profuiſſe, obſervavimus. (4) Quamdiu actus ſecretorio-excretorius legitime continuat, nihil temere à medico ſuſcipiendum eſt, nec ſive derivantibus, ſive alterantibus, ſive evacuantibus, iſte turbandus eſt; quando vero ſive juſta ſuſpicio, ſive certa indicantia, de mixtionis graviori læſione ſubſunt, tunc ante commendata methodus medendi prudenter applicetur. (5) In regimine, plicoſi corpus, inprimis caput, calide ſemper foveant, atque à frigore externo defendant, ut actus iſte eo melius procedat. (6) Diætam vero nimis lautam ac plenam, omniaque acida, acria, nimium ſalſa, cibos crudos ac duros, aut fumo induratos, ſpiritus per fermentationem parati copiam nimiam, aliaque quæ ad viſciditatem & acrimoniam humorum alias conferunt, illi inprimis ſummo fugiant ſtudio, quorum humores à latente in corpore, vel à retroceſſo inquinamento, valde jam ſunt corrupti, ne propter dictas cauſas mali vis magis exacerbetur. (7) Præſervativa auxilia medica poſitiva, ab *Excell. D. Bonſigli* inprimis commendata, inter luſus otioſæ phantaſiæ jure referuntur; qui vero caute ac ſtudioſe contagium hoc evitabit, niſi per hæreditatem fuerit infectus, ab hoc malo ſemper manebit immunis. (8). De præſervatione agentes, circumſtantia illa adhuc breviſſime examinanda eſt, utrum nempe, juxta mentem modo citati *D. Bonſigli*, infectio fieri, aut inquinamentum plicoſum propagari poſſit, dum impii quidam homines, plicam abſciſſam, in cereviſiam, aut in alium immittunt prius liquorem, & hoſpitibus advenientibus poſtea conſpurcatum hunc propinant potum? Noſtra quidem ſententia, neque quidem illi, quorum fuit hæc plica, ab iſto malo ex voto inde liberantur, neque alii quidem ſpecifico hoc malo, quando infectum & nauſeabundum talem potum ingerunt, vere inficiuntur; utrum vero poſt ingeſtum illud inquinamentum potui immixtum, plicæ poſtea in ventriculo oriantur, aut producantur, vel formatæ jam cum cibo aut potu à quibuſdam, maxime ab ebriis, ingerantur, quales per vomitum ex faucibus ejectos, viri alias fide digni ſe vidiſſe mihi retulerunt ac firmiter confirmarunt, & quales etiam per alvum excretos fuiſſe acta medicorum Berol. Tom. IV. p. 71. perhibent, de rei veritate non plenarie convicti, modo latius hæc examinare nolumus. (9) Quod vero de prima mali hujus origine nihil diximus, nemo nobis vitio vertet. Ignota adhuc manet peſtilentiæ veræ & luis venereæ origo primo-prima; ſic & mali hujus prima origo, propter ignorantiam cauſarum verarum, quas in remotis illis mundi partibus accuratius examinare occaſio non permiſit, nobis eſt ignota, melius enim eſt nihil, quam ficta, & falſa dicere aut ſtatuere.

FINIS.

XVIII.

GEORGII ERNESTI STAHL,

PROGRAMMA

DE FISTULA LACRYMALI.

Halæ 1702, Julio.

QUemadmodum ætas noſtra recentior de felicitate temporum ſuorum in eo præcipue non immerito gloriatur, quod Anatomiæ atque Chymiæ luculentioribus occaſionibus impetratis, multarum rerum, quas veteres minus aſſequi potuerant, mechanico-organicas rationes atque conditiones, nunc melius perſpicere atque deprehendere queat; ita omni utique ſtudio in illud omnes nervos intendere convenerit, ne hæc Anatomiam omni ἀκρίβεια adminiſtrandi libertas, in otium nos, & nudam admirationem ſimplicium phænomenorum, devolvat, & nulli juſto uſui nobis eſſe videatur. Sane vero, cum ſtudium Anatomicum immediate magis aſſiduitatem & memoriam, quam aliud quicquam, reſpiciat atque poſcat; quatenus nempe nudum factum concernit, quænam partes, ubi hæreant, qualem figuram, magnitudinem, ſtructuram viſibilem, &c. habeant: ita poteſt etiam non improbari oblectatio, ejuſmodi ingeniis, in tractandis atque retractandis ejuſmodi inſpectionibus: At veto ſubſiſtere in ſola hujuſmodi hiſtorica notitia, eſſet profecto negotium ab omni utilitate alienum, adeoque Medico ſcopo, qui totus Practicus eſt, minime dignum propoſitum. Reminiſcor quam ſæpiſſime hujus negotii, quando conſpicio, hodierno uſque dum tempore, quo e talibus ſubſidiis, omnia potius meliora expectare juſtiſſimum apparere debebat, has easdem adhuc acceptiones atque interpretationes foveri atque retineri, quæ illis temporibus, ubi talium non niſi plena regnabat ignorantia, formatæ atque ſuppoſitæ fuerant. Imo vero, angit tanto magis, Arti, ſanitatem humanam juvandi atque ſublevandi, intentam mentem, ſi etiam facillimæ comparationis atque connexionis, neglectus, circa ejuſmodi negotia ſeſe offerat. Ubi ſæpe numero certè exopto, ut eſſent, qui exquiſitius talia obſervarent, noſque de illis inſtituerent; cum abunde nota mihi ſit incommoda illa interpretatio, qua monita quantumcunque vera atque fida, de diverſis rebus ſæpius ſuſcepta, in odium perpetuo taxandi atque reformandi detorquentur. Quando vero, neque quiritando, nec optando, hic aliquid uſu atque conſideratu dignum impetratur, ſed ſola, vires ſuas ipſo opere experiendi, reſtat ſemita; inſiſtam hanc ſane ulterius, & inſuper habitis,

quæ

quæ avocare animum forte poſſent, hoc agere perſeverabo. Conſiderabo itaque præſenti ſchediaſmate, veram conſtitutionem illius pathematis, quod aliquoties jam *Fiſtulæ lacrymalis* nomine ſalutari, & ita tractari expertus ſum, ut non ſolum in melius converti impoſſibile ſit, ſed etiam in deterius potius, non tam prolapſus, quam præceps actus videretur patiens. Eſt autem affectus, ſequens Hiſtoria ſeu conſtitutio. Incipiunt patientes, & ſæpius quidem ex affectibus circa nares primo ſeſe exerentibus, coryzam, modò ſimpliciorem, modo acriorem referentibus, imprimis autem oculi illius lateris conſenſualem, quaſi ſalſum ardorem & complorationem una commoventibus, tandem denique perſentiſcere, madorem oculi frequentiorem, &, ſi vel maxime non continuum, per vices tamen largius erumpentem: imprimis autem nocturno tempore ita oculum illum irrigantem, ut finito ſomno, conglutinatus velut, ulceroſa ſanie, compareat oculus. Progreditur hoc incommodum citius apud alios, apud alios tardius, ad illum effectum, ut loco gelati noſæ illius ſubſtantiæ, quæ in cruſtaceam talem conſiſtentiam tranſit, verum purulentum recrementum exhibeat; quod quidem paulo rarius, per diem, quam fluidius illud, ſponte ſeſe exerit: interim, quando poſt aliquot horarum intervallum, præcipue vero mane, poſt ſomnum, ſpatium ab interno oculi angulo ad naſum excurrens, digito, præſertim infra oculum, ſurſum ſtringendo, comprimitur, apparet mox circa angulum oculi interiorem, portio guttam unam vel alteram quantitate ſua referens, craſſius purulentæ ſaniei. Evenit etiam aliquando, præcipue ſi ſponte ſæpiuſcule hujus ſubſtantiæ talis effuſio contingat, ut reliquus oculus incommoda aliqua, imprimis autem ardorem quaſi ſalſum, inde perſentiſcat: intra angulum etiam atque naſum, ſi attentius cum altero latere faciei comparetur, turgidius apparet illud interſtitium; glandula etiam lacrymalis iſtius oculi, communiter altera paulo tumidior atque rubicundior apparet. Imo vero, quo magis plorat, ſive humorem ſuum effundit, pars hæc ita affecta, eo majora incommoda, circa ſuperficiales oculi tunicas, adeoque ipſam corneam, perſentiſcunt patientes, donec magis magiſque graviorum obſcurationum metui exponantur. Affectum ita comparatum, nunquam alio nomine appellari audivi, quam *fiſtulæ lacrymalis*; indolem atque ſedem ipſius collocari in *fiſtuloſo* aliquo *ulcuſculo*, ab *angulo* oculi *interno*, ita verſus nares excurrente, *juxtà*, aut forte *per* illam ipſam *carunculam* lacrymalem ſive *glandulam*, atque ad naſi *cavum*, ſi quidem non ſtatim terminato, eo tamen vergente atque tendente. Hac itaque conſideratione, tota ſemper intentio eo directa fuit, ut per ipſum *angulum* oculi, *per* aut *juxta* glandulam lacrymalem, medicamenta applicarentur; quæ quidem, cum *turundis* etiam eo adigenda atque imprimenda, non ſolum inſignia incommoda, *dolores*, *irritationes*, *rubores*, *inflammationes*, glandulæ iſtius *intumeſcentiam*, imo totius faciei exterioris, capitis vero interioris cruciatus, &c. poſt ſeſe traxerunt: ſed tandem Chirurgos harum rerum adminiſtratores, plane ad *eroſiones*, & *extirpationes* glandulæ hujus, invitarunt atque

que animarunt: ſic, ut etiam citra directum conſilium extirpationis, plus ſemel, modo medicamentorum efficacia, modo deligationis & profundius impreſſarum turundarum violentia, ſincerum *ſanguinem* ex angulo prorumpere, nihil ſit novi aut inſoliti. En verò ſcenam, quæ non ſolum in robuſtioribus, forte annoſioribus & quadratis ſubjectis, ſed in tenera etiam ætate, plus ſemel luditur, ſicut ante paucos annos, in ſubjecto tenerioris ſexus, ætatis, &, ex generis indole, etiam educationis delicatioris, factum eſſe, prolixius mihi relatum recordor: quis vero facile ſibi moderetur, quin vitio mihi vertat, ſi edicam, *totam talem hujus talis affectus & conſiderationem & tractationem*, *& a vera ejus indole*, & conſequenter *a vera*, *qua ipſi occurri atque reſiſti debebat*, *ratione*, *penitus alienam eſſe?* Et tamen ſi illud dicere velim, quod ipſa res eſt, atque infert, ita ſanè, & non aliter, conſtanter ſonabit verum de hoc negotio judicium. Nititur autem error bonam partem in *Anatomico* defectu, quaſi hoc loco reliquis fundamentum præbente; dum e glandula lacrymali nullus *tranſitus* ad vel in nares, ita patet, ut per illum ejuſmodi exitus ad oculum exoriri poſſit. Imò vero, qui merito *ſecundus*, quamvis in ordine ad medicationem, *primarius*, eſt error, plane non ita ſe habet negotium, quod *purulenta* illa excretio, ex iſto angulo, juxta vel retro, nedum per *glandulam* dictam lacrymalem, in oculum effundatur; ſed prorumpit illa unice atque ordinarie, ex ita dicto *ſuperiore puncto* lacrymali, in *palpebra* ſuperiore, ubi carunculæ ſeu glandulæ lacrymali dictæ proxima eſt, hiante atque patente. Hoc foramen, continuo ductu tendit atque vergit ad *canalem* membranaceum capacem, qui ſecundum longitudinem narium deorſum procurrens, paulo inferius, quam ubi cartilago narium ab oſſea ſubſtantia procedit, in ipſas nares dehiſcit. De hoc quidem ductu, quantumvis etiam alterum ita dictum lacrymale punctum, ad eundem pergat eique inſeratur, notatu tamen dignum videtur, quod nondum obſervare potuerim, quidquam hujus materiæ in affectu, de quo loquimur, per *inferius* punctum lacrymale, hinc emitti. Hæc res cum ita vere ſeſe habeat, & ductus hic, qua caruncula lacrymalis ipſi adjacet, craſſioris texturæ ſit, quam arteria quæcunque ejuſdem cum ipſo magnitudinis: facile jam erit judicatu, quid illa intruſio medicamentorum, imo *turundarum*, in *angulum* oculi, commodi vel utilitatis, vel contra incommodi, imo damni, inferre, apta nata ſit. Unde quidem oblato mihi hujuſmodi caſu in fœmina 40. annorum, habitus ſanguinei, carnoſi, quæ jam per trimeſtre ſpatium, a Balneatore, ipſis *uſque cathæreticis*, audacius exercita fuerat, ut non ſolum graves, *oculi*, imò ipſius *genæ* dolores, ſed tanto vehementiores *capitis* cruciatus, aliquoties & *odontalgici hemicranici*, acciderent (pro quo ſymptomate tollendo, non ſolum abſumpti dentis unam & alteram reſiduam radiculam, ſed duos inſuper illæſos molares, ipſi evulſit) propterea diverſæ methodo inſiſtere, neceſſarium duxi. Præparato itaque corpore (quales etiam medicationes, ſub ipſa cura, quando neceſſarium videbatur,

batur, iterabantur) & exploorato prius, per ipſum illud punctum lacrymale, (quod facile tolerabat patiens, mediante chorda chelyos, cera in apice imbuta) flexu illo, quo ad ſinum uſque ſeu communem capacitatem ipſius primarii ductus ſeſe recipit; & diſtinctis ſanguiferis in hac perſona conſpicuis vaſis, inciſionem, directa cultelli cuſpide oblique, ab oculo verſus naſum, fieri curavi, ad os uſque naſi penetrando; quam, uti nimis latam adornare non convenerat, turunda dilatari feci: & impoſitis dehinc eximiè mundificantibus balſamicis, donec fundus, qui initio nigricabat, (nempe ex aliqua carie illius ſuperficiei oſſis narium,) æque atque totus ambitus inciſionis, legitimè mundificatus compareret, neque ullo modo, ad & per punctum lacrymale quicquam ſaniei ad oculum amplius propelli poſſet, (quod primis duabus ſeptimanis adhuc eveniebat, obligato vulnere) tunc demum ſucceſſive, & e fundo extrorſum, breviore indies turunda, conſolidari permiſſum hoc foramen: Adhibita denique trochlea compreſſoria, proportionate, prout ipſa cicatrix coibat, ad majorem indies compreſſionem adducta. Ita per Divinam Gratiam, conveniente rationali methodo, non modo ſublatum, ſed ita reſtitutum eſt hoc malum, ut hodie in ſeptimum jam, favente Deo, annum, non ſolum ab hoc, ſed omni etiam alio oculorum, & hujus præcipue, pathemate immunis vivat.

Digitized by Google

ALEXAN.

Digitized by Google

XIX.

ALEXANDRI CAMERARII

ET

JULII FRIDERICI BREYER,

DISSERTATIO

DE

OPHTHALMIA VENEREA;

ET PECULIARI IN ILLA OPERATIONE.

Tubing. menſ. Junii 1734.

Digitized by Google

P R O E M I U M.

O*Culorum tam mirabilis eſt fabrica, tam multiplex partium exquiſito artificii genere effictarum in illis apparatus, tam eximius illorum uſus, ut jure optimo* Orpheus Naturæ ſpeculum, Alexander Peripateticus animæ feneſtram *illos appellitaverint. Multarum & variarum partium concurſus in cauſa eſt, ut nulla corporis noſtri pars adeo numeroſis tentetur morbis quam oculus: recentiorum enim multi plus quam ducentos in illo numerant morbos. Mirari hinc ſatis nequeo, quod Opthalmiatria hactenus non ſolum minus digne exculta, ſed etiam balneatoribus, balſamariis, circumforaneis, aniculis reliquiſque hujus farinæ hominibus fuerit tradita & in illorum manibus relicta, quos tamen omnis Matheſeos, Phyſiologiæ, Anatomiæ, Chirurgiæ &c. cognitione deſtitutos eſſe ſcimus, cum tamen hæ ſcientiæ ab illo requirantur, qui in tractandis hiſce morbis non temeritate, non ignorantia, ſed conſcientia & cognitione plane ſufficienti niti volunt. Sed uti hæcce ars ita etiam univerſa Chirurgia, quæ tamen Medicinæ pars eſt antiquiſſima* (a) *& evidentiſſima, à plurimis Medicis adeo deſpicitur, ut minus neceſſarium immo infra illorum dignitatem eſſe credant, vel Operationes Chirurgicas callere, vel illis admovere manus. In quos Medicos* Joh. Muys (b) *ita invehitur: Medici ſibi dedecori eſſe exiſtimant, Chirurgiæ operam dare, perinde ac ſi ignobilius foret externis quam internis humani corporis morbis mederi, o miſerum ac male fundatum Medicorum præjudicium! Chymicis operationibus intenti manus ac faciem atris carbonibus denigrare non recuſatis, ſed gloriæ vobis ducitis, & hucuſque bene, verum cur Chirurgiam contemnitis? Nonne externæ corporis humani partes nigris carbonibus exiſtunt nobiliores. Præclarum eſt exercere Chymiam, ſed longe præclarius circa morbos verſari Chirurgicos. Ab his verbis haud multum abludunt illa Cel.* Joh. Adam Kulmi, Anatomici Gedanenſis (c). *An vero* Jac. Berengarius, Carpenſis (d) *nimis acriter de hiſce Medicis loquatur, dijudicare nolo. Optandum, ergo utique optandum, ut Chirurgia à Medicinæ corpore nunquam fuerit divulſa. Quis, quæſo, enim Chirurgiam à Medicina ſeparatam concipere, & ſe verum Medicum dicere poterit, qui integram curandorum humani corporis morborum cognitionem non habuerit, & Chirurgiæ peritia*

(*a*) Omnes enim Medicarum rerum hiſtorici filum hiſtoriæ à Chirurgia ſumunt vid. Herm. Conring. Introduct. ad Medic. C. I. Joh. Bohn de Offic. Medic. dupl. C. XXII. Gœlicke. Diſſ. de Mutilo Medic. Corpore reſarciendo per Chirurgiam. Hal. 1709. Celſ. L. I. & VII.

(*b*) Præfat. ad Praxin Chirurgiæ rationalis.

(*c*) Diſſ. de quibuſdam præjudiciis Medicis. Gedani 1732.

(*d*) De fractura Cranii. Lugd. Batav. 1715. p. 89. Equidem credo multos de prædictis Medicis operaturos, ſi ſcirent modum operandi, ſed potiſſima cauſſa, ob quam non operantur, eſt, quia neſciunt operari.

peritia fuerit ornatus. Si nulla ſane argumenta alia Medicos ad excolendam Chirurgiam excitare deberent, ſola imperitia & temeritas illorum Chirurgorum, quos haut immerito Lippos & tonſores cumque Berengario (e) Chirurgulos *vocare licet, ſufficerent. Inter omnes enim conſtat, quantum dedecoris & damni arti tam ſalutari hi vulgo ſic dicti Chirurgi inferant, ut illa etiam hodie adeo contemnatur, & aliis vilioribus opificiis æqui paretur* (f). *Omni itaque encomio digni ſunt iſti Medici, qui Chirurgiam & callent & exercent, quorum etiam noſtra Germania plures celebriores habet. Has aliaſque ob cauſas rite exantlatis Examinibus Academicis Medicis Thema hoc Chirurgicum elegi. Tu B. L. de hiſce juvenilibus laboribus æquam ſparge cenſuram ac errores, quorum plures eſſe nullus dubito, tolera vel emenda. Faxit* Deus *ut omnia feliciter.*

DISSERTATIONIS

CAPUT I.

De Ophthalmia.

§. I.

Multis inhærere deſcriptioni Anatomicæ partium oculi ſuperfluum duco, quum plures jam oculi ſtructuram exacte nobis expoſuerint, imprimis autem *Jac. Benjam. Winslow* Anatomicorum noſtræ ætatis facile Princeps (*g*) *de Saint Yves* Ophthalmiater Pariſienſis famigeratiſſimus (*h*) *Antoine Maitre Jean* (*i*) tam accuratam nobis hujus organi dederunt expoſitionem, ut aliquid novi & operæ dignum ſuperaddere nemo facile fuerit auſus.

§. II.

Quare ſtatim pergo ad tractationem de Ophthalmiis i. e. inflammationibus oculorum in genere: Ophthalmia jam brevi definitur, quod ſit ſanguinis ſerique ſtagnatio arterioſis in canalibus mininis tunicarum oculi cum attritu a reliquo ſanguine continuo vi cordis huc moto. (*k*) Quo minus autem

(*e*) l. cit.

(*f*) Illuſtr. Stahl. Diſſ. De perpetuo Medecinæ & Chirurgiæ nexu. Halæ. *Schwartzens verzerrete Narren-Kappe zwiſchen denen Badern und Balbierern.*

(*g*) Expoſition Anatomique de la ſtructure du corps humain. Paris 1732. T. IV. p. 2. à §. 202. ad 315.

(*h*) Nouveau traité des Maladies des Yeux & avec de nouvelles decouvertes ſur la ſtructure de l'œil. Paris 1722.

(*i*) Traité des Maladies de l'œil. Paris 1707.

(*k*) Illuſtr. Herm. Boerhaave. aphoriſm. de cognoſcendis & curandis morbis. §. 317.

autem ſtagnatio, obſtructio, inflammatio fiat in vaſis venoſis, prohibet venarum fabrica, quæ tanquam arteriæ replicatæ ex arcto in amplum deſinunt canalem, & ita humores in ampliores ſemper diffundunt canales, qui obſtructioni minus apti ſunt. Impeditur autem tranſitus humorum per minimas arteriolas tam ſanguiferas quam lymphaticas, quæ contraria ratione ex amplis in anguſtiores terminantur ductus, & ita niſui impetuive ſanguinis ex corde tanquam ex antlia humana protruſi magis patent, & facile ſanguini viſcidis, craſſis particulis & ſalium acidorum particulis & ſalium acidorum particulis prægnanti, progreſſum per arteriolas in vaſa has excipientia præcludunt. Inflammationum duplex obſervatur genus: 1um. ſi humor ſtagnet in vaſis ſibi propriis, in finibus ſc. arterioſis ſanguiferis (*l*) 2dum. ſi vaſcula imprimis eorum orificia ſint ampliora facta, ut globulis majoribus & diametrum vaſculi ſuperantibus in ſtatu naturali introitus quidem non autem progreſſus detur, & huc inflammatio errore loci facta à *Boerhaave* dicitur (*m*), & locum habet in vaſis arterioſis lymphaticis, maximeque in inflammationibus oculorum obſervatur.

§. III.

Ophthalmiarum cauſſas ad 4. commode refero claſſes, quarum

(1.) Omne id involvit, quod fines vaſculorum arterioſorum tunicas oculi percurrentium arctat, conſtringit, & ita ſanguinis tranſitum inhibet ex. gr. frigus ſiccum, infixa acria extus occurrentia & particulæ acres liquidis immixtæ.

(2.) Comprehendit illas cauſſas, quæ vaſculorum parietes laxant & dilatant, ut globuli his vaſculis non proprii intrare quidem non autem tranſfluere poſſint, huc refer aerem & ventos humidos fibras vaſorum relaxantes, motum cordis auctum & reſiſtentiam vaſculorum ſuperantem, calida & aquoſa extrinſece applicata, tranſpiratio inſenſibilis ſuppreſſa vel impedita, hinc ſenes calvi præ aliis ſenibus obnoxii ſunt oculorum inflammationibus.

(3.) Sub hac recenſentur omnes cauſſæ fluidorum corporis humani naturam immutantes, & illa craſſa, viſcida, coagulata fluxuique per vaſcula minus apta reddentes, quarum in cenſum veniunt acida humorum acrimonia, motus ſanguinis nimius tenuiora diſſipans, vigiliæ & lucubrationes intenſiores, ſomnus nimius, tranſpiratio aucta, plethora, tenacitas nimia humorum, aer æſtuans & ſiccus, qui humidiora auffert, adeoque ad majorem lentorem diſponit.

(4.) Includit cauſſas ſolidis & fluidis communes, ex. gr. calor exſiccat humores, fibras conſtringit, frigus coagulat & arctat &c.

§. IV.

(*l*) Boerhaave. Aporiſm. 372.
(*m*) Aphor. 118.

Digitized by Google

§. IV.

Inflammationes oculi multis ſed omni fere inflammationi communibus ſtipatur ſymptomatibus, quorum

(1.) *Dolor*, humores enim congeſti majus affectant ſpatium (§. 2.) inde membranæ diſtenſionem & expanſionem patiuntur, nervuli adjacentes à tumidis, vaſculis premuntur, & adjuvantes digladiantium particularum acrium ſtimuli punctionis ſenſum inferunt.

(2.) *Rubor* tunicis oculorum conciliatur nimia vaſculorum ſanguiferorum repletione, & cruoris in vaſcula pellucida lymphatica admiſſione. Stes ex. gr. ante ſpeculum, liges fortius collare, brevi albedo oculi in rubedinem mutatur, quæ ſoluto collari rurſus brevi ope palpebrarum nictitationis evaneſcit.

(3.) *Tumor* ab obſtructis, diſtentis & nimio cruore infarctis vaſculis.

(4.) *Calor* à juſto majori attritu & renixu partium ſolidi & fluidi.

(5.) *Pulſatio major* & moleſta ab impetu humoris arterioſi à corde propulſi & vaſculorum fibras diſtendente, ob harum reſiſtentiam ſumme ſenſilem pulſatio tam gravis ſæpe & moleſta, à pulſu ſatis diſtincta ipſa ſenſus & circumſtantiarum ratione. (*u*)

(6.) Durities à cauſis tumoris. (§. 3.)

(7.) Febris ſymptomatica ab irritatis fibrillis nerveis, & ſanguinis circuitu & mixtione turbatis.

(8.) Facies rubicunda, vigiliæ, ſitis, alvus ſicca, urina tenuis &c. partim à derivatione humorum ab inferioribus ad ſuperiora, partim à conſenſu nervorum oculi cum illis abdominis & capitis oriuntur.

§. V.

Symptomatum brevis hæc explicatio cuicunque facile *Signa diagnoſtica* ſuppeditabit, ita ut labore iſta (§. 4.) repetendi ſuperſedere liceat. Ad ophthalmiarum itaque propero differentias.

§. VI.

Quarum quidem cum aliis innumeras fere afferre poſſem, ſed iſtæ omnes ad quatuor claſſes & gradus referri poſſunt.

(1.) *Conturbatio* græc. ταραξις, quæ eſt lenior & incipiens oculi inflammatio nullo fere dolore, rubore mediocri & partem minorem tantum adnatæ tunicæ occupante ſtipata: hæc eſt vel ſicca abſque ullo lacrymarum effluxu, l. humida, uti in Epiphora.

(2.) *Ophthalmia* (hactenus vocabulo Ophthalmiæ late pro omni inflam-

(*u*) Vid. Eliæ Camerarii nuper demum piiſſime defuncti & de univerſa re Medica tam inſigniter meriti Syſtema Cautelarum Medicarum. Tub. 1721. p. 248.

Digitized by Google

flammatione oculorum uſus ſum, hic vero ſtricte illud cum (*o*) aliis accipio) quam comitantur dolores punctorii, rubor, & tumor, ſi non ſemper omnem, plurimam tamen conjunctivæ occupat partem, febricula adeſt cum reliquis ſymptomatibus (§. 4.). Hæcce ſpecies (α) eſt vel ſicca, vel humida (§. 6. n. 1.) (β) l. periodica, qualem in menſtruatis ex. gr. obſervarunt *Galenus* (*p*) *Joh. Schenck* (*q*) *Ludov. Mercatus* (*r*) *Gabelkoverus* (*s*) *Helwing* (*t*) vel continua, vel vaga. (β) eſt vel ſimplex, vel complicata abſceſſibus, hydatidibus, vaſis turgentibus. (γ) vel critica, uti *St. Yves* (*u*) in pleuritide obſervavit, vel non critica. (δ) vel ſympatica ex gr. in dyſenteria (*x*) *Georg. Wolffg. Wedelius* vel idiopathica. (ε) vel epidemica vel ſporadica; (ζ) vel contagioſa. (*y*) *Galenus*, vel contagioſa (η) vel interna *Choroides* dicta, quæ aſpectu levior apparet, ſed inflammatæ ſunt tunicæ interiores oculi, quarum inflammationem iris rubicundior, pupilla dilatata, dolores ad ſummum caput, & impatientia lucis clarioris indigitant.

(3.) Χήμωσις. *Chemoſis*, quando ſymptomatibus communibus ſumma exaſperatis, palpebris tumefactis & inverſis tunica adnata ita intumeſcit, ut ejus craſſities illam duarum linearum adæquet, & cornea pellucida in foſſula quadam circulari deliteſcat: hæc claſſis multas prioribus communes differentias habet, & plurimum Chemoſis eſt, ſi opthalmia critica (n. 2. l. V.) adfuerit.

(4.) Ἐκχυμωσίς. Lat. *Sugillatio.* In hac conjunctiva tunica tota rubra nulloque albo colore diſtincta eſt, nec dolores intenſi nec impatientia lucis, ſed tumor major obſervatur. Oritur ab effuſione cruoris in celluloſam membranam intra adnatam & ſcleroticam, quum ſc. diuturna mora infarcti humores acres fiunt, & perpetuo motu magis magiſque atteruntur, tandem vaſculorum nonnullorum fines rumpuntur & dilacerantur, ut ſanguis contentus effluat. Si quidem rem rite conſideremus, hæc ultima ſpecies effectus eſt inflammationis, ſed quia ſemper ophthalmia ſimul adeſt, hic omnium Auctorum ſequimur ordinem.

§. VII.

Ex iiſdem fontibus, ex quibus Ophthalmiarum cauſſas diagnoſim & differen-

(*o*) Joh. Maur. Hoffmann. Syntagma Patholog. Therapeuticum ad Joh. Hartmanni Praxin Chymiatr. Lipſ. 1728. p. 202.
(*p*) De differentia febrium. Lib. II. Cap. 2.
(*q*) Lib. IV. Obſ. 275. &c.
(*r*) De Mulierum affectibus. L. I. Cap. VII.
(*s*) Obſervat. Cent. III. obſ. 61.
(*t*) Obſerv. 40.
(*u*) Maladies des Yeux. p. m. 186.
(*x*) Diſſ. de Ophthalmia. Jenæ 1684.
(*y*) de febr. L. I. & III. de Method. L. II.

ferentias hauſi, *prognoſis* haurienda eſt. Uti omnis inflammatio vel in ſuppurationem vel gangrænam & ſphacelum &c. deſinit, niſi mature illi remediis occurras, ſic præ aliis oculorum inflammatio, ſi remediis incongruis vel minus conveniente methodo adhibitis illam velis auferre, varios triſtes immo triſtiſſimos ludit eventus. Naſcuntur enim inde facile viſus obſcuratus, cornea tranſparens obfuſcata, cicatricibus ulceribuſque defigurata & exeſa, partium internarum & externarum ſuppuratio, interdum viſus oculique jactura. Præ aliis autem ophthalmiis multum alunt periculi *Chemoſis*, *Choroides* (§. antec.) (quæ poſterior viſum deperditum & cataractas inducit membranaceas, quarum exiſtentiam alii negant, alii vero affirmant.) (z) *Ecchymoſis* à cauſſa interna plus ſæpe alit periculi, quam à cauſſa externa contundente. Ophthalmiæ vulneribus cranii, meningibuſque cerebri læſis ſupervenientes mortis ut plurimum ſunt prodromi. Secundum *Hippocratem* Ophthalmia laboranti alvi profluvium bonum eſt. (a)

§. VIII.

Devolvor jam ad Ophthalmiarum *curam*, quæ non obtinetur, niſi ſtaſis illa reſolvatur inflammatoria (§. 2.). Reſolvere a. dicitur humorem concretum & ſolida eo adaptare, ut liquidum commode per vaſorum anguſtias fluere queat: Quæ vero reſolutio fit vel in vaſis ipſis infarctis, vel in latioribus, in quæ reducitur humor: tria hinc ſunt obſervanda.

(1.) Materiam obſtruentem in ampliores reducere canales, ut ibi reſolvatur, quod fit evacuatione vaſorum, quæ ſanguinem obſtructis dederant vaſibus, & derivatione humorum ad alia loca impr. inferiora.

(2) Staſin inflammatoriam diſcutere & in loco reſolvere.

(3) Symptomatibus gravioribus occurrere & oculum præſervare a malis gravioribus.

§. IX.

Evacuant & derivant humores ad alia (§. ant. n. 1.) impr. præſidia Chirurgica: inter ea autem

(1.) Venæſectiones, quæ vel in oculis ipſis affectis vel in aliis corporis partibus inſtituuntur: illæ à *Felice Platero* Baſileenſi (b) non vero à *Dn. Woolhouſe* Anglo illo Ophthalmiatro, uti quidem prætendit (c) primum deſcriptæ vocantur *Phlebophthalmotomiæ*: quomodo autem Phlebophthalmotomia inſtituatur vid. *Felic. Platerum* (d) & *St. Yves.* (e). Venæſectiones in aliis partibus primis diebus inſtituantur emittendo ſanguinem mul-

(2.) Sca-

(z) St. Yves des Malad. des Yeux. p. 319.
(a) Sect. VI. Aphor. XVII. Coac. præn. Sect. II. §. 133.
(b) Praxeos Med LI. de Viſus læſione. C. VII. p. 240. edit. Baſileenſ. 1666.
(c) Catalogue des Inſtrumens.
(d) l. c.
(e) Malad. des Yeux. p. 195.
(f) Medicinæ Ration. Syſtemat. T. IV. P. I. Sect. II. C. XI. Caut. II.

Digitized by Google

tum per vulnus amplum: de uſu harum venæſectionum vid. *Frid. Hoffmannum* (*f*).

[2.] Scarificationes, quæ etiam in oculis ipſis vel in aliis locis celebrantur. Illæ diverſis inſtrumentis & modis fiunt, quorum exactam & fideliſſimam deſcriptionem exhibet Excellentiſſimus Dn. *Mauchartus* Med. & Chir. D. Archiater Würtembergicus Primarius P. P. O. Tub. Patronus pie colendus (*g*) ubi docet illam ſcarificationem optimam eſſe, quæ vegetabili illo Blepharoxyſto inſtituitur. Cui vero inter ſcarificationem & venæſectionem oculorum primas deferant, nondum inter ſe conveniunt Ophthalmiatri hodierni. Sed utraque operatio multiplici & quotidiana experientia in multis gravibus ophthalmiis & aliis oculorum morbis præſtiterunt effectus haud ſpernendos. Evolv. Diſſert. mox laudatam & *St. Yves.*

[3.] Arteriotomia *Egyptiis* (*h*) *Hiſpanis* & *Gallis* uſitata in diuturnis oculorum ophthalmiis divinum eſt remedium (*i*). Quam vero in noſtris regionibus tanquam noſtratium Chirurgorum manibus inexpertam & ignotam rariſſime in uſum vocamus.

[4.] Veſicatoria in cervice vel pone aures applicita laudat *Gregor. Horſt.* (*k*)

[5.] Setacea laudat *Hildanus.* (*l*)

[6.] Cucurbitulas, Hirudines ad tempora appoſitas *Frid. Decker.* (*m*)

[7.] Alii etiam laudant fonticulos, frictiones, pediluvia &c. Ex fonte Pharmaceutico evacuationis & revulſionis ſcopo prima ſunt purgantia leniora & fortiora ſecundum *Celſum* (*n*) & *Pechlinum.* (*o*) quorum uſus diverſitati corporum eſt accommodandus. His præmiſſis motum temperiemque optime corrigunt diaphoretica, temperantia & diluentia diuutis continuata.

§. X.

Secundo ſcopo inſerviunt remedia impr. externa Ophthalmica, quorum quilibet Ophthalmiater ſingularia prædicat. Præ aliis autem ſe commendat Camphora legitimo modo uſurpata, quem docet *Illuſtr. Stahl.* (*p*) impr. ſi præmiſeris epithema ex relaxantibus: Commendant ſe porro tutia, ſaturnina, aq. deſt. Euphras. Aq. fl. Cichor. [*q*] aliaque, quorum catalogum & uſum addere non eſt inſtituti. Nec chartarum anguſtia permittit tertio ſcopo

(*g*) Diſſ. Ὀφθαλμοξυστης Nov. Antiqua Woolhuſiano - Hippocratica. Tubingæ 1726.
(*h*) Proſp. Alpini de Medicina Ægyptiorum. L. II. C. XI.
(*i*) Ibid.
(*k*) L. II. Obſerv. Med. 14. 19.
(*l*) Cent. IV. Obſerv. 6. Ex. 2. 3. 4.
(*m*) Exercitation. Practic. p. m. 107. Lugd. Batav. 1694.
(*n*) L. II. C. 8.
(*o*) Tract. de Purgantibus.
(*p*) Diſſ. de Morb. Oculorum in genere. §. ult.
(*q*) Syntagma Pathol. Therapeut. J. Maur. Hoffm. ad Joh. Hartmanni Praxin. p. 201.

ſcopo ſatisfacere i. e. Symptomatibus gravioribus occurrere, multo minus ſingularum ophthalmiarum methodum medendi addere.

Diæta hic etiam obſervanda eſt, æger ſc. aeris æſtuantis, fumorum, vaporum acceſſum ad oculos arceat, delectetur tenebris, cibos aſſumat paucos eupeptos alvumque ſolventes, potus ſit aquoſus, diluens ex. gr. decoctum avenæ, motus corporis & animi non nimius ſed tranquillus. Hæc jam ſufficiant de Ophthalmiis in genere.

CAPUT II.

De Ophthalmia venerea.

§. I.

PErvenio tandem ad illius Ophthalmiæ tractationem, quæ Diſſertationis noſtræ thema eſt, & ab origine Ophthalmia *Venerea* vocatur. Verum enim vero triſtis hujus & maligni morbi nulli fere & Veterum & Recentiorum Auctorum nobis reliquerunt vel hiſtoriam accuratam vel veram medendi methodum, ſi ſequentes excipias auctores. *Antonium Muſam Braſſavolam* (*r*) *Bernhardum Tomitanum* (*s*) *Proſp. Borgarutium* (*t*) *Alexandr. Trajan Petronium* (*u*) *Joh. à Stephane* (*x*) & recentiorem *St. Yves* (*y*) qui morbum vel ſolum nominarunt, vel illum haud exacte deſcripſerunt, & illius veram curam reticuerunt, uti fecit *St. Yves.* Cum tamen hic morbus non inter rariſſimos recenſendus ſit, tres enim obſervationes Cap. huic annexas duorum annorum ſpatio collegi, & Bernæ ab Operatore Xenodochii dexterrimo *Dn. Häberle* relatum accepi, quod plures hoc morbo infectos annotaverit, quos vero nunquam priſtino ſtatui oculorum ob operationem ipſi ignotam reſtituere poterat.

§. II.

Ophthalmia *Venerea* eſt inflammatio Conjunctivæ à morbo Venereo producta & verſus noctem ingraveſcens. Antequam autem plura de hac Ophthalmia tradam, pauca dicam de *Luis Venereæ* natura.

§. III.

(*r*) Aloyſii Luiſini Utinenſis Aphrodiſiacus. Edit. Lugd. Batav. 1727. p. 665. 727.
(*s*) Ibid. p. 1053.
(*t*) Ibid p. 1125.
(*u*) Ibid. p. 1225.
(*x*) Obſerv. Medic. Dec. VII. Cent. 5.
(*y*) Traité des Maladies des Yeux. p. 187. & 209.

§. III.

Cujus luis cauſſa eſt virus illud venereum, quod per contagium communicatum (nam in noſtris regionibus non niſi ex contagio hic morbus oritur, an vero in illis terris, in quibus laſcivi quidam Europæi illum contraxerunt, ſolum contagioſus ſit venereus morbus, maxime dubito) cuticulæ poros ingreditur, vaſcula cutis ad cellulas uſque adipoſas perfluit, in iis hæret, obviæ pinguedini immiſcetur, quæ tanquam materia maxime viſcida venenum retinet, calore ſovet, & mora magis magiſque malignum & quaſi corroſivum reddit. (z) Hæc materia ſtagnans circumfuſas per ambitum lamellas pinguedinis inquinat, cutim illas obtegentem corrumpit, acredine corrodit, & ſemper latius ſerpens hoc virus latiorem etiam plagam in corpore celluloſo, quam in cute ſuperpoſita occupat. Cutis enim ſubſtantia dura longe difficilius, quam illæ membranulæ tenuiſſimæ cellulas efformantes, corrumpitur. Unde ſemper maculæ pulicum morſus tam colore quam magnitudine referentes & pluritum levem caloremque moleſtum generantes conſpiciuntur. (a)

§. IV.

Quod autem virus venereum in membrana adipoſa vim maximam exerat, ſequentia probant argumenta:

(1.) Autopſia & experientia quotidiana; quod ſi enim correptum ulceribus aſpicias corpus, muſculos omnes rubicundos & illæſos, ſed illorum interſtitia purulenta & infecta reperies: quid jam præter textum hoc celluloſum inter cutim & muſculos obſervatur.

(2.) Quare Ulcere Venereo conſolidato muſculi cuti adnaſcuntur? ob textus celluloſi per acrimoniam virus corroſi abſentiam & defectum: muſculi etiam actio ſæpe inde multum impeditur.

(3.) Pinguedinis natura, quæ totius corporis noſtri maxime tenax viſcidum eſt inter omnes humores noſtros, minime circulans eſt corpus, hinc etiam mora præ aliis aptum redditur materiam virulentam fovendi & magis iniet extendendi.

(4.) Subſtantia ipſius corporis celluloſi, quod ex pluribus irregularis figuræ componitur cellulis, hæ cellulæ ex membranis telæ araneæ inſtar tenuibus formatæ omnes fere corporis partes concomitantur, ſuperimpoſitæ cuti firmiter adhærent, in muſculorum interſtitia ſeſe inſinuant, illorum tendines inveſtiunt, horum inſertionem ad oſſa ſequuntur, inde Perioſteo communicant, atque cum vaſis oſſium intrant ſubſtantiam & cavitates, uti demonſtrant *Illuſtr. Boerhaave* (b) *Frid. Ruyſch.* (c) *Jac. Benj. Wins-*

(z) Ill. Boerhaavve Præfat. ad edit. Lugd. Batav. Aphrodiſiaci Aloyſii Luiſini.
(a) Ibidem.
(b) Præfat. cit.
(c) Theſaur. III. §. LXXIX.

Digitized by Google

Winslow (*d*) & illuſtrat illorum fraus, qui brutorum corpora in viſus fallaciam flatu replent. Itaque non mirum omnes Corp. humani partes aſſici & infici poſſe Lue Venerea.

(5.) Quod venenum venereum tamdiu ſæpius in abdomine infimo prope partes genitales hæreat, donec alias partes infeſtet, ibi enim tanta panniculi adipoſi obſervatur copia, ſi flatu illam diſtendas, ut *Excell. Dn. D. Salzmannus*, Præceptor meus ſua fidelitate nunquam ſatis à me deprædicandus, in Theatro Argentoratenſi Anatomico mihi monſtravit.

(6.) Medendi methodus, niſi enim convenientibus remediis liquidum cellularum oleoſum reſolvatur, & ex corpore ad ultimam uſque quaſi guttulam climinetur, malum nunquam non recrudeſcet.

§. V.

Doctrinæ gratia addo diverſos *Luis Venereæ* gradus, quæ tres habet:

(1.) Si materia virulenta ſolas partes generationi dicatas, & illas vicinas contaminaverit. Qui gradus diverſimode nominatur pro affectarum partium differentia: ſi ex. gr. Virus venereum ulcera produxerit in pene & partibus illis continuis dicitur *Gonorrhæa Virulenta*, in vagina vero muliebri appellatur *Fluor albus*: Prioris cum *Ill. Boerhaave* (*e*) quinque numeramus ſpecies, quarum.

(α) Si glandis textura ſpongioſa & celluloſa ulcuſculis tentata materiem fœtidam ſubluteo-virideſcentem, inſtar ſeri fuſi ſplendentem & minus cohærentem ſudat, quæ ſpecies liquore reſpective minus craſſo intra glandem & præputium hærente, & poſt glandis preſſionem extus tranſudante cognoſcitur.

(β) Cum virus penetrat ad celluloſi corporis urethræ partem ſuperiorem uſque, ſibique canaliculos in urethram hiantes format, ex quibus materia continuo deſtillat, quam cognoſces, ſi mane ante urinæ excretionem penem antrorſum premas, notabilis enim tunc effluit materiæ copia per preſſionem in urethram derivata: hæc eſt frequentiſſima, quæ præ aliis in gonorrhœam mutatur inveteratam, nullis ſæpe remediis auſcultantem.

(γ) Ubi materia glandulas *Cowperi* ſive ſec. *Ill. Winslow* Proſtatas inferiores (*f*) infeſtat & exedit, & ſe in cavum urethræ exonerat materia purulenta.

(δ) Si venenum per memoratas vias ad proſtatarum corpora perlatum illas tabefacit & corrodit, quam tumoribus hiſce in locis, urinæ interceptionibus &c. cognoſcimus.

(ε) Si virus ad veſiculas ſeminales penetraverit, illas exederit, & profluvium largum fœtidæ materiæ, magis tamen albicantis, cum variis fiſtulis,

(*d*) Expoſit. Anatomiq. T. III. Traité des Integumens. §. 68.

(*e*) Præfat. cit.

(*f*) Expoſ. Anatomiq. T. IV. p. 1. §. 555.

tulis, ſinubus ſcroti, ani, veſicæ &c. produxerit. Fluorem album malignum, quomodo à benigno dignoſcas docuit *Georg. Baglivi* (*g*) ſi ſcil. fluor durante menſtruo non ceſſat ſignum eſt fluoris albi maligni. Quod tamen ſignum non pro pathognomico & infallibili habendum eſſe monuit *Ill. Zellerus* p. m. P. P. O. & Archiatrorum Senior (*h*) idque variis obſervationibus confirmavit. Hinc alia ſigna in auxilium ſimul vocanda ſunt, effluxus materiæ ſubluteo-virideſcentis (§. hoc. l. *a*) doloris verſus noctem exacerbationes, impr. confeſſio ægrotæ.

§. VI.

Alter Luis hujus gradus eſt, cum materia Venerea præter partes genitales aggreditur etiam remotiores impr. membranaceas & officula tenuiora, cujus ſigna tanquam ubique deſcripta prætermitto.

§. VII.

Ultimus gradus eſt, ubi virus non ſolum partes membranaceas & tenuiora oſſicula ſed etiam firmiora, majora denſioraque infeſtat. Hic enim omnis pinguedo medullaris in rancidiſſimum putridumque mutatur oleum, cui vero exitus negatur, quod incluſum cariem generat, lamellas oſſium elevat, perioſtium diſtendit, exedit, atque ſic tophos, exoſtoſes generat. Infeſtantur præ aliis oſſibus oſſa claviculæ, humeri, cubiti, radii, tibiæ, oſſa Calvariæ, uti in Theatro Anat. Argentorati Anno 1732. fæmina juvenis cranium fere omni ex parte carioſum cum reliquis hujus luis in partibus muliebribus ſignis ſuppeditavit.

§. VIII.

Ophthalmia Venerea eſt vel *Symptomatica* vel *Metaſtatica*. Symptomatica ophthalmia venerea eſt illa, qua à morbo venereo tanquam à cauſſa producitur, ita tamen, ut morbus ipſe & materia virulenta non mutent locum & ſedem. Hæc ſymptomatica rarius obſervatur, & ſi adeſt utplur. ſecundus jam luis venereæ gradus (§. *6*. C. II.) ægrum infeſtat.

§. IX.

Symptomatica Ophth. cognoſcitur & à reliquis dignoſcitur:

(1.) Ab Ophthalmiis non venereis (de quibus Cap. I.) hæ omni tempore ægrum excruciant, illa autem i. e. Symptomatica Venerea veſpertino tempore incipit, cum nocte ingraveſcit, adventante autem diluculo remittit,

(*g*) Praxeos Medic. L. II. Cap. VIII. §. 3.

(*h*) Diſſ. de gonorhea virulent. in utroque ſexu. Reſp. Gmellno. Tub. 1706.

tit, porro ſymptom. venerea abſque ullis remediis ægrum tandem deſerit, ſed ſæpius redit, reliquæ autem ſemel abſentes ſine cauſis novis, exceptis periodicis, non redeunt, denique in ophth. ſymptom. venerea remedia dicta ophthalmica nullum, in reliquis autem congrue exhibita optatum edunt effectum.

(2) Ab ophthalmia venerea metaſtatica, illa i. e. ſymptomatica verſus auroram remittit, hæc vero non remittit, verſus auroram, illa nunquam hæc autem ſemper in 3um & 4tum ophthalmiæ gradum mutatur, porro in illa materia morbifica ſedem non tranſmutat (§. 8. c. 2.) ſed in metaſtatica, in illa dolores non tam graves quam in hac, illa denique auffertur malo venereo curato, hæc vero non.

§. X.

Symptomata hujus ophthalmiæ quilibet facile ex §. antec. extrahere poterit, ita ut ſuperfluum ſit illa repetere. Unicum notabo ſymptoma, quod ſc. dolor & rubor verſus noctem ingraveſcat cum aurora autem vel plane ceſſet vel remittat: quid vero hujus rei cauſſa ſit nondum demonſtratum eſt. Suum ſymbolum hic conferunt calor lecti, quies, digeſtio & concoctio aſſumtorum, quæ circuitum velociorem reddunt, denique aëris condenſatio dirigens motum humorum interiora verſus.

§. XI.

Quod autem lues venerea ſymptoma hoc cauſſare poſſit, non eſt, quod miremur, ſi tantum paulo accuratius conſideremus conſenſum illum inter oculos abdominiſque reliqui corporis viſcera, quem à nervis eorumque ramificationibus oriri certum eſt, uti etiam docuerunt *Georg. Ern. Stahl* (q), *Frid. Hoffmannus* (r) b. m. *Elias Camerarius* (s), aliique. Nervus enim *ſympatheticus magnus* (uti illum *Ill. Winslow* vocat, alii autem falſo hucuſque illum vocarunt *intercoſtalem*) communicat imprimis cum nervis in viſus organis diſtributis. Nam hic nervus in ſinubus duræ matris ad latera ſellæ equinæ oſſis cuneiformis ſitis jungitur:

(1) Per fibram ſexto nervorum cerebri pari, quod ſolum muſculis oculi ſacrum eſt.

(2) Per duas fibrillas nerveas ramo orbitali quinti paris (qui aliis *ophthalmicus* Winslowio autem ob egreſſum in orbita *orbitalis* audit) qui ramus in tres minores dividitur, qui ad externas oculi partes abeunt, & vocantur *frontalis*, *naſalis* & *lacrymalis*. Non ignoro quidem nonnullos recentiorum ſympathetici magni cum quinto pari in cranio communicationem

(q) Diſſ. de conſenſu partium.
(r) Medic. ration. ſyſt. T. III. S. I. c. 5.
(s) Syſtem. cautel. medic. p. 155.

nem in dubium vocare, quorum autem opinioni accedere nequeo. Præter omnium enim anatomicorum veterum tam quam plurimorum recentiorum auctoritatem, ex gr. *Veſalii* (*t*) *Vieuſſenii*, Jac. Benj. *Winslovii* (*u*), Celeberr. Laur. *Heiſteri* (*x*), Car. Aug. à *Bergen* Med. D. & P. P. O. Francofurti ad oderam (*y*) autopſia Anatomica hancce communicationem confirmat, quodſi enim ſuſpenſa manu huncce concurſum proſecutus fueris, invenies illam ſemper, uti pluries in theatro Argentinenſi dirigente Præceptore fideliſſimo & Patrono meo ſingulari *Henrico Alberto Nicolai* Anat. & Chirurg. Prof. celeberr. cujus præmaturam mortem Reſpublica medica litteraria ſat lugere nequit, non mentis nec ſuſpicionis ſed oculorum acie obſervavi.

§. XII.

Ophthalmia quidem *ſymptomatica venerea* haud multum alit periculi, & ordinario auffertur, ſi malum illius cauſſa ſc. fuerit extirpatum convenienti methodo, quodſi autem materia venerea nimis diu in corpore niduletur, & frequentiores inde oriantur tales ophthalmiæ, hæc facile oculos ad illam metaſtaticam prædiſponere poſſunt.

§. XIII.

In methodo medendi & curatione ipſius morbi venerei primarium indicatum eſt materiæ virulentæ ex corpore expulſio, quæ ut expellatur, duo requirit. (1) Materiæ corpus celluloſum imp. occupantis in tenuiores & ſubtiliores reſolutionem, (2) hujus reſolutæ ex corpore excretionem. Quæ ut fiant ex duabus tantum viis & methodis una eligenda eſt in gravioribus hujus mali ſpeciebus, quæ viæ ſunt vel medicamina mercurialia, vel ſumme ſudorifera. Quod Mercurium & ex illo parata medicamenta ſpectat, notandum quod inſignis differentia intercedat, an mercurialia extus vel intus applicentur, illa enim externa peſſima ſæpe generant ſymptomata, uti notavit *Balth. de Lindern* Med. D. & Practicus Argentoratenſis, Patronus meus colendus (*z*). Quomodo autem mercurius virus reſolvat, & ex corpore ſub ſpecie ſeri, ſalivæ, urinæ &c. eliminet, non jam inquiram, nec illius uſum multis exponam. Sufficiat nobis paucis annotaſſe, Mercurium non in omnibus luis venereæ ſpeciebus optatum & malo parem edere effectum. Nam in altero Gonorrheæ gradu (§. 5. c. 2.) ſali-

(*t*) De humani corporis fabrica. Baſil. 1543.
(*u*) Expoſit. Anatom. T. III.
(*x*) Compend. Anatom. p. 148. edit. meæ.
(*y*) Diſſ. de nervo intercoſtali. Francof. ad Oderam. 1732.
(*z*) Speculum veneris, *oder Venus-Spiegel*, *Straſbourg*, 1732. p. 347.

ſalivatio rite inſtituta non auffert malum, uti obſervarunt *Ill. b. m. Zeller* (*a*). *Herm. Boerhaave* (*b*) aliique Nec tertius luis venereæ gradus ſemper & ſecure profligitur. Cujus rei cauſſam indigitat. *Ill. Boerhaave* (*c*). Quæ ſeq. eſt: Mercurius quidem humores corporis reſolvit, olei tenacitatem dividit, & ſeroſas particulas imminuit, cum vero particulæ mercurii ter decies graviores ſint illis ſanguinis, ut quidem illæ particulæ vi cordis arteriarumque ad cryptas illas ſpongioſas penis, vaginæ uterinæ, oſſiumque medullam deferantur, ſed ibi nullam aut minimam exerant virtutem, arteriolæ enim membranulas harum cryptarum percurrentes ita ſubtiles ſunt, ut etiam ſubtiliſſimis injectionibus vix appareant: hinc in his cryptis ſæpe numero Mercurius crudus collectus invenitur, cujus rei exemplum refert Excell. D. D. *de Lindern* (*d*) & ipſemet nonnunquam in oſſium cranii ſubſtantia diaploica Argentorati adinveni impr. in cranio illo de quo §. 7. c. 2. Has ob rationes veteres jam aliam ſibi viam hanc materiam ex corpore eliminandi quæſiverunt, quam exſiccationem vocarunt, i. e. corpus diæta medicamentiſque plane quaſi exſiccarunt, quæ vero methodus plane fere abolevit, donec *Ill. Boerhaave* (*e*) neceſſitate coactus illam in uſum revocaverit; ut vero illa rite inſtituatur, plura veniunt attendenda, quæ omnia ex *Hutteno* (uti fatetur) *Boerhaave* deſumta in brevem ſed exactam contraxit hiſtoriam, quam venia lectoris apponam, cum hic liber rarior in paucorum manibus verſetur.

§. XIV.

Conſiſtit artificium in eo, ut omnia pinguia reſolvantur, corpuſque ita emacietur, nihil ut oleoſi retineat. Hic ſc. æger. loco calidiſſimo includendus, ut fere ſponte ibidem ad ſudandum pronus ſit. Abſtineat ab omni cibo, potuque pingui. Unico biſcocto pane, uviſque paſſis alendus. Nullo reficiendus potu, niſi ſincero & paulo leviori Guajaci decocto. Quater interim interdiu potet decocti meraciſſimi ejuſdem tantum, quantum poteſt, ut minimum ſorbeat octo vel 10. uncias. Poſtquam ergo continuato aliquot dierum decurſu impletus hoc liquore quaſi hydropicus evadere incipit, jam cogitandum, corpus hoc plenum liquore, cujus penetrabilis acrimonia, & acuta balſamica virtus talis eſt, ut omnem fere pituitam ſolvat, pingue diluat, tenax attenuet, putridum à fracedine ulteriore præſervet. Reſtat jam ut velociſſime per omnia vaſa trajectus intima quæque abluat, detergat, & pinguia infecta accuratiſſime e corpore

(*a*) Diſſ. citat. de gonorrhea.
(*b*) Præfat. cit.
(*c*) Ibid.
(*d*) Spec. veneris p. 347. & 348.
(*e*) Præfat. cit.

pore eliminet & tandem ſanet. Igitur vacuo jejunus ventriculo mane impleat ſe, qua poteſt maxima copia æger, ut turgeat, dein in ciſtella erectus ſedens lignea, vel in lecto ſub craticula ſub incenſorum ſpirituum vini flammam ardentem ſudet nudatum corpus adeo diu & fortiter quam ferre poteſt. Spatium dimidiæ horæ ſumma fere menſura eſt, tum in lecto remota flamma continuet ſudorem ultra per horulam. Dein octo vel 10. uncias juris macilentæ vitulinæ cum pauca oryza cocti calide exhibeatur. Surgat æger. Qui ſic quatuordecim diebus tractatus & mane & veſpere ſudet, ita ſemper reficiatur, detergatur, & repleatur decocto. Tum denique quatuordecim diebus iterum ſudet mane. Interea dum hac arte in ſudores reſolvitur corpus, ſi quæ pars oſſis malo infecta venereo, hæc eo tempore obvolvenda pannis calidiſſimis fortiſſimo Guajaci lixivio madentibus, quin & præcipua ardentium ſpirituum flamma inter ſudandum eam verſus partem dirigitur.

§. XV.

Memoratis jam (§. 13. 14.) remediis ſi morbum profligaveris, ſymptomatica hæc ophthalmia ſimul ceſſat. Ut denique illa, quæ de ophthalm. ſymptomatica vener. retulimus, exemplo confirmemus, ſequentem adjicio caſum, ex benevola communicatione practici cujuſdam Argentoratenſis feliciſſimi: ruricola quidam juvenis ex pago *Biſchen* natus biennio ante gonorrhea virulenta laboraverat, quæ à chirurgo quodam urbis per adſtringentia præpoſtere adhibita ſiſtebatur, biennio elapſo variæ puſtulæ venereæ circa frontem apparebant inſigni capitis dolore in occipite præprimis & ophthalmia ſtipatæ, quæ ſymptomata cum nocte exacerbabantur, cum adventu autem & ortu ſolis ita miteſcebant, ut nullus fere tumor, & rubor in oculis obſervaretur. Hic ruſticus opem hujus medici efflagitat, qui illum medicamentis mercurialibus illi arcanis & congruo regimine priſtinæ reſtituit ſanitati, ita ut profligato morbo etiam ſymptoma hocce evanuerit.

§. XVI.

Progredior ad alteram ophthalm. venereæ (§. 8. c. 2.) ſpeciem *metaſtaticam* ſcil. quæ eſt materiæ virulentæ ex partibus genitalibus in oculum tranſpoſitio, & aggregatio; hæc ſpecies eſt vel plenaria, ubi ſc. omne virus ex partibus genitalibus in oculum tranſponitur, vel minus plenaria, ubi aliqua tantum pars tranſponitur. Materia virulenta colligitur in corpore illo celluloſo, quod flatus ope in oculi parte anteriore inter tunicam ſc. conjunctivam & expanſiones illas tendineas muſculorum oculi detegitur, detegitur etiam celluloſum textum inter membranam internam palpebrarum & muſculos illarum.

Digitized by Google

§. XVII.

Materia hic collecta virulenta ſequentia creat ſymptomata, quorum.

(1) Eſt tantus *tumor*, ut cornea tranſparens in unam vel duas lineas profunda fovea deliteſcat. Omne enim virus venereum ex ſyſtemate liquorum ſecretum in panniculo adipoſo anteriori oculi colligitur; quod autem conjunctiva corneam pellucidam obtegens non ſimul tumefiat, ratio eſt, quia illa circulo extremo corneæ pellucidæ firmiter annexa eſt, & nullum cellulоſum corpus inter has duas tunicas adeſt.

(2) *Dolor* eſt vellicans & inſigniter lancinans, materiæ enim hic aggregatæ acrimonia corroſiva ſuppoſitas expanſiones tendineas & ſuperpoſitam adnatam membranam arrodit & corrumpit, hinc quo acrimonia major eo majores etiam dolores.

(3) *Color* ex livido virideſcens, quem colorem oculis morbo hoc infectis conciliat latitans ibi virus venereum, quod ejuſdem eſt coloris, cujus eſt illud in gonorrhea effluens. Vid. obſerv. fini cap. annexas.

§. XVIII.

Symptomata hæc ſignorum vices ſimul gerant. Quomodo autem à reliquis differat ophthalmiis, ex §. 9. cap. huj. diluceſcit.

§. XIX.

Inquiramus jam in cauſſas illas, ob quas metaſtaſis hæc ad oculos nonnunquam & non ad alias partes fiat. Huic metaſtaſi in genere & in ſpecie ad oculos anſam præbent.

(1) Remedia repellentia & adſtringentia præmature & præpoſtere adhibita interne & externe in utraque gonorrhœa venerea: hoc nomine famoſa ſunt oſſa ſepiæ, pinguia, martialia, ſaturnina &c. Aſſumta præpoſtere & nimia quantitate calidiora ſudorifera balſamicaque huc etiam faciunt, dum virus agilius reddunt non vero eliminant. Hinc ſæpius certe vidimus gonorrhœæ malignæ, ait *Frid. Hoffmann* (*f*) nimio balſami Peruviani vel de Copaiva uſu cohibitæ puſtulas in facie, oſſium dolores & in inguine bubones ſucceſſiſſe.

(2) Communicatio & concurſus nervorum oculi cum nervo ſympathetico magno (§. 10. c. 2.).

(3) Oculorum ſtructura vaſculoſa: ex obſervationibus enim diſcimus, illas præ aliis noſtri corporis partes *metaſtaſibus* obnoxias eſſe, quæ præ aliis etiam vaſculis perſeminantur ſanguiferis, hinc tam frequentes metaſtaſes ad viſcera fieri experimur.

(4) Con-

(*f*) Syſt. ration. med. T. III. Sect. I. c. 8. §. 34.

(4) Continuus fere labor oculorum, & omnibus aëris mutationibus expoſitio, quæ uti alia hujus organi totum ac robur valde affligunt & debilitant, ut dein humores in has partes, ubi minorem reſiſtentiam & reniſum inveniunt, facilius irruant.

(5) Frequentes antegreſſæ ophthalmiæ imprimis ophthalm. ſymptomatica venerea oculi ſtructuram ad hanc metaſtaſin prædiſponunt.

§. XX.

Præſentibus his cauſis metaſtaſis ſequentem in modum fit: virus cum venereum per remedia incongrua vel alias cauſſas maſſæ ſanguineæ remiſcetur, quæ circulans omnia corporis humani puncta perfluit, & iis in locis i. e. hic in oculis materiam hanc heterogeneam deponit, in quibus ſi non omnes plurimæ tamen ex cauſſis (§. antec.) allegatis concurrunt. Non mirum autem parva vaſculorum orificia humorem tam craſſum viſcidumque admittere, & ad alias corporis regiones tranſportare poſſe, ſi conſideremus vaſcula hic ſtatum naturalem mutaſſe, & ampliora aptaque evaſiſſe, ut materia craſſa in ſanguinem regurgitare poſſit. Suffragatur etiam experientia, quodſi etiam abſceſſus, tumores, ulcera materia purulenta plena fortioribus adſtringentibus tractaveris, pus deſerit locum & in alias transfertur partes; ſolum immo frigus ad ulcera vel abſceſſus admiſſum inſignes ſæpe movet turbas repellendo materiam craſſam ad interiora corporis. Quæ mala oriuntur ex ſcabie ſuppreſſa? Nec deſunt nobis exempla metaſtaſeos in gonorrhea virulenta ad alia præter oculos loca, de quibus evolve *Zacutum Luſitanum* (*g*). *Joh. Willis* (*h*). *Rudolph. Huberum* (*i*). *Frid. Hoffmannum* (*k*) alioſque.

§. XXI.

Ut tandem rectum de morbo hoc formemus ratione exitus judicium, non opus erit, multis Lectori perſuadere, illum eſſe periculi pleniſſimum, materia enim venerea, in oculis collecta acrimonia ſua & maligno caractere brevi expanſiones tendineas & ſcleroticam membranam exedit & perforat. Conjunctiva enim jam aliquam contraxit duritiem, uti docent obſervat. noſtræ. Nec hic morbus tantum corporis permittit, ut materiam vel corrigas, vel ad alias derives regiones, & niſi feſtinante manu chirurgi ſtagnanti huic veneno exitus paretur, certo certius non ſolum amit-

(*g*) Praxeos med. admirab. L. I. obſ. 105. de aphonia ex retenta gonorrhea virulenta. L. II. obſ. 127.

(*h*) De medicamentorum operationibus p. 2. Sec. I. c. 5.

(*i*) Diſſ. inaug. exhib. doctrinam de glandulis, & tumorem ſcrophuloſum maxillæ inferioris à retropulſa gonorrhea virulenta oriundum. Baſil. 1713.

(*k*) Syſt. pract. med. T. III. S. I. c. 8.

Digitized by Google

tet viſum, & illius organum, ſed malum latius ſerpens etiam nervum opticum invadet, ſicque cephalalgias intolerabiles, abſceſſus cerebri, omnemque tragædiarum ſcenam producet. Ophthalmias venereas ſymptomaticas frequentiores oculum ad hunc morbum diſponere dixi (§. 19. c. 2.) Solatio adhuc eſt ægro, quod gonorrhœa virulenta omnemque ſæpe opem eludenti liberetur, ſi ſcil. metaſtaſis fuerit plenaria.

§. XXII.

Ordinis jam ratio poſtulat, ut curationem morbi ſubjungamus, quæ duobus abſolvitur, (1) ut oculus à materia virulenta evacuetur & (2) reſidua materia virulenta eliminetur. Primæ indicationi ſatis fit ſequenti operatione & deligatione chirurgica: æger & chirurgus eundem hic obſervant ſitum & collocationem, quam in cataracta obſervant, de qua vide Dionis, Heiſterum &c. Miniſter autem ægri caput retro parum reflexum firmiter tenet, alii, ſi opus fuerit, brachia pedeſque ægri tenent, ne ille æger doloribus agitatus chirurgum operantem turbet: poſt chirurgus pollice & indice inter palpebras elevatas & reflexas collocatis ſcalpro acutiſſimo vel lanceola chirurgica conjunctivam tunicam prope corneæ tranſparentis marginem circularem incidit, & exitum virus parat, quam inciſionem tam diu in circulo quaſi continuat, donec nulla amplius infarcta hæreat virulenta materia: incidit etiam palpebras longitudinaliter, ſi intumefactæ ſimul fuerint, caveat autem ſibi chirurgus, ne illas profunde nimis incidat, facile enim muſculi & cartilagines læduntur, hinc tranſverſalis inciſio diſſuadetur, quia hæc nimis profunda paralyſin palpebræ generat. Finita operatione & materia virulenta bene evacuata oculus digeſtivo ex albumine ovorum & aq. roſarum impleatur, & faſcia ſic dicta oculus ſimplex, ſi in unico tantum oculo malum, vel oculus duplex, ſi in utroque, applicetur, quam faſciam deſcribunt inter alios *Garengeot* (*l*) & *Henr. Baſſ.* P. P. Hallenſis (*m*). Operationem, ſi tempus & materiæ acrimonia non vetat, antecedant remedia ſic dicta generaliora impr. purgantia, antivenerea decocta, & ſi ſubjectum ſit plethoricum venæ ſectio largior, de quibus generalioribus vide *St. Yves* (*n*).

§. XXIII.

Secundæ indicationi ſatisfacimus decoctis ſic dictis antivenereis, impr. Decocto Guajaci meraciori: & ſi metaſtaſis non fuerit (§. 16. c. 2.) plenaria, recurrendum ad ipſius mali venerei exſtirpationem, quomodo autem illud exſtirpetur, paucis jam indicavimus (§. 13. 14. 15.)

§. XXIV.

(*l*) Traité des operations de chirurgie. T. II. p. 75. Paris 1720.
(*m*) *Bericht. von denen* Bandagen. *Halle* 1720. p. 108.
(*n*) L. cit. p. 208.

§. XXIV.

Antequam autem tractationi noſtræ de ophthalmia venerea metaſtaſtica finem imponam, aliquot obſervationes annectam illam illuſtrantes, quas partim mihi communicavit b. m. *Nicolai*, ad ultimum vitæ halitum ob paternum in me amorem etiam poſt mortem colendus, partim ipſe illis interfui.

CASUS I.

Vir quidam ætatis circiter triginta ſex annorum, temperamenti ſanguineo cholerici per impuros amplexus gonorhœam contraxit virulentam, ſeque Chirurgi cujuſdam ſanæ methodi medendi ignari curæ commiſit, qui præmature medicamenta adſtringentia intus, extuſque exhibens materiæ fluxum ſimul cohibuit. Paulo poſt æger conqueritur de Ophthalmia ſæpius cum veſpere redeunte, ad mediam noctem increſcente, cum aurora ita decreſcente, ut omnis dolor omniſque rubor fere evanuerit: hæc Ophthalmia nullis nec externis nec internis remediis audiebat, ſed ordinario nullis etiam aſſumtis remediis deſerebat ægrum. Semel autem & ſimul una nocte ita invaluit Ophthalmia, ut mane uterque oculus imprimis autem dexter adeo intumuerit, ut cornea pellucida in foveola duas lineas profunda latuerit. Quem tumorem oculi ille palpebrarum & dolores vellicantes punctorii lancinantes concomitabantur. Æger accerſit Dn. *Helwig* Chirurgum Ophthalmiatrumque Argentoratenſem dexterrimum, qui ex primo ſtatim intuitu cauſam quandam rariorem hariolans ægrum rigoroſe examinat, hic confitetur ſibi quindecim jam ante annis gonorrheam virulentam ſuppreſſam fuiſſe. Statim operationem modo deſcriptam ægro proponit Chirurgus, ne ſc. virus internas oculi partes corrodat, imprimis cum oculi dextri cornea jam parum læſa apparebat, æger autem illam operationem ſuſtinere recuſat. Quare omnia tentans Chirurgus ter venas pedis ſecat, veſicatoria applicat, purgantia & decocta mercurialia ægro exhibet, quæ vero morbum plane non imminuebant. Altero autem die æger perſuaſionibus commotus operationem tranquillo animo ſuſtinuit præſente b. m. *Nicolai*, cujus favore & egomet præſens eram, quam feliciſſimo cum ſucceſſu peregit Chirurgus. Obſervabat Chirurgus in operatione duritiem quandam Conjunctivæ, & materia effluens illi gonorrhœæ ratione coloris, odoris, conſiſtentiæ ſimillima erat. Poſt vulnus rite deligavit, & decocta antivenerea præſcripſit, ſicque ægrum per *Dei* gratiam viſui & ſanitati integræ reſtituit.

CASUS II.

Femina juvenis viginti quatuor annorum nata, & conjugi malo gallico infecto per matrimonium juncta, per aliquot annos fluore albo maligno, & ſæpius

pius ophthalmiis ſymptomaticis laborabat. Nihilominus gravida reddita legitimo tempore infantem morbo contaminatum venereo enixa eſt. Septima à partu nocte matris oculus ſiniſter ophthalmia venerea metaſtatica illi Caſ. I. ſimillima tentabatur. Altero hinc die vocatus ſupra laudatus *Helwing* operationem in oculo puerperæ haud infeliciori cum ſucceſſu inſtituit, matrique & infantis nutrici decocta & remedia mercurialia exhibuit, & ſic matrem & infantem curavit. Fluxus etiam albus cum lochiis ceſſabat.

CASUS III.

Ut fidelis obſervatoris exequar officium, addam hanc diſpari cum eventu inſtitutam curationem. Mulier quadraginta quatuor annorum jam ætatis anno decimo ſexto fluorem album malignum experta, qui ad ætatem notatam duravit. Ad exſtirpandum hoc virus Salivationem mercurialem rite inſtitutam ſuſtinuit, ſed fluor inde ſiſtebatur, nam antegreſſis venereis Ophthalmiis *ſymptomaticis* ſucceſſit Ophtalmia graviſſima *metaſtatica;* cum vero mulieris domicilium aliquot leucas ab urbe Argentinenſi diſtaret, & Chirurgi illius oppidi morbi eſſent ignari, materiæ acrimonia corneam jam plane exeſerat & perforaverat, donec Dn. *Helwing* nimis ſero vocatus operationem tamen perfecit ad reſcindendam ulteriorem bulbi corruptionem. Sed viſus non redibat.

Hæc ſunt, quæ de Ophthalmia Venerea Speciminis Academici loco conſcribere volui, plura omiſſa minuſque dextre elaborata eſſe ſcio. Cœterum *Deo T. O. M.* humillimas ago gratias, cui Laus ſit honor & gloria.

FINIS.

ABRA-

XX.

ABRAHAMI VATER

ET

J. CHRISTIANI HEINICKE

DISSERTATIO

Qua viſus vitia duo rariſſima, alterum duplicati, alterum dimidiati phyſiologice & pathologice conſiderata exponuntur.

Wittenberg 25. May 1723.

Q. D. B. V.

QUemadmodum omnia & ſingula corporis humani, organa viſceraque ita comparata ſunt, ut propter elegantiſſimam ſtructuram ac diſpoſitionem, tot viventium actionibus perſiciendis aptam, admirationem noſtram excitare queant; ita inter illa maxime organa ſenſoria, adeo diverſo partium componentium, artificio exquiſitiſſimo elaboratarum, apparatu inſtructa deprehenduntur; ut quo diutius & attentius eadem conſideramus, eo major atque frequentior nobis naſcatur occaſio, illorum intuitu obſtupeſcendi, ac ineffabilem ſummi opificis ſapientiam admirandi celebrandique. Gaudent hæc ſingula conformatione ſpeciali, ipſis propria, atque ad ſenſationem determinatam perficiendam adaptata, qua non tantum inter ſe differunt, ſed mutua quaſi æmulatione invicem certant, ut difficillimum ſit ſtatuere, quodnam eorum ſtructuræ elegantia, ac ſymmetriæ mechanicæ excellentia, reliquis antecellat. Quoniam tamen oculi ſupremum in capite locum occupant, nitore & pelluciditate ſingulari ab aliis ſe diſtinguunt, tam vario partium delicatiſſimarum apparatu gaudent, lucis atque colorum, & imaginum diverſiſſimarum perceptioni inſerviunt, ac quod palmarium eſt, intimam cum anima noſtra rationali communicationem obtinent, adeo ut ejuſdem indoles, propenſio, ſingulique affectus vivis quaſi coloribus in iis depingantur, ab omni tempore principem inter organa ſenſoria locum haud immerito occuparunt. Eas ob cauſas Orpheus oculos naturæ ſpeculum, Plato partes diviniſſimas, Alexander Peripateticus animæ feneſtras, Heſychius ſolis partum nominavit. & uti ſol Aegyptiis mundi oculus ſalutatus eſt, ita oculi microcoſmi lumina recte audiunt. Invenerunt hic anatomici, de vera partium ſtructura ſoliciti, invenerunt phyſici, obſervationibus naturæ effectuum invigilantes, habuerunt mathematici, in explicandis lucis & colorum proprietatibus ac viſus phænomenis occupati, habuerunt tandem & medici, affectibus oculorum medendis intenti, in quo ingenii vires exercere potuerunt. Ut ut vero phyſici ac mathematici, examinando lucis proprietates, & refractionum leges, ac comparando inprimis oculum cum camera obſcura, in viſionis natura illuſtranda, induſtriam nunquam ſatis laudandam collocarint, tantum tamen abeſt, ut negotium omnino confectum ſit, ut potius, quo intimius illi penetrarunt, tanto pluribus difficultatibus rem iſtam implicatam eſſe ſentiant. Nemo in hunc uſque diem certas & apodicticas rationes dare potuit, qui fiat, quod, cum oculi in omnibus fere cum camera obſcura conveniant, & in illis æque, ac in hac, objecta omnia ſitu inverſo depingantur, hæc tamen a nobis erecta videantur. Taceo nunc reliqua viſus phænomena ſingularia, ubi objecta alienis coloribus infecta, erecta inverſa, recta curva, quieta in motu conſtituta, remota propinqua, & viceverſa, oculis interdum apparent. Attentionem imprimis meretur ſymptoma illud rariſſimum, cujus ex Hermanno Cuminio mentionem fecit Bone-

tus, quando Theologus, plaga dolorifica, a rupta inſtrumenti muſici chorda accepta, nocte ſubſequente jam adulta, e ſomno evigilans, cuncta clare, ac ſi de die eſſet, vidit, adeo, ut minimos picturarum & tapetum tractus obſervare, characteresque ex libro legere poſſet. Oculo vero læſo clauſo, tenebras denſiſſimas adeſſe, ille percepit, eodemque iterum aperto, conclave illuſtratum viſum eſt, lucem tamen candelæ allatæ, ſoliſque ſplendorem de die, ægre tulit oculus affectus, quod per aliquot dies duravit, tandemque ſenſim remiſit. Convenit cum hoc caſu ſequens hiſtoria, quam Tackius, archiater quondam Haſſo Darmſtadinus, ac Medicinæ & Eloquentiæ profeſſor in Academia Gieſſena celebris, de ſe ipſo ad Reiſelium perſcripſit, quæ refert, ſibi, ingruente crepuſculo, meditationibus intenſioribus inhærenti, ſubito flammam ex oculis ſuis erumpere, ac in ſubjectam chartam expandi, viſum fuiſſe, qua hæc adeo illuminata fuit, ut luminis iſtius uſura duas integras lineas ſcribere potuerit, antequam lux iſta evaneſceret, uti videre eſt apud Bonetum Med. ſeptentr. L. 1. Sect. 22. cap. 46. 47. *Rerum harum intelligentes facile judicabunt, affectus hos ex nimia pupillæ dilatatione originem traxiſſe: ob quam lux per atmoſphæram diſperſa, intra oculum collecta illuminationem hanc mentita eſt. De hoc tamen pluribus agere, non eſt animus, quoniam novum plane & inauditum viſus phænomenon, a nemine auctorum hactenus conſignatum, admirationem noſtram nunc poſtulat. Eſt hoc viſus rerum dimidiatus, in tribus ægris a nobis obſervatus, quo illi objecta omnia, per medium quaſi ſecta & dimidiata, atque dimidiam tantum eorum partem viderunt. Dignum hoc judicavimus argumentum, quod ſpeciminis inauguralis loco orbi erudito exponatur. Ob materiæ tamen affinitatem, & ut viſus dimidiati ratio magis pateſcat, præmittere conſtituimus viſum rerum geminatum, in alio ægro a nobis obſervatum. Faxit Deus T. O. M. ut ſingula cedant in ſui honorem, & ægrotantium emolumentum.*

CASUS I.

Viſus geminatus, terrore, a fulgure concepto, excitatus.

ANno 1721. menſe Majo, miniſter eccleſiæ in pago, duobus abhinc lapidibus diſtante, mediæ ætatis, hypochondriacus, atque catarrhis, doloribuſque imprimis capitis obnoxius, percepto tempeſtatis appropinquantis fragore, ædes ſuas egreditur, coeli conſtitutionem contemplaturus. Hoc ipſo momento, in oſtio ſtans, fulguris ſplendore, oculos inopinato feriente, ipſe vehementer confunditur, adeo ut totus timore perculſus, quid ſibi accidiſſet, ignarus in conclave ſe reciperet. Haud ita multo poſt, elapſa circiter hora una vel altera, vertigine graviter afflictum ſe ſentit noſter, ſimulque objecta omnia dupliciter videt. Quamprimum vero ille oculum alterutrum claudit, oculo uno bene & accurate videt, ſed utroque aperto, ſta-

ſtatim vertigine & duplici objectorum conſpectu perturbatur. Inſpectis juſſu ejus, a domeſticis oculis, manifeſta eorum diſtorſio, & pupillarum ad diverſas plagas directio apparet. Ipſe propterea, affectu hoc ſingulari perterritus, malum eventum, ipſamque apoplexiam metuens, auxilium a nobis anxie poſtulat. Præſcripſimus eidem, præter laxantia blandiora atque veſicatoria interponenda, interna reſolventia nervina antiſpaſmodica, & externa diſcutientia, cephalica, roborantia, temporibus ac nuchæ applicanda. His tamen malum ab initio parum cedere viſum eſt, ut potius, ægro imprimis moerori vehementer indulgente, in eodem fere ſtatu permanſerit. Quamobrem conſilium ipſi dedimus, ut animo a curis & anxiis meditationibus abſtracto, remedia præſcripta continuaret, Deoque confiſus, meliora ſperaret. Ita ergo factum eſt, ut elapſis paucis ſeptimanis, affectus ſenſim evaneſceret, ægerque priſtinæ ſanitati reſtitueretur.

CASUS II.

Viſus objectorum dimidiatus, moeſtitia contractus.

Vir juvenis plethoricus, animo ingenuo, liberali ac jucundo præditus, & liberiori vitæ generi, converſationibusque aſſiduis aſſuetus, ante aliquot annos, in loco, a converſatione amicorum grata remoto, contra naturæ inſtinctum, per aliquod tempus commorari cogitur. Aegre hoc tulit noſter, a ſolitudine plane alienus, animumque propterea ſolicitudinibus triſtibuſque cogitationibus mire defatigavit. Accedente præterea vini novi, aſperi atque auſteri abuſu, affectionibus hypochondriacis, obſtructionibus alvi, anxietatibus præcordiorum afflictum ſe ſenſit, adeo, ut eo tempore vix per horæ quadrantem, etiam ſi ſtando, quicquam attente legere ac meditari valuerit. Hoc rerum ſtatu factum eſt, ut ille, qui alias pingendis punctatim imaginibus, (Mignature) deditus erat, dum aliquando in pingenda tali imagine minutiſſima, obuli magnitudinem haud excedente, occupatus, aciem oculorum nimium intendebat, ſubito viſum confundi, oculiſque caliginem offundi perciperet. Hoc ipſo omnia, quæ oculis obverſabantur, objecta dimidiata, ac per medium ſecta vidit, adeo, ut, ſive ambobus oculis, ſive alterutro clauſo, quicquid intuebatur, quoad dimidium tantum videret, dimidia rerum parte viſum plane fugiente. Affectu hoc inuſitato ac extraordinario, haud parum perturbatus fuit animus ipſius, imprimis, cum eundem ad aliquod tempus continuare ſentiret. Duravit tamen hoc ſymptoma vix ultra horam unam, vel alteram, ac poſtmodum per ſe, abſque ullius remedii uſu, evanuit. Eundem tamen affectum, in fœmina hypochondriaca & ſcorbutica, vini pariter craſſioris potui, ac animi affectibus gravioribus indulgente, a moerore diuturno, fletu-

tuque frequenti inductum, per ſex integros menſes duraſſe, & poſtea, animo a curis liberato, ſenſim remiſiſſe novimus. Tertium hujus viſus dimidiati exemplum, hoc ipſo tempore, quo in diſſertatione hac elaboranda occupati ſumus, præbuit nobis matrona nobilis, ex cujus ore habemus, ſæpiſſime ipſi contingere, ut objecta omnia, quoad dimidiam tantum eorum partem videat, imprimis hoc tempore, quo utero gerit, ſymptoma tamen hoc non diu durare, ſed mox tranſire.

Thesis I.

NEmo non videt, binas has vitiatæ viſionis ſpecies, uti e diametro ſibi oppoſitas, ita non vulgares, ſed rariſſime obvias, ſimulque explicatu eſſe difficillimas. Viſio quidem duplicata adeo infrequens non deprehenditur, ut potius vel ſola ebrietate, vel diſtortis ſtudio oculis, excitetur, cauſa tamen hujus rei obſcura ſatis eſt, in cujus expoſitione auctores parum inter ſe conveniunt, imo, uti ex ſequentibus manifeſtum fiet, rem acu non tetigerunt. At viſio dimidiata adeo rara atque extraordinaria eſt, ut etiam hujus rei nil quicquam, ab auctoribus conſignatum, reperire liceat, quamobrem nos ipſi de hujus affectus exiſtentia dubitaremus, niſi veritatem ejus, ex ægrorum ipſorum fide dignorum, propria relatione cognoviſſemus. Mirum omnino eſt, nullam hujus affectus mentionem, in libris phyſicorum atque mathematicorum factam eſſe, unde forte quiſpiam concluderet, phantaſiæ potius, quam viſus, læſioni eundem adſcribendum eſſe. Quoniam tamen ille in tribus ægris, ſat diu durans, ac per intervalla repetens, a nobis obſervatus eſt, in animum induximus, in cauſas ipſius inquirere, ac demonſtrare, eundem ad viſus læſiones vere pertinere. Potuiſſet quidem nos a propoſito hoc deterrere ſumma hujus rei obſcuritas, niſi ſatius duxiſſemus, in re tam ardua & nova aliquid experiri, quam phænomenon illud curioſiſſimum & ad alia viſionis vitia melius intelligenda utiliſſimum, diutius in tenebris abſconditum relinquere. Dabit tamen, uti ſperamus, benevolus lector veniam, ſi quidem rationes, a nobis in medium adductæ, ipſi non in omnibus ſatisfaciant. Naſcetur forte exinde occaſio, Phyſicis & Mathematicis celebrioribus, accuratius in hujus rei fundamentum inquirendi. Nobis interim ſufficiat mentem noſtram de ea in præſenti expoſuiſſe, atque ex principiis Anatomicis & Medicis in ejus cauſas inquiſiviſſe.

Thesis II.

Priuſquam tamen ad caſuum noſtrorum conſiderationem nos conferamus, præmittenda quædam erunt, de oculi ſtructura, viſuſque naturaliter conſtituti œconomia, ut tanto accuratius de viſu depravato ferri queat judicium. Oculorum texturam artificioſiſſimam, ac pluſquam mechanicam, longiori

ver-

verborum apparatu delineare, opus hic non erit, utpote de quo anatomicorum libri conſuli poſſunt. Generaliter annotaſſe ſufficiat, organa iſta elegantiſſima, ex membranis, humoribus, atque vaſculis variis, ita diſpoſita & fabrefacta eſſe, ut radii lucidi, ab objectis illuminatis reflexi, per tunicam eorum anteriorem diaphanam, corneam dictam, tranſeuntes, ac in tranſitu per humores, aqueum, criſtallinum & vitreum varie refracti, ad tunicam retinam, interius in oculo expanſam abire, & in hac objectorum imagines, tanquam in camera obſcura, delineare queant. At enim vero, quoniam iiſdem oculis, res non tantum prope nos poſitas, ſed etiam longius a nobis diſſitas, perſpicimus, eam ob cauſam pupilla, per fibras ciliares cum criſtallo cohærens, mobilis exiſtit, & ad moderandum radiorum lucidorum tranſitum, modo dilatatur, modo conſtringitur, eoque ipſo humorem criſtallinum, nunc poſteriora verſus deprimit, nunc anteriora verſus ducit. Ita enim fit, ut pro varia objectorum diſtantia, axis viſus brevior vel longior evadat, & radii lucidi in ſoco uniantur, atque ſic rerum imagines accurate, & diſtincte in tunica retina depingantur. Hac ipſa impreſſione in fibris tunicæ retinæ nerveis facta, ſuccus nervoſus, in iiſdem latens varie afficitur, & commovetur, motuſque ille per nervos opticos, ad principia nervorum propagatur, ex cujus diverſitate anima in cerebro habitans, de objectorum varietate judicat. Quomodo autem anima immaterialis ab impreſſionibus corporeis afficiatur, noſtrum non eſt explicare, neque hoc ab ullo idoneis verbis exponi hactenus potuit,

THESIS III.

Occurrunt in viſu admiranda plane phænomena, explicatu difficillima, quæ acutiſſimorum virorum ingenia mire exagitarunt. Concipi enim vix poteſt, quo pacto radii lucidi, a rebus tot diverſiſſimis, varie ſitis & coloratis reflexi, ac una & ſemel intra oculos recepti, ſine ulla confuſione, ad tunicam retinam abeant, in eaque objectorum iſtorum ſitum, colores, diſtantiam, ac mille alias conditiones minutiſſimas exprimant. Maxime vero omnium admirationem excitavit, qui fiat, quod cum objecta re vera dupliciter in duobus oculis depingantur, & ita neceſſario duplicem, per nervos opticos commotionem efficiant, nihilo tamen ſecius ſimplicia, uti ſunt, a nobis videantur. Hujus rei fundamentum Galenus jam tum, aliique veterum in conjunctione nervorum opticorum, juxta ſellam equinam, poſuerunt, in quo coalitu ſpeciem duplicem una fieri, exiſtimarunt. At recentiores ab his recedunt, exemplis moti eorum, in quibus nervi iſti, annotante Loſſelio, Veſalio, Riolano, atque Cæſalpino, toto tractu diſtincti reperti fuerunt, qui tamen objecta ſub duplici ſchemate non viderunt.

THE-

Theſis IV.

Attamen hi nullatenus inter ſe conveniunt, ſed in explicatione hujus phænomeni, vehementer diſſentiunt. Alii enim ad radios viſorios, ab anima retro, per utriuſque oculi centra, verſus objectum unicum eductos, ſeu rectilinea mentis judicia confugiant, inter quos eſt *H. Fabri in ſynopſi optica & tract. de homine*, & qui hunc ſequitur, *Sturmius ſenior in Matheſi Juvenili ſcient. optic. ſect.* 1. *cap.* 11. §. 4. *ac philoſ. eclect. tom.* 2. *exerc.* 5. *cap.* 2. & 3. Alii cum Carteſio, filamentorum nervi optici ſympathicorum, concurſu intra cerebrum in unicum punctum ſupponunt, quamobrem motiones duplices in oculis excitatæ, concurrant, & ſimplicem tantum unius objecti ſenſationem efficiant, uti expoſuit *Rohault. tract. phyſ. p.* 1. *cap.* 31. & 32. Alii denique ad ſitum potius, & tenſionem æqualem fibrarum in nervis opticis attendunt, utpote, quæ annotante *Briggs in ophthalmographia ac in theoria nova viſionis*, *Regiæ Anglorum Societati exhibita*, ſuper thalamos tractæ, chordarum citharæ, ſuper ponticulum flexuram referant. Ex hoc ille infert, fibras nervi utriuſque optici parallelas, & æqualiter tenſas, a radiis lucidis vibratas, non magis duplicem, objecti unius ſenſationem inducere, ac fides duarum cithararum concordes, & homotonæ pulſatæ, duplicem ſonum edant.

Theſis V.

Nulla harum ſententiarum, veritati magis conformis videtur, quam ultima Briggſii, quæ etiam a pleriſque recentiorum, cum applauſu recepta eſt. Experientia enim docet, ſola oculorum diſtorſione, mutato hoc ipſo fibrarum, utriuſque nervi, paralleliſmo, axin viſus alterari, ac objectum unicum propterea duplex apparere. Quo minus tamen hoc frequentius contingat, & ut horum nervorum æquilibrium conſervetur, præter connexionem, juxta ſellam equinam, multum in muſculorum, imprimis obliquorum, æquali proportione, & tractione ſitum eſt. Obliquorum enim ſuperior per trochleam ſpecialem, inferior vero ex peculiari orbitæ foramine, ad oculum tendit, qui cum reliquis muſculis contrariis, æqualem inter ſe obtinent proportionem, qua deficiente, oculi perpetuo ſtrabiſmo laboraturi eſſent, uti *Briggs loc. cit.* judicat. Quoniam igitur ad viſus ſimplicis, mediante oculo duplici peracti, rationem exponendam, ſufficere poteſt paralleliſmus, & tenſio æqualis fibrarum in nervis opticis, inde nulla opus eſſe fibrarum, in coalitu nervorum iſtorum, decuſſatione ac confuſione, conjiciunt Auctores, ideoque concludunt, conjunctionem nervorum opticorum, in anteriori ſellæ equinæ parte, eſſe tantum ſuperficialem. Nihil omnino eſt, quod contra ſententiam illam regerere queamus, ut potius ambabus largiamur manibus, ad ſimplicem objecti unius viſionem, neceſ-

ceſſario requiri fibrarum, utriuſque nervi optici, ſitum tenſionemque æqualem. Conſentientes pariter illi nos habent in eo, eam ob cauſam opus nullatenus eſſe, ut ſupponamus fibrarum iſtarum decuſſationem, & intimiorem unionem, qualem alias ad oculum demonſtrare non licet. At enim vero, ſi phænomenon viſus dimidiati, in caſu ſecundo expoſitum, attentius intueamur, manifeſtum evadet, ad hujus rationes exponendas, abſolute neceſſarium eſſe, ut decuſſationem atque intimiorem unionem fibrarum, utriuſque nervi optici ſtatuamus, utpote qua nisi conceſſa, fruſtra quis laborabit, in cauſis hujus affectus ſingularis perveſtigandis, ut ex ſequentibus palam fiet.

THESIS VI.

Non deerunt forte, qui inſtitutum hoc noſtrum, quo fibrarum, in nervorum opticorum conjunctione, decuſſationem, contra ſententiam, ab omnibus phyſicis & mathematicis receptam, de nervorum iſtorum ſuperficiali tantum concretione, adſtruere conamur, nimis temerarium & audax pronunciabunt. Nervorum, ſi non univerſi corporis, quorundam tamen, decuſſationem ſuadere videntur ſymptomata quædam, a contuſionibus, aut læſionibus aliis capitis ac cerebri producta, ubi læſo unico latere, partes alterius lateris paralyſi, ac convulſionibus afflictæ obſervatæ fuerunt. Quoniam tamen iſta nervorum decuſſatio demonſtrari nequit, & concuſſo licet cerebro in uno latere, læſio ejuſdem præcipua, in altero latere fieri poteſt, quemadmodum in cranio contrafiſſuræ contingere obſervantur, ideo talem nervorum decuſſationem plerique non admittunt. Totos vero nervos opticos, in animalibus quibuſdam, ſe ita decuſſare, ut dexter ad ſiniſtrum, ſiniſter vero ad dextrum oculum vadat, quidam ſe vidiſſe perhibuerunt, quale quid de lupo marino aliiſque refert *Collins in the ſyſteme of the Anatomy T.* 1. *c.* 13. cujus quidem interſectionis horum nervorum, totalis, nos nullam perſpicimus utilitatem. Aliter tamen ſe res habet cum interſectione fibrarum, in conjunctione nervorum opticorum, quæ noſtro judicio, ad illuſtrationem viſus dimidiati, neceſſario ſupponenda erit.

THESIS VII.

Varia quidem ſunt, quæ huic ſententiæ parum favere videntur, quamobrem etiam auctores combinationem nervorum opticorum, tantum ſuperficialem ſtatuunt. Vidimus ſupra, nervos opticos, toto ſuo tractu ſeparatos, quandoque in hominibus inventos fuiſſe, eoſque in chamæleonte plane non coire, communis fert opinio, uti refert *Briggs loc. cit.* Imprimis vero decuſſationi fibrarum in nervis opticis, penitus contraria apparet obſervatio *Veſalii*, *de corp. human. fabric. lib.* 4. *cap.* 14. allata, qui in fœmina, cujus oculus dexter, a prima infantia minor & emaciatus,

ſiniſter vero ſanus & perfectus extitit, nervum dextrum toto ſui tractu, exiliorem ſe inveniſſe perhibet. Inde enim quiſpiam inferre facile poſſet, nervum dextrum dextro, ſiniſtrum vero ſiniſtro tantum oculo opem ferre. Facillimo tamen negotio, dubiis iſtis occurrere nos poſſe, judicamus, ſi modo exempla illa, ab auctoribus citata, quoad omnes circumſtantias rite ponderemus.

THESIS VIII.

Quod ad hoc attinet, in quibus nervi optici plane non concreti, ſed per totum eorum tractum, ſeparati inventi fuerunt, fuit hæc ſtructura præternaturalis, a qua ad ſtatum naturalem concludere non licet. Occurrunt ſane, in ſectionibus corporum defunctorum, interdum extraordinariæ, vel plane monſtroſæ partium conformationes, quæ tamen nullam regulam efficere poſſunt, juxta quam de conſtitutione naturali judicare queamus. Ponamus etiam, dari animalia, in quibus iſte nervorum opticorum coalitus deficit, ex eo tamen nullatenus ſequitur, ipſa perinde ac homines, eodem deſtitutos, duplici viſu affici debere, uti auctores conjiciunt, ſi modo paralleliſmus fibrarum, & oculorum ipſorum conſervetur. Ex antea dictis enim conſtat, ad viſum rei unius ſimplicem, non abſolute requiri illam nervorum conjunctionem, ſed ſufficere æqualem fibrarum, utriuſque nervi ſitum atque tenſionem, ob quam unicum objectum, quamvis dupliciter in duobus oculis delineatum, ſimplicem tantum & conſonam motionem, verſus cerebrum efficit. Hoc vero tanto magis fieri conſtat, ubi nervi optici coaliti ſunt, etſi hoc ipſo fibras ſuas, inter ſe decuſſatas, intimius uniant, uti demonſtrandum nobis ſumpſimus.

THESIS IX.

Sed huic decuſſationi obſtare adhuc videtur obſervatio Veſalii antea citata, qua fœmina, a prima infantia oculo dextro minori, atque emaciato inſtructa, poſt mortem nervum quoque dextrum, ſiniſtro exiliorem monſtravit. Hanc tamen obſervationem nil ad rem facere, & ad deſtruendam theſin noſtram, de fibrarum in nervis opticis decuſſatione, infirmam eſſe, ex dicendis manifeſtum fiet. Extra omnem quippe dubitationis aleam poſitum eſt, nervos opticos ad oculorum nutritionem plane non facere, ſed viſui tantum inſervire. Hanc ob cauſam oculi in gutta ſerena nitidi, turgidi, ſplendentes atque ſucci pleni obſervantur, cum tamen in hoc affectu influxus liquidi animalis per nervos opticos totaliter intercipiatur. Imo obſervationi Veſalii, aliam nos opponere poſſumus experientiam Cheſeldenii, qui in ſectione cadaveris cujuſdam, nervum pariter opticum dextrum, ſiniſtro multo exiliorem, atque pravo colore infectum invenit, oculo utroque nihilo ſecius in hoc ſubjecto, extrinſecus ab omni

vi-

vitio libero exiſtente, uti *in tranſact. Anglic. n.* 387. *p.* 287. conſignatum reperire licet. Nihil certi quidem ille, de viſus conditione in defuncto, quamdiu hic in vivis eſſet, reſcire potuit, ac propterea conjicit illum forte gutta ſerena hujus oculi laboraſſe. Ex hoc tamen manifeſtum eſt, atrophiam oculi in Veſalii exemplo, non a nervi optici hujus lateris contabeſcentia, ſed ex alia cauſa, originem traxiſſe.

THESIS X.

Remotis itaque illis, quæ fibrarum, in nervorum opticorum conjunctione, decuſſationi contraria videbantur, nunc ad rem ipſam accedimus, ex viſus dimidiati ratione demonſtraturi, eandem ad phænomeni hujus rariſſimi explicationem, omnino neceſſariam eſſe. Hoc ut recte peragatur, ſupponendum prius eſt, vitium hoc neque in tunica cornea, neque in humoribus oculorum hærere poſſe, utpote quæ partes diviſionem, in duo ſegmenta æqualia non admittunt, adeoque viſum talem dimidiatum nullatenus producere poſſunt. Novimus quidem, ex relatione chirurgi periti, exemplum, ante plures annos hic loci contingens, ubi quis ex contuſione oculi facta, per totam poſtea vitam hoc vitio laboravit, ut læſo oculo objecta omnia, quaſi dimidiata & per medium ſecta videret, ita tamen, ut totum objectum, quamvis diviſum, oculo uſurparet. In hujus oculo nullum aliud vitium inſpicientibus apparuit, præterquam, quod linea, per medium pupillæ tranſiens, hanc in duas partes dividere videretur. Noſtrum nunc non eſt, decidere, utrum fiſſura humoris cryſtallini, an vero alia læſio, hujus rei cauſa extiterit, hoc tamen clarum eſt, phænomenon illud a viſione dimidiata, a nobis expoſita, penitus differre, utpote quæ in humoribus latere non potuit.

THESIS XI.

Nulla itaque oculi pars reſtat, præter tunicam retinam, ipſumque nervum opticum, in qua affectus iſtius fundamentum quærere liceat. Luce enim meridiana clarius eſt, in horum ægrorum tunica retina, utriuſque oculi, objecta quidem plenarie depicta fuiſſe, in dimidia tamen ejuſdem parte exinde, nullam per nervos opticos verſus cerebrum, ſucci animalis commotionem excitari potuiſſe. Inter omnes ſiquidem conſtat tunicam retinam contextam eſſe, ex fibris nervorum opticorum medullaribus, per quas liquidum nervoſum continuo influit, atque impreſſiones, a radiis lucidis factas, verſus cerebrum ducit. Confecta igitur res eſt, ad unum idemque, tunicæ retinæ utriuſque oculi, latus dimidium, affluxum ſucci nervei interceptum atque impeditum fuiſſe. Hoc autem poſito, neceſſario ſequitur, tunicam retinam in utroque oculo, ac ipſos quoque nervos opticos, in duo ſegmenta æqualia diviſa, reperiri. Hanc tamen nervorum opticorum, in duo quaſi hemiſpheria diviſionem, ante eorum conjunctionem ſtatuere, ab-

ſurdum foret, quapropter inde merito infertur, talem in ipſo coalitu, juxta ſellam equinam, per fibrarum decuſſatarum combinationem, fieri debere.

THESIS XII.

Hoc ut eo clarius pateſcat, repetenda hic eſt ex anatomicis, conſtructionis cerebri ac egreſſus nervorum ratio. Notum enim eſt, quam quod notiſſimum, cerebrum ex duobus hemiſpheriis diſtinctis conſtare, ex quibus egrediuntur nervorum paria, diſtinctis principiis in hemiſphæriis iſtis oriunda, ita, ut nervi dextri hemiſphærii dextro, ſiniſtri vero ſiniſtro lateri proſpiciant, ſenſuſque & motus in toto corpore principium conſtituant. Hæc diviſio cerebri in duo ſeparata hemiſphæria, unicum fundamentum eſt, quamobrem a læſo unico cerebri, ac ſpinalis medullæ latere, hujus lateris partes convulſionibus, atque paralyſi potiſſimum afficiantur, in latere vero oppoſito nihil de hoc percipiatur. Eaque corporis univerſi diviſio, ratione nervorum, tam accurata & exquiſita deprehenditur, ut etiam in hemiplegia dimidium naſi, oris, linguæ, faucium, ac reliquarum lateris affecti partium affligatur.

THESIS XIII.

His præmiſſis, quilibet facile videt, nervos opticos e diſtinctis hemiſphæriis, principiis ſeparatis oriundos, ante eorum combinationem, nullam inter ſe communicationem habere, multoque minus diviſionem in duas æquales partes admittere, ſed, uti dexter dextro, ita ſiniſtrum ſiniſtro lateri dicatum eſſe. Quod ſi tamen dexter nervus totus in dextrum, & ſiniſter in ſiniſtrum, oculum abiret, non videmus, quo pacto utriuſque nervi optici, unum idemque dimidium latus ita affici potuiſſet, ut influxus ſucci nervei in dimidiam tunicæ retinæ partem, impediretur. At enim vero, per rationes antea adductas, evictum eſt, viſus dimidiati fundamentum, nullibi alias, quam in tunica retina utriuſque oculi, quoad partem dimidiam paralyſi temporaria, ſeu ut ita dicamus, hemiplegia laborante, quærendum eſſe. Quamobrem ex his recte concludimus, nervos opticos non ſuperficialiter tantum coire, ſed in illo coalitu fibras ſuas ita decuſſare & unire, ut hoc ipſo nervi, poſtea a ſe iterum recedentes, in duo ſegmenta æqualia, hemiſpheriis cerebri correſpondentia, dividantur, atque ſic dextrum tunicæ retinæ latus, in utroque oculo, fibras e dextro, ſiniſtrum vero e ſiniſtro hemiſphærio accipiat, oculique adeo, ob fibrarum, ex nervis opticis accedentium, æqualem in tunicis retinis diſtributionem, in viſionis actu, inter ſe conſentiant. Hoc eo magis veritati conveniens nobis videtur, quoniam alias, ſuperficialis nervorum opticorum conjunctionis, nullam inſignem eſſe judicamus utilitatem, ac imprimis, quia, uti hactenus demonſtravimus, ſine fibrarum in his nervis decuſſatione, viſus dimidiati ratio nullo pacto explicari poteſt.

THE-

THESIS XIV.

Accedimus ad cauſas, viſus duplicati atque dimidiati, in caſibus noſtris exhibitas, quarum agendi modum, ad examen nunc vocabimus. Quantum ad viſum duplicatum, illum in ſublato oculorum ipſorum, atque nervorum opticorum, & fibrarum in iiſdem contentarum, parallelismo conſiſtere, ex antea dictis conſtat. Hoc æque bene fieri poteſt, ſi fibræ utriuſque nervi, in conjunctione juxta ſellam equinam, decuſſantur, ac ſi hi, ex communi opinione, ſuperficietenus tantum coaleſcerent. Variæ quidem viſus duplicati cauſæ, ab auctoribus obſervatæ fuerunt, quæ tamen omnes eo collimant, ut parallelismus fibrarum in nervis opticis tollatur. Notum eſt, ſola ebrietate viſum duplicari, hac vero tranſeunte, hoc ſymptoma iterum ceſſare, ex nulla alia ratione, quam propter motum ſanguinis, verſus cerebrum impetuoſum & tumultuarium, quo ipſo nervi optici, arteriis carotidibus accumbentes, inæqualiter premuntur, atque ſitus fibrarum in iiſdem parallelus auffertur. Propter iſtum enim ſanguinis, per carotides irruentis, impetum, ac irregularem nervorum opticorum irritationem, atque preſſionem fit, ut objecta, in tunica retina delineata, non tantum duplicia, ſed etiam multiplicia, imo in motu conſtituta, nutantia, aut in circulum mota, ebriis appareant. Ea etiam eſt cauſa, quod viſus duplicatus ſemper fere cum vertigine conjungatur, quemadmodum hoc in exemplo, a nobis annotato, uſu venit. In hoc quippe conſiſtit ratio vertiginis, quando ob preſſionem ſucceſſivam fibrillarum nervorum opticorum, influxus ſucci nervei in eaſdem inæqualis, circumgyrationis ſenſum in mente excitat, demonſtrante *Barthol. de Moor. in Pathol. cerebr. cap.* 3. quatenus fibræ tunicæ retinæ ſingulis momentis, aliter atque aliter ab iiſdem objectis, in ſenſus incurrentibus, moventur, eoque ipſo objecta iſta continuo locum mutare, atque in gyrum moveri, oculis apparent. Falſum propterea conceptum, œconomiæ animali plane contrarium, hac de re ſibi formarunt illi, qui in vertigine ſpiritus ipſos, ita dictos, in gyrum moveri, exiſtimarunt, utpote quod, in fibris nervorum tenuiſſimis, inter ſe diſtinctis, fieri nequit.

THESIS XV.

Sed redeundum nobis eſt ad cauſas reliquas quæ viſum geminatum producere obſervatæ fuerunt. Ita a ſolis catharris ac humiditate nimia, oculum unum vel alterutrum irrigante, hunc affectum inductum eſſe, annotavit *Foreſtus lib.* 2. *obſ.* 39. & *Aquilonius opt. p.* 346. quoniam in ejuſmodi ægris, interdum nullum aliud oculorum vitium apparuit. Curioſus imprimis & notatu dignus eſt caſus, ab hoc de juvene adductus, qui objecta quidem propinquiora ſimpliciter, remotiora autem omnia dupliciter vidit,

Digitized by Google

ex nulla alia cauſa, quam, uti idem recte judicat, quia æger, laxato muſculorum tono, in obſervandis remotioribus, quæ majorem oculorum firmitatem poſtulant, eoſdem firmos & ſtabiles continere nequivit. Attentionem pariter meretur, viſus geminatus in morti vicinis, atque ex morbis gravioribus reconvaleſcentibus, qualia exempla collegit *Bonetus loc. cit. ſect.* 22. *caſ.* 43. 44. Quemadmodum enim in illis elater nervorum remittere, & influxus ſucci animalis ceſſare incipit, uti ex tremore in moribundis patet, ita in reconvaleſcentibus quoque debilitas nervorum, ex morbo reſidua, huic affectui occaſionem præbet. In illo etiam ægro, cui inter ſugendum e fiſtula fumum tabaci, eodem citante *caſ.* 45. viſus duplicatus contigit, affluxus humorum largior, verſus caput & oculos concitatus, muſculos relaxando, vel ſpaſmum eorum excitando, oculorum diſlocationem efficere potuit. Facere huc præterea quoque poſſunt, injuriæ ab extra oculis illatæ, plagæ & contuſiones, atque tumores in cantho nati, quibus oculi diſtorquentur, uti in puero decenni, a concuſſione per globulum niveum, oculum ferientem, poſt tumorem graviſſimum, per tres menſes durantem, affectum iſtum remanſiſſe, ex actis literar. Sueciæ A. 1721. p. 230. memorat *Thummig tentamen explicationis phænominum naturæ p.* 1. *c.* 8. in caſu a nobis adducto, a ſolo ſpaſmo, terrore, a fulgure inopinato excitato, oculi diſtorti, & in diverſas plagas tracti fuerunt; quemadmodum inſpectio oculorum docuit.

Thesis XVI.

Expoſitis cauſis viſus duplicati, examinandæ nunc quoque erunt illæ, quæ rariſſimum illum affectum, viſum nimirum dimidiatum, in ægris noſtris produxerunt. Per argumenta ſuperius expoſita, certum & evictum eſſe judicamus, fibras utriuſque nervi optici, juxta ſellam equinam ita decuſſari, ut tunica retina, in ambobus oculis, in duas partes æquales dividatur. Ex hoc ergo ſequitur, vitium aliquod in alterutro cerebri hemiſphærio adfuiſſe, quo nervus opticus lateris affecti, ſive obſtructus, ſive ab extra compreſſus, officio ſuo fungi non potuit. Obſtructionem in nervo ipſo adfuiſſe, credendum vix eſt, quoniam ſymptoma cito nimis tranſiit, ac per intervalla quandoque repetit, uti exemplum tertium, a nobis allatum, docet. Propterea tamen nullatenus, cum *Pitcairnio* facere poſſumus, qui in *Element. med. phyſ. mathem. l.* 2. *c.* 12. contendit, nullam unquam in nervis, etiam in gutta ſerena, a cauſis intra eorum cavitatem contentis, obſtructionem contingere poſſe, quoniam prius obſtrui debuiſſent arteriolæ, cum nil ſit in nervis, quod non prius fuerit in arteriis. Conſiderandum enim eſt, tractus nervorum medullares tenuiores longe eſſe, arteriolis minimis, adeoque humores lentos, quamvis per arteriarum extrema tranſlatos, in iſtis facilius ſubſiſtere & ſtagnare poſſe, imprimis cum nervi de-

ſtituantur pulſu. Facile interim largimur, obſtructiones in nervis adeo frequentes non eſſe, quam vulgo creduntur & accuſantur.

THESIS XVII.

In noſtris itaque caſibus, obſtructionem ipſius nervi adfuiſſe, nullatenus contendimus, ſed potius preſſione externa, a ſanguine craſſiori & feculento in arteriis ſtagnante, liberum liquidi animalis per nervum tranſitum impeditum fuiſſe, credimus. Ad hanc arteriolarum in cerebro minimarum obſtructionem, & nervorum, ob ſanguinem impurum, per carotides impetuoſius irruentem, compreſſionem, apprime conducit cachexia ſcorbutica & hypochondriaca, in ægris noſtris obſervata. Quantum acredo ſcorbutica, cum viſciditate conjuncta, generi nervoſo, ac oculorum præprimis texturæ tenerrimæ delicatiſſimæque, infeſta ſit, in vulgus notum eſt, utpote qua circulus humorum, per vaſa cerebri & oculorum minutiſſima, retardatur, tubuli anguſtiſſimi obſtruuntur, vel comprimuntur, nervi ſenſu exquiſitiſſimo gaudentes irritantur, & in ſpaſmos convulſioneſque concitantur, atque ſic innumeris malis occaſio præbetur. Hoc vero tanto magis contingere ſolet, quando propter obſtructiones, viſcerum abdominis depuratoriorum, alvique tenacitatem, impuritates in ſanguine retinentur, flatuſque in corpore coacervantur. Propter circulum enim, in viſceribus obſtructis, vaſiſque a flatibus compreſſis, difficiliorem, ſanguis viſcidus & acris, impetuoſius verſus cerebrum ruit, & vertiginem, ſpaſmos aliaque ſymptomata, hypochondriacis communia, producit. His omnibus tandem occaſionem quoque præbent, cauſæ aliæ procatarcticæ, quales in caſibus noſtris fuerunt, curæ ac mœror, cum lacrymis frequentibus, lucubrationes & contemplationes objectorum minutiſſimorum, quæ aciem oculorum vehementer lædunt. His quippe affluxus humorum impurorum, verſus oculos concitatur, imprimis in ſubjectis cacochymicis, diæta prava utentibus, ac imprimis vini crudi atque tartarei potui indulgentibus, quorum ſanguis alias ſcoriis craſſis, mucoſis atque tartareis abundat.

THESIS XVIII.

De cura affectuum horum nihil addimus, quoniam rerum harum gnari facile intelligent, eandem ad cauſas enumeratas dirigendam eſſe. Hoc ſaltem adhuc notandum, quod, evicta fibrarum in nervis opticis decuſſatione, atque unione intimiori, juxta ſellam equinam, pateſcat ratio, cur oculo uno accuratius videamus, quam ambobus? Nec non, cur affectus oculorum tam frequenter, ex uno oculo in alterum tranſeant? De his tamen plura addere, tempus & ſpatium non permittit.

TANTUM.

J. J.

XXI.

J. J. KLAUHOLD

DISPUT. INAUGURALIS

DE

VISU DUPLICATO.

Argentor. 13 April. 1746.

Digitized by Google

P R Æ F A T I O.

E*Xantlantis per Dei gratiam conſuetis examinibus, cum de themate inaugurali ophthalmiatrico (cui ſcientiæ in annis meis Academicis, non tamen neglectis ceteris ſtudiis medicis, præcipue operam dabam) ſollicitus eſſem, obtulit ſeſe mihi* caſus *quidam rarior* de viſu duplicato *: cujus occaſione dicti morbi, alias minus frequentis, examen inſtituere, illudque publicæ cenſuræ ſubjicere volui. Non quidem me latet Celeberrimum Dominum* Abrahamum Vaterum *peculiari diſſertatione Wittembergæ An.* 1733. *habita ſub titulo:* viſus vitia duo rariſſima alterum duplicati alterum dimidiati, *hunc affectum ſub incudem revocaſſe; ſed ſi cuidam laudatum opus hocce cum meis qualibuſcumque pagellis conferre libuerit, facile videbit, quod, licet labor viri in arte experientiſſimi cum tenuitate mea comparari minime queat, non tamen plagiarium egerim, & quod poſt amplam ejus meſſem adhuc quædam fuerint relicta, in quibus ſpicilegium inſtituerem. In tractatione ipſa oculi deſcriptionem uberiorem, utpote apud ſcriptores anatomicos (præſertim qui in omnium manibus verſatur, accuratiſſimum Dominum* Winslow*) obviam præſuppono, & loco ejus omnes, quotquot in obſervatorum libris de* viſu duplicato *invenire potui caſus ipſis auctorum verbis, omiſſis tamen minus ad rem pertinentibus, recenſere placuit. Si hæc minus arrident, a* Benevolo *tamen* Lectore *me facile veniam impetraturum eſſe ſpero, ſi rationes meas impulſivas examinare velit. Ex his obſervationibus ceu totidem individuis ſchema morbi noſtri generale exſculpendum erat. Non omnium bibliothecas citati à me auctores ornant, nec, etiamſi ad manus ſint, cunctis meis lectoribus, eos evolvere, tempus permittit. Ut ergo uno quaſi intuitu ſine magno labore* Benevolus Lector *judicare poſſit, in quantum tradita à me morbi idea cum re ipſa conveniat, caſus ipſos, prouti accepi, expoſui. Memor dicti illius* Senecæ Epiſt. VI. *longum, inquientis, iter per præcepta, breve & efficax per exempla. Seduli inſuper* Boneti *(ſi parva licet componere magnis) exemplo fretus, qui & ipſe* medicinam *ſuam* ſeptentrionalem *ex obſervationibus Naturæ Curioſorum & Haffnienſium certos ſub titulos digeſtis compoſuit. Specialius vero thema meum ita tractavi, ut præmiſſis* (§. 1.) *de viſu generalioribus, & excuſſa* (§. 2.) *quæſtione, cur ambobus oculis unum tantum objectum appareat* (§. 3.) *de viſu multiplicato naturali &* (§. 4.) *de viſu geminato ex ebrietate ac ira egerim: tum eundem ut morbum ſiſto, exponens ejus* (I.) *definitionem & caſus ſingulares* (§. 5.) II. *differentiam* (§. 6.) III. *cauſarum proximam* (§.7.) *quæ* (§. 8. & 9.) *ulterius explicatur* (IV.) *cauſas remotas & occaſionales* (§. 10.) V. *prognoſin* (§. 11.) & VI. *denique, quantum potui, curam. Si quadam in re hallucinatus fuero* B. L. *ut juventuti meæ adſcribat, & errores meos æqui bonique conſulat enixe & decenter rogito. Eſt aliquid prodire*

temus, ſi non datur ultra; & ſaltem magnis me auſibus excidiſſe lætor. Tu *interim, qui laboribus meis academicis ſemper adfuiſti*, Benigniſſime Pater Cœleſtis, *pro tot in me collatis beneficiis, imparem licet, ex imo tamen corde profeſſam gratiarum actionem accipe, & in poſterum quoque cuncta, quæ ſuſcipiam, ita dirige, ut vergant in nominis tui gloriam proximique ſalutem. Amen!*

---

§. I.

OCulum, divinæ ſapientiæ miraculum, ex tunicis variis, bulbum ambientibus, humores coercentibus, eundem partibus vicinis adnectentibus, nec non ex triplici humore conflatum eſſe, ſex peculiaribus muſculis moveri, & in ampla orbita inter copioſam pinguedinem ſecure quieſcere, anatomici docent. Hunc artificioſæ cameræ obſcuræ [a] aſſimilant naturæ ſcrutatores. Radii enim lucis ab objecto vel radiante vel reflectente in corneam acti, in eadem, ut & in humore aqueo, ad perpendiculum refracti, per pupillam determinati, in lente cryſtallina collecti, corpus vitreum parum mutati tranſeuntes, divergentes, in fundo retinæ tot præciſe puncta depingunt, ac in objecto fuere conſpicua: unde ſimilis objecto ibidem depingitur imaguncula. Hoc adhuc annotari velim, quodvis punctum objecti videri per conum lucis, cujus apicem ipſum punctum, baſin vero cornea conſtituit. Radius axin hujus coni formans, cum perpendiculariter in oculum incidat, & per conſequens, ex demonſtratis dioptricis, irrefractus tranſeat, ceu linea recta perpendiculariter ab objecti puncto in retinam ubi depingitur ducta conſiderari poterit. Hanc lineam axin viſus vocant optici.

§. II.

Cum vero duobus oculis condecoretur homo, & in unoquoque ejuſdem objecti imaguncula ſe ſiſtat, mirum videri poterit, quod unius tantum objecti ideam mens concipiat, perinde ac ſi uno tantum oculo idem aſpexiſſet. In miri hujus phænomeni cauſa reddenda per plurium jam ſeculorum decurſum deſudarunt, & in re tam ardua determinanda in varias ſententias abierunt medici, phyſici & mathematici. Cumque hæc controverſia thema noſtrum illuſtrare poſſit, haud a ſcopo meo deflecti videor, ſi præcipuas opiniones referam.

I. Prodeant primo ii, qui cum anteſignano ſuo *Galeno* [b] ex conjunc-

[a] Vix audiendus clariſſimus *Rivinus*, qui oculum ſpeculo magis quam cameræ obſcuræ ſimilem eſſe probare nititur *diſſ. de viſu* §. 57. *ſqq. in faſc. diſſ. med.* p. 245.
[b] *De uſu partium Lib. X. c. 14. T. I. opp. Sect. II. p. m. 699.*

junctione aut ſi mavis, decuſſatione nervorum opticorum nodum hunc gordium ſolvere voluerunt. Ingenioſiſſime certe cauſam hanc perorat Divinus *Newtonus* [*c*] ſupponens imagines objectorum utriuſque oculi non conjungi in conjunctione nervorum opticorum prope ſellam equinam: ſed fibras lateris dextri utriuſque nervi hoc in loco conjungi, & per nervum (poſt unionem & novam ſeparationem) lateris dextri ad cerebrum progredi, id quod & de fibris lateris ſiniſtri per nervum ſiniſtrum in cerebrum delatis valet. Sic fibræ horum nervorum non niſi unicam imaginem objecti ad cerebrum deferunt, cujus pars dimidia in latere dextro cerebri repræſentata provenit à latere dextro utriuſque oculi, altera à latere ſiniſtro. Et inde quoque ſententiæ ſuæ robur accedere affirmat, quod, ni fallant anatomici, eorum animalium, quæ utroque oculo unum objectum contemplantur, nervi optici ſint conjuncti, eorum vero, quæ ſingulis oculis diverſa objecta intueantur, nervi optici ab oculis uſque ad cerebrum ſeparentur. Opinioni huic calculum quoque album addit accuratiſſimus *Muſſchenbrœck* [*d*]. Objici interim poſſit (1) Decuſſationem iſtam, licet infrequens non ſit [*e*], non tamen adeo eſſe univerſalem, ut non plura in contrarium exempla allegari poſſint talium hominum, ubi alter nervus opticus illæſus, alter in toto ſuo progreſſu durior, tenuior, rubicundior, imo atro colore tinctus obſervabatur [*f*]. Quin imo fuiſſe hominem, in quo nervi optici nec connati, nec ſeſe ſaltem contingentes apparuerunt, qui tamen in viſu ſimplici nihil turbatus eſt [*g*]. Cum ergo nec hi nervi ſemper ſe decuſſent, nec ſemper uniantur, viſu tamen ſimplici illæſo, eorum conjunctio viſus ſimplicis cauſam conſtituere vix poterit. (2) Naturaliter & nullo negotio, ut §. 3. dicemus, pro lubitu viſus geminari poteſt, imo (juxta §. 4.) in ebriis & iratis actu, ſine ſubſequente damno geminatur: num in his coalitum nervorum diſſolvi [*h*] aut remoto digito, vel diſſipata crapula ſive ira conjungi poſſe, credendum erit? Quod denique de animalibus addit ſummus *Newtonus*, illud in *tantum* verum eſſe deprehenditur, non vero in *totum*. Chamæleon enim alterum oculum in cœlum alterum in terram dirigens, eandem nervorum opticorum combinationem habet quam homo [*i*].

S s 3 II. Alia

[*c*] *Optic. Lib. III. quæſt.* 15. *p. m.* 514. *ſq.*

[*d*] *Eſſais de phyſique* §. 1187.

[*e*] Petitus *in actis Acad. Reg. Scient. A.* 1726. *p. m.* 97. Winslow *Anatom. Tr. de capite* §. 117.

[*f*] Veſalius *de corp. hum fabrica lib.* 4. *c.* 14. Riolanus *anthropogr. lib.* 5. *c.* 2. Diemerbrœck *Anat. C. H. Lib. III. c.* 8. Valverdus *Anat. C. H. L. VII. c.* 3. Santorinus *obſ. anat. c.* 3. §. 14. p. 64. *Cheſeldenius* apud *Hallerum not. d. ad* §. 516. *Prælect. in inſtit. Boerh. Loeſelius* apud *Bohnium cir. anat. prog.* 27. *p. m.* 474.

[*g*] Veſalius *l. c.*

[*h*] A nervorum enim opticorum diſſolutione repentinam cœcitatem ſecutam eſſe obſervat *Ætius* apud *Riolanum* l. c.

[*i*] Duhamel *Hiſt. Acad. Reg. Scient. L. I. Sect. X. c.* 2. add. *Blaſii anat. anim. T. XIV. fig.* 4.

II. Alia ergo via veritatem aſſequi, & uno fere oculo noſmet in viſione uti putavit Illuſtris *Gaſſendus* [*k*] præeunte jamjam *Ariſtotele* [*l*] qua ratione objectum geminari nunquam poteſt. Rem ita concipit, ut, dum axis unius oculi intenditur, axis alterius relaxetur, ſicque unus agat, altero feriante. Ad propriam experientiam provocat laudatus auctor, & rem experimento illuſtrare conatur *Polinierius* [*m*]. Sed à via regia hic deflectit vir ingenioſiſſimus. Etenim (1) illa unius oculi tenſio, & alterius eodem tempore relaxatio gratis fere aſſumitur, cum naturaliter, ſive per naturæ leges illud fiat, ſive à conſuetudine, ambos oculos ſemper una moveri, una tendi, una relaxari, experientia doceat: (2) ambobus oculis apertis ſi videmus, in utroque oculo per leges opticas (§. 1.) non poteſt non ſeparata pingi imaguncula, cumque hæc pictura ſenſum efficiat, & illum ſenſum ad cerebrum deferri neceſſe eſt: (3) anima eſt, quæ videt, non oculus: aſt anima, per arctum cum corpore nexum, oborto in corpore ſenſu quieſcere nequit: quid? quod (4) *Polinierii* experimentum falſum eſſe afferat accuratiſſimus *Muſſchenbrœck* [*n*] & contrarium plane verioribus experimentis doceat *Plempius* [*o*].

III. Carteſiani ideo objectum unum ambobus oculis ſpectatum ſimplex videri aſſerunt, quoniam duæ ejus imagines in glandula pineali uniantur. Sic *Le Grand* [*p*] ulterius aſſertum illuſtrans *Robaulti* [*q*] in unoquoque nervorum opticorum præciſe eundem fibrarum numerum eſſe ſupponit, quæ poſtmodum in glandula pineali conjunctæ unum tantummodo objectum ſiſtant. Sed hoc aſſertum cum veritate convenire vix probabile eſt: quoniam (1) glandula pinealis non eſt ſenſorium commune aut ſedes animæ [*r*], nec ad eandem nervi optici tendunt (2) ex hac hypotheſi viſus geminatus explicari nequit, niſi ſimul disjunctio nervorum quavis oculi ſurſum vel deorſum preſſione ſtatuatur. Quod & agnoſcens *Regis* [*s*] à partibus eorum diſceſſit, & ab ejuſdem objecti in eadem retinæ utriuſque oculi parte depicti ſenſu ibidem æquali excitato rem rectius derivat. Coincidit fere cum prioribus ſententia *Camerarii* [*t*] vix refutatione digna, qui

[*k*] *Phyſ. ſect.* 3. *memb.* 2. *lib.* 7. *c.* 7. *opp. T. II. p.* 395. adde *Eundem de apparente magnit. ſolis Epiſt. II.* §. 17. *opp. T. III. p.* 433. *ſq.* Porta *lib.* 6. *de refract. c.* 1. putat, nos dextro potiſſimum oculo uti, ſi quid a dextris; & ſiniſtro, ſi quid a ſiniſtris poſitum ſit. Quam ſententiam etiam amplectitur *Sennertus inſt. l.* 1. *c.* 12.

[*l*] *Problem. ſect.* 31. *quæſt.* 2. & 4. *T. II. opp. p. m.* 474.

[*m*] *Exper. de phyſique T. II. p.* 243. *ſq.*

[*n*] *Eſſ. de phyſique* §. 1225. adde §. 1187.

[*o*] *Ophthalmograph. lib.* 4. *probl.* 44. confirmat idem *Briggs in nov. viſ. theor. p.* 210.

[*p*] *Inſtit. phil. carteſ. P. VIII. c.* 18. *p. m.* 654.

[*q*] *Phyſ. P. I. c.* 31. §. 20. add. *Le Grand in notis ad h. l.*

[*r*] Conf. *Steno de anat. cereb.* apud *Winslow Anat. T. IV. p. m.* 212. *ſqq.*

[*s*] *Phyſ. lib.* 8. *P. II. c.* 28. *Tom. III. p.* 228. *ſqq.*

[*t*] *Memorabil. Cent. V. part.* 52.

Digitized by Google

qui ideo non duplicari objecta viſa autumat, quoniam unum numero eſt ſenſorium commune, in quo omnis fiat ſenſatio. Licet idem alio loco, rejecta hac opinione, partes *Gaſſendi* ſequatur [*u*].

IV. Ingenioſa certe eſt explicatio *Briggſii* [*x*] qui nervos opticos ex fibris homologis ſeu homotonis ex thalamis nervorum opticorum ortis, & uſque ad retinam haud interrupte continuatis conſtare affirmat, iiſque in utroque oculo eandem ſituationem, diſpoſitionem & tenſionem tribuit. E. gr. fibras in retinæ parte ſuperiore magis, in inferiore minus tenſas eſſe, quod proxime ſequentes fibræ tenſionem obtineant vicinis proportionatam, & ſic porro. Unde fit, ut, ſi objectum ambobus in oculis per radios lucis feriat fibras retinæ homologas, inde unus ſequatur ſenſus, perinde ac unicus tantum ſonus oritur, quando duorum inſtrumentorum muſicorum chordæ homotonæ pulſantur. Hæc hypotheſis, licet utique attentionem mereatur, eamque aſſumat quoque *Vaterus* [*y*], interim tamen haud levia ſunt, quæ contra eandem monuit tum (1) *Muſſchenbrœckius* [*z*] circa teneram cerebri ſubſtantiam, mollitiem, lubricitatem laxitatemque ipſorum nervorum pulpoſorum, quæ huic homotoniæ & tenſioni obſtant: tum (2) *Bohnius* [*a*], quod, poſita hac hypotheſi, frequentior deberet eſſe viſus duplicati morbus, quam actu eſt, in illis præſertim ſubjectis, quorum cerebrum eſt humidius, oculique ad guttam ſerenam ſimileque vitium inducendum proni; cum facile fieri poſſit, unam fibram unius nervi ab humiditate p. n. laxari, dum alterius nervi fibra, priori conſona, naturaliter tenſa manet: tum (3) *Porterfield* [*b*] quod ſuppoſita cum *Briggſio* majore tenſione fibrarum ſuperiorum, retinæ pars iſta debeat eſſe ſenſibilior inferiore, quod experientiæ contrariatur. His addi poterit (4) quod viſus ratio in iis, in quibus fibræ nervorum opticorum decuſſantur, aut plane confunduntur [*c*], explicari ex hac hypotheſi nequeat.

V. Omnem vero attentionem meretur ratio, quam *Honoratus Faber* [*d*] *Sturmius* [*e*] *Wolfius* [*f*] & *Porterfield* [*g*] in eo quærunt, quod anima videat objectum in duorum axium opticorum interſectione. Sint e. gr.

duo

[*u*] *Memorabil. Cent. II. p. 65.*
[*x*] *In ophthalmographia & nova theoria viſionis Lugd. Bat.* 1686. 12mo.
[*y*] *Diſſertatione in præfatione citata.*
[*z*] *Eſſais de phyſique* § 1188.
[*a*] *Circul. anatom. phyſiol. prog.* 27. *p. m*, 375.
[*b*] *Eſſais & obſerv. de medec. de la Soc. d'Edinbourg Tom. III. N°.* 12. *p. m.* 249.
[*c*] *Petitus* & *Winslow* ſupra p. 6. nota [*b*] citati.
[*d*] *Lib.* 2. *de homine prop.* 93.
[*e*] *Phil. Eclect. T. II. diſſ.* 5. *de ſenſu unius geminato.*
[*f*] *Element. optic. cap.* 7. § 345.
[*g*] *Eſſ. d'Edinb. T. III. p. m.* 283.



duo oculi A & B in objectum C. ſimul directi: erit axis viſus oculi A linea A C, & axis viſus oculi B, linea B C: cum vero A C ſecet B C in C, uterque oculus objectum in C videt, conſequenter duobus oculis unum apparet. Sed non ſpernenda ſunt, quæ contra hanc hypotheſin monuit Clariſſimus *Hallerus* [*b*] quod nempe inſecta habeant oculos polyhedricos, ergo & corneas & nervos opticos innumerabiles: in quibus ob convexitatem totalis organi fieri non poteſt, ut axes viſus ſe in uno puncto ſecent. Hæc tamen inſecta objectum non multiplicatum, ſed ſimplex vident. Rectiſſima enim via tendunt ad prædam & venerem, cum eadem ex neceſſitate fabricæ aberrare ſequeretur, ſi ab ulla alia cauſa unitas viſionis dependeret. Regeri quidem poſſet notum eſſe opticis, quod ii, qui per polyhedra objecta conſiderant, licet multiplex eorum imago appareat, verum tamen objectum a falſis diſtinguere poſſint rotatione quadam vitri, cum ipſo hoc facto objecta imaginaria ſimul rotentur, vero objecto immoto. Quodſi ergo ſimile quid in inſectis contingeret fieri poſſe, ut recta via ad objectum contendant, licet multiplicem ejus imaginem cernant. Sed hæc gratis aſſumuntur. Oculi ipſi rotari nequeunt, ſunt enim immobiles, & ob id ipſum polyhedrici, ut hedræ defectum motus, ne in viſu turbentur, ſuppleant. Nec contingit in lente cryſtallina. Quamvis enim motus rotatorius in lente quorundam animalium immoto oculo ſit poſſibilis [*i*], demonſtrandum tamen prius eſt (1) inſecta habere lentem cryſtallinam [*k*], & (2) ſi habent, eas ita eſſe comparatas, ut motum hunc admittant. Hoc tamen certiſſimum eſt, homines, & animalia quorum oculi cum humanis conveniunt, videre objecta ſimplicia, quando in iis axes viſus ſe mutuo ſecant. Et ſi hæc axium interſectio cauſa viſus ſimplicis eſſe nequit, ad veroſimillimam cauſam tamen manuducere poteſt. Cum enim hoc modo eandem nervi partem in ambobus oculis ſimilis radius viſivus feriat, ex ſententia

VI. *Plem-*

[*b*] *Nota E. ad §. 541. Comment. Inſt. Boerh.*

[*i*] Sic in chamæleontis oculis immoto bulbo lens cryſtallina in mobili ſacco circumagi poteſt. Vid. *Derham Theol. phyſ. lib. 4. c. 2. §. 3. not. 9.*

[*k*] *Porterfield l. c. p. 218.* ex *Leuwenhoekio* oſtendit unamquamque corneæ hedram officio lentis cryſtallinæ fungi, qua carere inſecta videntur, quodque unaquæque harum hedrarum ſibi correſpondentem habeat ramum nervi optici.

Digitized by Google

VI. *Plempii* (*l*) *Kepleri* (*m*) & *Halleri* (*n*) mens nulla objecta diſtinguet, niſi diverſas efficiat quocunque modo ſenſationes. In dolore late diffuſo puncta dolentia non diſtinguit (*o*). Non duabus naribus odoris duplicem ſenſum ſeparat, non duabus auribus duplices ſonos audit, neque ergo duobus oculis duo objecta videt. Naturaliter ergo in ambobus oculis unus præciſe & idem locus retinæ eſſe debet, quem radii viſivi afficiunt, ſi objectum ſimplex apparere debet. Quodſi vero in alio loco retinæ dextri oculi, & in alio loco retinæ ſiniſtri oculi depingitur objectum, duplex oritur ſenſatio, ergo & objectum duplex apparebit: ut mox videbimus (*p*). Nec tamen hæc ſententia cum *Briggſiana* convenit. Iſta enim ſenſationem eandem in homotonia filamentorum nervorum poſuit, quam hic non admittimus. Lubentes quoque fatemur, nos ignorare quanam in re illa ſenſationum diverſitas conſiſtat. Num vero dicta per naturæ leges ita fiant, num conſuetudini potius & experientiæ hic aliquid tribuendum ſit diſpiciendum erit. Ultimum certe ſuadere videntur tum luſci quidam (*q*) tum etiam caſus *Cheſeldenii* infra §. 5. obſ. 12. recenſendus. Ergo & hic non negligenda erit ſententia.

VII. Magni *Graveſandii* (*r*) qui aſſerit experientiam conſtanter nos docere, duas a punctis nervorum reſpondentibus oriundas ſenſationes ab uno puncto procedere: & ita in mente conjunctas, nunc ambas ſenſationes cum idea puncti viſibilis etiam junctas eſſe, ut ſeparari nequeant. Puncta vero reſpondentia illa eſſe autumat, in quibus enim punctum eodem tempore in ambobus oculis pingitur, quæ puncta differre poſſunt in diverſis hominibus, ut in ſtrabonibus. Sic & conjecturatur, quod ſi vitio quodam ſitus cryſtallinæ lentis mutatur, atque ſic objecta duplicata apparent, tractu temporis incommodum hoc minuatur, & tandem longiore experientia plane evaneſcat.

§. III.

Licet autem unum objectum ambobus oculis ſpectatum naturaliter non niſi

(*l*) *Ophtalmogr. l. 4. probl.* 14.

(*m*) *Dioptr. probl.* 62. *in fine.* Licet in *Paralipom. ad Vitell. cap.* 5. *Galeni* partes tueatur.

(*n*) *Loco citato.*

(*o*) Teſte dolore ſæpe membris amputatione jamjam reſectis adſcripto vid. *Rud. Jac. Camerarii diſſ. de ſenſatione paradoxa Tubing.* 1693.

(*p*) Egregie hæc deducit *Franciſc. Bayle phyſ. tr. 2. lib. 2. ſect. 2. diſſ. 3. art. 3.* §. 41. *ſq. t. 3. opp. p.* 479.

(*q*) Qui luſci ſunt, vel in infantia vel in provectiore ætate illud malum acquiſiverunt. Priores objecta non niſi ſimplicia, ut actu ſunt, cernere, notum eſt: poſterioribus vero objecta geminantur. Conf. *St. Yves tr. des malad. des yeux part. I. cap.* 24. Haud tamen abſque ſomma forte probabilitate autumarem, priores æque ac poſteriores ab initio objecta duplicata ſpectare, ad illud tamen ob defectum judicii non attendere, cumque tenerrimis adhuc nervulis facile correſpondentia ſenſationis in utroque oculo ab objectorum imaginibus imprimatur, fieri poſſe, ut res antea geminata rurſus ſimplex appareat.

(*r*) *Phyſ. element. mathem.* §. 3104. *ſq.*

Digitized by Google

niſi ſimplex appareat, ab arbitrio tamen noſtro dependet, illud duplicatum, imo quibuſdam in caſibus ter, quater, aut amplius multiplicatum videre. Idque ſequentibus modis:

I. Si oculorum alteri aut etiam utriſque applicantur lentes aut vitra quæcunque polyhedrica. Hæc enim ex demonſtratis dioptricis (*ſ*) toties objectum multiplicant, quot in vitro hedræ ſ. facieculæ conſpiciuntur.

II. Idem evenit, ſi objecto præſertim lucido extra horopterem ſ. terminum viſus diſtincti poſito, illud uno oculo, altero interim clauſo, aſpicitur per foramina aliquot in charta luſoria facta, & ita diſpoſita, ut non amplius a ſe diſtent, quam pateat pupillæ foramen, toties enim hoc modo objectum multiplicatur, quot chartæ foraminula ſunt. Nec mirum: radii enim lucis ab objecto egredientes vel reflexi hoc modo in unoquoque foramine peculiarem conum opticum, aut peculiarem axin viſus formant, qui (cum foramina non magis diſtent, quam patet pupillæ foramen) illæſi ad retinam pervenientes in diverſis ejuſdem partibus idem objectum depingunt, ſicque multiplicant (*t*).

III. Qua ratione duo objecta per unum foramen ambobus oculis ſpectata æque ac foramen ipſum geminata appareant (*u*); item

IV. Quomodo objectum ope ſpeculorum planorum multiplicari poſſit (*x*): nec non

V. Quomodo objectum extra horopterem conſtitutum, ambobus oculis conſideratum, videatur duplex (*y*) ceu explicationi ſubſequenti parum inſervientia lubens prætermito. Magis hujus loci eſt illud perpendere viſus geminati artificium, quod

VI. *Lucretius* (*z*) deſcribit. Ita canens:

At ſi forte oculo manus uni ſubdita ſubter
Preſſit; cum quodam ſenſu fit, uti videantur
Omnia, quæ tuimur; fieri tum bina tuendo,
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas ædis geminare ſupellex:
Et duplicis hominum facies, & corpora bina.

Etenim objectum duplicatur, ſi quis defixis in illud oculis, mox alterutrius bulbum, ſubtus impacto, aut circa canthum exteriorem immiſſo cavitati oſſeæ digito, tantillum elevet ac diſtorqueat, vel etiam preſſam eodem aut pluribus digitis palpebra proxime ſuperiorem cutem ſupra eundem canthum prope tempora paulo violentius ſurſum adducat, aut oculi bulbum

(*ſ*) Conf. *Wolpius in elem. dioptr.* §. 265.
(*t*) Ulterius hæc deducunt *Delahire* apud *Duhamelium hiſt. acad, reg. ſcient. lib.* 4. *ſect*, 4. *cap*. 4. §. 5. & *Regis phyſ. lib.* 8. *Part*, 2. *cap*. 28. §. 5. *t*. 3. *opp. p*. 230. *ſq*.
(*u*) *Muſſchenbroeck eſſais de phyſ.* §. 1186.
(*x*) *Thumig. phil. exper.* §. 186.
(*y*) *Wolfius elem. opt.* §. 350. *Porterfield l. c.*
(*z*) In aureo *de natura rerum* tractatu *lib*. 4. 5. 448. *ſq*.

bum deſuper etiam immiſſo ſuper palpebram digito leviter premat. Hac cum differentia, ut diſtortus priore modo oculus objectum ſemper altiore & remotiore loco videat, quam alter rite conſtitutus; in poſteriore vero caſu propius & humilius. Altero vero oculo clauſo res rurſus ſimplex appa-ret. In horum phænomenorum reddenda cauſa diverſas doctiſſimorum vi-rorum hypotheſes recenſere ſupervacaneum foret, cum partim ex §. ante-cedente mutatis mutandis facile erui, & ſi quidem opus eſt, ex ibidem citatis argumentis refelli, partim ex *Plempio* & *Sturmio ll. cc.* peti poſſint. Obſervaſſe ſufficiat, quod contorto dictis modis oculo, axes viſus oculo-rum mutentur, nec ut antea in uno objecti puncto concurrant, quodque ſic objectum non in correſpondentibus retinæ punctis, ſed in longe diverſis depingant: unde in duobus oculis diverſus, iſque duplex ſenſus oritur, hinc anima, quæ juxta naturæ leges ex organorum ſenſoriorum varia affectio-ne judicare ſolet, geminum, non unicum objectum ſe videre autumat. Mecum ſentientes *Plempium*, *Regis*, *Bayleum*, *Muſſchenbrœckium*, *Hal-lerum ll. cc.* allegare potero. Et ſpecialius; ſi uno oculo in ſitu naturali permanente, alter verſus inferiora deprimitur, tum axis viſus oculi depreſſi demiſſa magis eſt, quam oculi naturalis; hinc in illo objectum in loco retinæ profundiore depingitur, quam in hoc. Cumque illa objecti imago pro vera reputanda ſit, quæ in loco naturali ſeſe ſiſtit; illa imaginaria, quæ in falſo; & oculus naturaliter collatus, naturalem objecti locum deſi-gnet, non poteſt non objectum imaginarium demiſſius vero ſpectari, cum animus reſpective objecta ad ea loca referat, in quibus in retina depingun-tur. Id quod & mutatis mutandis de eo caſu dicendum erit, quando unus oculus verſus ſuperiora premitur. Quod vero objectum inferius omni in caſu allegato magis quoque vicinum appareat id axium viſus inæquali lon-gitudini adſcribendum eſſe cenſeo: cum inferior axis ſemper ſit brevior ſuperiori. Mire certe mentem demulcet ſpectaculum, quando candelam in-tentis oculis aſpicimus, & tum ſenſim verſus ſuperiora aut inferiora preſſo oculo, qua ratione priore in caſu verſus ſuperiora magis magiſque recedat, in poſteriore vero nobis ſe ſenſim apropinquet, cernimus. Sed non ni-mium his indulgendum erit, etenim eo ipſo quo hæc ſcribo momento, ex-perimento delectatus ophthalmia corripior. Quod denique clauſo alterutro oculo viſus duplicatus pereat, & unicum tantummodo objectum & quidem in loco naturali cernatur, mirum haud eſt, cum hoc modo unica quoque ima-go tantum relinquatur. Et perinde eſt, quicunque oculorum clauditur, cum cæteris paribus nil ad viſum diſtinctum interſit, quocunque etiam in loco retinæ depingatur.

§. IV.

Verum enim vero non ſolum his modis, ſed & ex abuſu ſex rerum non naturalium objecta geminari poſſe experientia docet. Sic notante jamjam *Ariſtotele* (*a*). Ebriis haud raro objecta duplicantur, quando

(*a*) *Probl. ſect. 3. probl. 11. & 31.*

. . . . *Jam vertigine tectum*
Ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis (*b*).

Idem ex ira furioſi experiuntur:

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus
Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas (*c*).

Interim tamen, ſi conſideramus, non omnibus hæc contingere ebriis aut furioſis, ſed quibuſdam tantum, & ſi ſimul eos, qui ſymptomate hoc corripiuntur, oculos manifeſto diſtortos aſpicimus, apparet, non ſoli ſpirituum animalium turbato motui cauſam eſſe adſcribendam, (alias enim omnes eo afficerentur) ſed ei tantum, ubi ſpiritus turbati plus in unum quam in reliquos muſculos, & quidem inordinate influunt, hincque oculum diſtorquendo viſum geminatum efficiunt. Idem enim hic præſtant muſculi quod in caſu VI. §. 3. digitus effecit. Cum vero hic influxus, in ebriis præſertim, diu non duret, hinc quæ duplicata mox videbant, mox rurſus confunduntur, unde, vario modo citiſſime affecta retina, non poteſt non vertigo oriri, & viſum geminatum mutuo excipere. Num vero id præcipue ex ſpaſmo muſculi adducentis, qui & bibitorius, nec non abducentis, qui indignatorius (*d*) dicitur, deducendum ſit, aliis inquirenda relinquo. *Williſius* certe affirmat, quod adducens, bibitorius dictus, oculum unum plus altero inclinet, & ſi quidem viſionis axis hoc ſitu variatur, objecta quaſi geminata cernuntur (*e*).

§. V.

Quæ hucuſque per luſum aut abuſum ſex rerum non naturalium contingere docuimus, ea præternaturaliter quoque interdum in morbis eveniunt. Unde *viſus duplicatus* eſt morbus, quo objecta ſimplicia geminata cernimus. Quem affectum probant & illuſtrant obſervationes ſequentes; hinc inde ex obſervatoribus, quotquot reperire potui, collectæ.

Obſ. I. & II. Nobilem quendam novi (verba ſunt *Albardi Hermanni Cummii* (*f*) qui lue venerea laborans caput inprimis & humeros gallicis ulceribus obſita habebat. Huic, cum cætera ſymptomata remitterent, viſus ita lædebatur, ut omnia objecta illi geminata apparerent. Pergebam autem in ordinaria luis venereæ cura, ex quo ſymptoma ſenſim ſenſimque evaneſcebat. Sic matri meæ, febre tertiana continua ſcorbutica correptæ, omnia

(*b*) *Juvenalis ſat.* 6.
(*c*) *Virgilius Æneid. libr.* 4 ſ. 469. *ſq.*
(*d*) *Heiſter compend. anat.* §. 316.
(*e*) *De anim. brutor. p.* 1. *c.* 15. ſ. 2. *opp. p. m.* 111.
(*f*) *Ephem. nat. cur. dec.* I. *a.* 1. *obſ.* 93.

nia geminata apparebant. A morbo æque ac ſymptomate poſtmodum curata eſt.

Obſ. III. Daniel Wrigt annum agens undevigeſimum (loquitur hic *Briggs*) (*g*) temperamento ſanguineus & plethora gravis circa exitum A. 1683. vertigine corripiebatur, cui etiam acceſſerant dolores cerebri in capitis media & ſuprema parte, circa falcis regionem. Juvenis de morbi ſui cauſa procatarctica interrogatus, aliam ſe nullam ſcire affirmabat, præter cœli inclementiam frigidiſſimam. Accidit autem ut ſic affectus ad Empiricum quendam ſe conferret. Is capiti (prætermiſſis evacuantibus) emplaſtrum applicandum dedit, ſed ſive fuerit *empl. cephal. C. Euphorbio Diſpenſatorii Londinenſis*, ſive aliud, non potuit quærendo indagare. Tantum autem abfuit, ut in hoc emplaſtro quidquam eſſet præſidii, ut ſtatim ab ejus uſu dolores capitis magnopere ingraveſcerent, & crebriores non modo ſed & auctiores redirent. Quos illico ſequebantur motus convulſivi, cum brachiorum & crurum paralytico tremore paulo poſt conjuncti: & poſtquam hoc morbo aliquandiu laboraſſet, omnia illi objecta duplicia videbantur. Miſellus ille per trimeſtre ſpatium Empirico ſimul & morbo laborabat; deinde cum in eo nil ſpei amplius eſſet, quaſi ultimum relictum ſalutis deploratæ perfugium noſocomii noſtri hoſpitio eſt exceptus. Statim ab adventu ejus ægrum adii, & in morbi ejus cauſam & naturam anxie cœpi inquirere; & ſuſpicabar ſane id quod res erat (cum cuncta illi objecta duplicia cernerentur) nervos opticos procul dubio affectos eſſe; eamque affectionem eo uſque proceſſiſſe, ut gutta ſerena jam in propinquo ſtaret: quod & eventus comprobavit. In caſu hoc deplorato quidquid in nobis auxilii erat, impenſum eſt. Præſcripſimus itaque *pilulas cephalicas*, *medicamenta antiſpaſmodica*, & *electuarium antepilepticum*, noſocomio noſtro familiare, quæ illi aliquandiu non parum profuerunt. Quin etiam ſanguis illi miſſus eſt, admotis hirudinibus per opportuna temporum intervalla, ex venis hæmorrhoide & jugulari, cum inſigni levamine: capillitium porro raſum eſt, veſicatoria cervici appoſita, & ſetaceum paulo poſt in eadem factum. Sed fruſtra: vix enim duo menſes effluxerunt, cum ecce gutta ſerena dextro oculo derepente offuſa viſum ex ea parte penitus interclufit; ex eo autem duplicitas illa objectorum evanuit, eaque nunc iterum ſimplicia cernebantur. Cum vero de ſiniſtro oculo defendendo ſolliciti eſſemus, æger gravi paroxyſmo ſpaſmodico correptus vitam cum morte ſubito commutavit.

Obſ. IV. illuſtriſſimus ac reverendiſſimus D. ætatis 43. (*Benedictum Sylvaticum*) (*h*) loquentem introducimus) temperamenti calidi, ſicci jecoris & totius corporis, cerebri vero calidi & plus æquo humidi, ut ex deſtillatione ſalſa & viſione confuſa conſtat, menſe Julio A. 1643. repente incidit in duplicatam viſionem objecti ſimplicis, magiſque in ſcalarum deſcenſu, quam aſcenſu, ſpatio fere duorum annorum, a quo nullis adhibitis reme-

(*g*) *Nova viſionis theoria p.* 300.
(*h*) *Conſil. & reſponſ. medic. cent.* 2. *conſ.* 12 *p.* 186.

Digitized by Google

remediis ſponte illico evanuit affectus, qui tamen rediit menſe Auguſto A. 1646. eodem prorſus modo trimeſtre ſpatium durans, quo tempore duplicata objecta non amplius cernebat, ſed viſio adeo defecit, ut in præſentia fere ſit abolita, præter quam quod quandoque ignea objecta quandoque obſcura & alba videre videtur, nullo extrinſecus in pupillis apparente vitio. Accedit, quod ſæpe & fere continuo ſplendores & quaſi coruſcationes intra oculos obſervat. Quibuslibet vero aeris calidioris & frigidioris injuriis diurnis & nocturnis capite tecto & aperto ſe expoſuit, cum inprimis e loco calido in frigidum migraverit, & ad ignem diu moratus ſit, dormiveritque in cubiculo ventis expoſito, ad focum quandoque totam diem moratus.

Obſ. V. Sacerdos quidam, referente *Alexandro Deodato* (*i*) cum Eclipſin ſolarem d. 2. Aug. A. 1654. obſervaret, & ex chartulæ pertuſæ exiguo poro in ſolis lumen attentius & diutius defixis oculis intueretur; protinus oculis ſuis res non ſimplices & unicæ prout ſunt, ſed duplices obſervari miratus eſt. Ad lectiones impoſſibilitatem reductus & ſacris capeſſendis ineptus redditus ad me venit: Ego illam jam ante menſes quinque cœptam ægritudinem & altiſſime radicatam, perdifficillimæ, &, ut verius dicam, impoſſibilis eſſe curationis cauſatus, aggredi penitus renuebam, cum rariſſima occurrerent nobis talium curationum exempla. Sed precibus ejus victus aleam hanc ſubivi, eique præſcripſi primo medicamentum liquidum purgans caput cum oculis peculiariter reſpiciens, dein cucurbitulas ſcarificatas occipiti, ſcapulis & lumbis, poſtmodum decocta alterantia & caput cum oculis corroborantia, tandem *pilulas noſtras cephalicas* & *ophthalmicas* per triduum continuum exhibuimus, inſigni noſtro *Collyrio* comitatas, a quibus intra octiduum præter ſuam & meam ſpem votivum oculorum ſuorum uſum recuperavit.

Obſ. VI. Vivit, ſic *Henricus* ab *Heer* (*k*) adhuc dum medicus eruditus, qui A. 1613. rus vocatus, cum noctu ſomnum capere non poſſet, per pellucidam feneſtram, Lunam, quæ forte erat pleniſſima, ultra tres horas attentiſſime intueretur, veterumque de illa philoſophorum ſomnia vigilans mente volvebat. Tandem alte ſopitus, cum in multam dormiſſet lucem, famulum rogat, quota diei hora ſit; illo decimam dicente, aperi feneſtras inquit, nec enim quidquam præter denſiſſimas tenebras video: famulo clarum mane ultra quatrihorium feneſtras pulſaſſe affirmante; veſtes popoſcit. Feneſtræ demum admotus lychnoque candelæ accenſæ applicitis digitis, ſero intellexit, nimio lunæ lumine ſe omnino vel amauroſi correptum, vel excæcatum. Domum reductus, in uxorem, ſolitum a marito baſium in domus limine expectantem ita impegit, ut fere puerum ſinu geſtantem, in terram dejiceret; rogavit illam, curioſe oculos inſpiceret, numquid in pupilla aut alia parte obſervaret. Illa nitidiſſimum

(*i*) *In valetudinario p. m.* 251.

(*k*) *In obſervationibus medicis oppido raris obſ.* 4.

mum utrumque affirmavit. Aliis medicis non vocatis, certiſſimum vel cito mori, vel viſum recuperare, ſanguinis iterata poſt phlebotomiam etiam cucurbitarum adpoſitione; ſumptis aliquoties *pilulis lucis cum cochiis*, naſalibus validiſſimis uſus, decimo octavo die clare videre cœpit. Ceterum omnia ipſi gemina oculis obverſabantur, ita ut nec legere nec ſcribere poſſet, niſi altero oculorum clauſo; *Infuſo* itaque *Sennæ* & *fumariæ cum aniſo & fœniculo* per epicraſin, conditoque caput & oculos roborante uſus, ſingula ut prius & accurate vidit. Cæterum quæ in plateis in linea occurrebant recta, ut equos aut bigas totis a latere octodecim vel pluribus diſſita pedibus cernebat. Tum veſicis ſæpius in nucha ſcapuliſque cucurbitarum longa applicatione excitatis, vaporeque & halitu *aniſorum* modo coctorum, modo maſticatorum, optimaque victus ratione, ſub finem quintæ ab amauroſi hebdomatis, viſum, quo etiam nunc cum Deo fruitur, perfectum recepit, perſpicillis tantum præſervativis, cum minimos & maxime græcos characteres legit, utens.

Obſ. VII. Hyldeburga Dreieria ex recenſione *Olai Borrichii* (*l*) diuturno pulmonum & lienis morbo fracta, jam fato vicina, conqueſta inter cetera eſt, omnia oculis ſuis duplicia videri, nec quaſi per nebulas, ut in moribundis, ſed ſatis clare. Libuit experimento diſcere, quodnam ex viſis objectum germanum eſſet, quodnam imaginarium; itaque diſpoſito in feneſtra poculo argenteo rogata, ne gravaretur locum ejus mihi deſignare, monſtravit digito, ut erat alioquin rationis adhuc plena, tum verum illum poculi locum, tum alium vel duos pedes naturali altiorem & *utrobique*, inquit, *eadem poculi facies, æque conſpicuis lineamentis oculis meis obverſatur.* Male ominabar rebus ægræ. Nec mora, duravit malum hoc biduo, & in mortem deſiit.

Obſ. VIII. Quidam faber lignarius (inquit *Joh. Lud. Hannemannus* (*m*)) annorum 54. Buxtehudæ conqueſtus mihi eſt de quodam viſus ſymptomate, quod ſubito ipſum invaſit tabacum e fiſtula ſugentem; omnia enim objecta in aëre ſereno & claro ipſi ante viſum duplicantur, & quaſi geminata apparent. Suaſi caput purgantia & pulverem Bartholini naſalem.

Obſ. IX. Nobilis quidam miles Pariſiis ſtipendium agens (ex *Foreſto* (*n*) mirabili oculorum vitio correptus fuit. Apertis enim oculis ambobus quidquid videbat, duo eſſe apparebant. Sed ſiniſtro aperto & dextro demum clauſo bene cernebat, neque tunc duo videre ſe affirmabat. V. S. purgatio, pilulæ, decocta ligni quajaci fruſtra adhibebantur. Oculis diligenter inſpectis, nulla rubedine præſente, aut dolore, neque capitis gravedine, cerebrum tamen ejus tum caput frigidum & humidum erat naturaliter. Ideo hoc vitium minime contractum ex plenitudine cum nec plethora nec cacochymia laboraret: hinc nec V. S. nec purgantia juviſſe exiſtimabam, &

(*l*) In *Bartholini actis medicis Hafnienſibus vol.* 2. *obſ.* 80,
(*m*) Apud *Th. Bartholinum in act. med. Hafn. vol.* 3. *obſ.* 20.
(*n*) *Obſerv. & curat. med. lib.* 11. *obſ.* 39. *t.* 2. *opp. p.* 4.

& malum ab humiditate ſola ortum judicabam. Dextro oculo magis humido apparente & quaſi prolapſo ac madente, ad curam propoſui, illam humiditatem eſſe exſiccandam, & oculo robur addendum victu magis exſiccante, & aſſis potius quam elixis utendum aviculis montanis, cuniculis & ſimilibus, & ut a venere abſtineret, & a largiori vini potu, & ut vitaret omnia illa, quæ proprietate quadam oculis ſunt infeſta, ut eſt fumus, allium, ſinapi &c. Præterea conſultum ducebam, ut medicamentis exſiccantibus, reſolventibus, & oculum roborantibus tam intus quam extra, ut: *conſerva fl. roriſm. betm. pulvere euphraſ. exſicc.* inſperſo, adjecto *ſyrupo de beton q. ſ.* ad modum conditi, uteretur: ideo & hæc ſequentia præſcripſimus. ℞. *fl. beton. chamom. roſ. rub. herb. euphraſ. c. florib.* aa. mj. ſem. coriand. ppt. camin. ppt. aa. ʒjß. *coq. in* △. *fænic. chelidon roſar. rutæ, euphraſ.* aa. *q. ſ.* piſtentur, & panno lineo interſuta, & expreſſa ſub noctem leviter oculo magis affecto apponantur. Mane, fecibus prius depoſitis, hic fotus ſequens fiebat, pectinatione capitis commoda præcedente: ℞. *fl. chamom. roſ. rubr. fl. & herb. betonicæ, chelidon.* aa. *p. j. coq. in aq. roſ. euphraſ. chelid. & vino pictavienſi* aa. *q. ſ. pro fotu.* Interea & hic ſacculus futuræ coronali imponebatur, quem continuo ſub tegmine portabat: ℞. *fl. chamom. roriſmar. major. ſalv. roſ. rubr.* aa. *p. j. milii toſt.* ℥ß. *inciſ. cont. f. ſacculus rotundus interſutus ut artis eſt pro capite.* His præſidiis ad menſem uſus, & ex condito ſupra ſcripto omni mane ſumens, tandem ut prius optime videre potuit.

Obſ. X. Vir annorum 76. annotante *Daniele Hoffmanno* (*o*) temperamenti ſanguineo cholerici, habitus corporis ſtrictioris ac macilentioris, erroribus diætæ per omnem fere vitam deditus, vitæ ſedentariæ ex muneris ratione aſſuetus, inter prandium derepente dolore quodam capitis, lateris præcipue ſiniſtri admodum acuto & lancinante corripitur, adeo: ut menſam deſerere, & lectum petere, coactus fuerit. Remedia dolori huic oppoſita nervina cephalica, anodyna tam externa, quam interna intra 24 horas ne minimum quidem attulere levamen, hinc veſicatorium nuchæ applicandum ſuadet medicus, ægerque inſignem inde, cuticula vix in veſicam elevata, doloris remiſſionem, & verſus ſcapulam illius lateris deſcenſum reportat. Tertio vero abhinc die remittentibus ſenſim ſenſimque doloribus illis capitis intenſis, ſacris intentus, lectioni libri cujuſdam ipſi admodum familiaris ſe applicat, inter legendum autem non ſine ſumma animi conſternatione ex improviſo obſervat, ſe tam librum quam lineas literaſque in illis obvias non ut antea viſu ſimplici, ſed geminato jam ac duplicato conſpicere; unde ſepoſuit, ut ſcilicet certior redderetur de mirabili hoc phænomeno, librum, alia objecta oculis obverſantia intuitus, eadem etiam duplicia obſervat univerſa. Medico mox vocato obviam procedens manum porrigebat æger, quærens quiſnam ex duobus

(*o*) *Ephemerid. natur. curioſ. volum.* 2. *obſ.* 1.

obus illis oculis ipſius obverſantibus verus ſit, & quis apparens medicus, idque nonniſi contactu manus valuit diſcernere. Medicus V. S. in pede revulſoriam, tertioque abhinc die ſcarificationem in dorſo ſuadet, junctis cephalicis, nervinis, & antiſpaſmodicis, quorum uſu ab omni plane dolore fuit liberatus; ſubſiſtente autem pertinaciter ſub continuato horum remediorum uſu viſu illo duplicato in tertiam uſque ſeptimanam, duplex ægro huic applicari jubet medicus veſicatorium, in brachio ſcilicet dextro unum, alterum in pede ſiniſtro, ac fluxu horum aliquandiu conſervato depravatum hunc viſum tollit randem ad votum. Durante affectu oculi hujus ſenſis utrique ſine vitio externo erant, nec diſtorſio, nec ſtrabiſmus ullus, nec aliud quodcunque in iis obſervari potuit malum, ſed in naturali plane ſitu & ſtatu comparebant. Idque notatu digniſſimum: quod uno ſolummodo oculo, clauſo licet altero, objecta quævis obverſantia pariter duplicia videbat, quod ſingulare phænomenon frequenti facto experimento obſervavimus.

Obſ. XI. Puer Holmienſis, narrantibus, *actis literariis Sueciæ* (*p*) annorum decem ab alio puero in luſu pila ex nive compacta in oculum ſiniſtrum percutiebatur, ita ut oborto tumore per trimeſtre ſpatium in illo oculo viſu privaretur æger, & ſi palpebræ vi divellebantur, objecta alienis coloribus picta obſervabat. Pluribus interim ad diſſipandum tumorem fruſtra adhibitis, ſcarificationem poſt aures tentarunt, qua voti compotes medici ægro viſum iſtius oculi reſtituunt, ita tamen, ut ambobus oculis apertis duplex objecti ſive propinqui ſive remoti imago obverſaretur, quæ tamen, hoc vel illo oculo clauſo, & unico tantum oculo objectum contemplante, ſimplicia ei rurſus apparebant. Externe nullum oculorum vitium apparuit, ſemper tamen affectus durabat. A. 1721. ad acidulas ablegatus, nullum ex earum uſu levamen reportavit.

Obſ. XII Sic *Gaſſendus* (*q*) adnotat, quod ſi quis a natura, morbo, aut alio caſu oculos detortos ſic habuerit, ut dum digitis detorqueri ſolent, fore, ut res duplices videat. Qualem ſe vidiſſe affirmat, cui alter oculorum gravi quodam ictu fuerat convulſus.

Obſ. XIII. Quidam, apud *Cheſeldenium* (*r*), cujus oculorum unus ictu capiti ejus inflicto oblique contortus, omnia objecta geminata videbat, ſed ſucceſſive objecta maxime familiaria eidem ſimplicia rurſus apparebant, ſenſim & reliqua. Oculus tamen diſtortus ſitum naturalem his non obtinuit, ſed in ſitu perverſo manſit.

Obſ. XIV. Lapicida puer, obſervante *Platero* (*s*) ab alio percuſſus tegu-

(*p*) Ad annum 1720. citante *Thümmigio Verſuch einer Erläuterung der merckwürdigſten Begebenheiten der Natur, p. 1. tent. 8. & Dan. Hoffm. l. c.*

(*q*) *Phyſ. ſect. 3. membr. 2. lib. 7. c. 7. opp. tom. 2. p. 397.*

(*r*) Citante *Porterfield eſſ. d'Edinbourg t. 3. art. 12. p. m. 305.*

(*s*) *Obſerv. medic. lib. 1. p. 123.*

tegula ſupra caput, ſiniſtro latere ex parte reſolutus, difficulter incedebat, oſque diſtortum gerebat, & res quas intuebatur geminas ſibi videri dicebat. In hoſpitale receptus, quid cum eo actum ſit, mihi nonconſtat.

Obſ. XV. Novi, ſic *Williſius* (*t*), juvenem paralyſi obnoxium, cui tum, cæteris ſiniſtri oculi muſculis relaxatis, adducens fortius contraheretur, propter oculum ita diſtortum objectum quodcunque duplex apparebat, nec quod verum eſſe diſtinguere potuit.

Obſ. XVI. Vir annos 73 natus (recenſente *Marcello Donato* (*u*)) optimæ conſtitutionis, repente hoc ſymptomate correptus fuit, ut quæcunque aſpiceret, ea duplicata videret, quod ſi alterum oculum clauſiſſet, ſimplicis objecti ſimplex viſus occurrebat. Hic oculos a naturali ſitu dimotos habuit, oppletis muſculis oculum moventibus.

Obſ. XVII. Civis Ambergenſis peregre ibat (referente *Joh. Langio* (*x*)) & dum cultello oblongo rapum ex proximo agro evulſum excorticaret, & ob itineris lubricitatem pedibus vacillaret, pronus cum oculo in cultellum cadens oculum ab inferiore palpebra ad ſupercilium uſque per medium diſſecuit. Chirurgi accerſiti oculum excidere ſtatuerant, ne putredo intra cranium ſerperet, quod æger citra mei abſentis conſilium fieri nolebat. Veſperi ægrum accedens vidi oculum ad ovi gallinacei magnitudinem intumuiſſe, quare quam primum eum *unguento de alabaſtro* illevi, & *albumen ovi* addito *caphuræ momento cum oleo & aqua roſarum diſſolutum* & othoniis exceptum ſupra oculos applicui: quibus tumor deſidebat, & tandem oculi recens vulnus, citra phlegmonen & ſuppurationem conſolidavi. Sic viſum recuperavit plenarie, uno relicto ſymptomate, quod temulentis quoque accidere ſolet, omnia viſa gemina eſſe illi apparebant. Pupilla ſane oculi ad inferiorem palpebram agglutinati depreſſior altera ſtabat. Sed tandem oculus frequenti motu, quem illi indixeram, ab inferna relaxatus palpebra a geminati viſus fallacia liberabatur.

Obſ. XVIII. A. 1727 menſe Maio miniſter eccleſiæ (hæc *Abrah. Vater* (*y*) exhibet) mediæ ætatis, hypochondriacus, atque catarrhis doloribuſque capitis obnoxius, percepto tempeſtatis fragore, ædes ſuas egreditur, cœli conſtitutionem contemplaturus. Hoc ipſo momento, in oſtio ſtans, fulguris ſplendore oculos inopinato feriente, ipſe vehementer confunditur, adeo, ut totus timore perculſus, quid ſibi accidiſſet, ignarus in conclave ſe reciperet. Haud ita multo poſt, elapſa una alterave hora, vertigine graviter afflictum ſe ſentit noſter, ſimulque objecta omnia dupliciter videt, quam primum vero ille oculum alterutrum claudit, oculo uno bene & accurate videt, ſed utroque aperto ſtatim vertigine & duplici objectorum conſpectu perturbatur. Inſpectis juſſu ejus a domeſticis oculis, manifeſta eorum diſtorſio & pupillarum ad diverſas plagas di-

(*t*) *De anim. brutor. part.* 1. *c.* 15. *t.* 2. *opp. p. m.* 111.
(*u*) *In med. hiſt. mirab. l,* 2. *c.* 8. *edit. Horſtii p.* 1. 87. & 199.
(*x*) *Epiſtol. med. lib.* 1. *ep.* 7.
(*y*) *Diſſ. alleg. de viſu duplicato & dimidiato p.* 7.

directio apparet. Ipſe propterea affectu hoc ſingulari perterritus, malum eventum, ipſamque apoplexiam metuens, auxilium a nobis anxie poſtulat. Præſcripſimus eidem præter *laxantia* blanda atque *veſicatoria* interponenda, interna *reſolventia*, *nervina*, *antiſpaſmodica*, & externa *diſcutientia*, *cephalica*, *roborantia*, temporibus & nuchæ applicanda. His tamen ab initio malum parum cedere viſum eſt, ut potius ægro mœrori inprimis vehementer indulgente, in eodem fere ſtatu permanſerit. Quamobrem conſilium ipſi dedimus, ut animo a curis & anxiis meditationibus abſtracto, remedia præſcripta continuaret, Deoque confiſus meliora ſperaret. Ita ergo factum eſt, ut elapſis paucis ſeptimanis, affectus ſenſim evaneſceret, ægerque priſtinæ ſanitati reſtitueretur.

Obſ. XIX. Sunt, inquit *Franciſc. Aguilonius* (z) quibus ab utero id vitii adhæſit, ut firmas acies continere, inque objectum axes opticos certo defigere nequeant: qualis nobis viſus eſt adoleſcens, corpore bene habitus, oculiſque integerrimis, præter id unum, quod cominus quidem res articulatas, eminus vero confuſas ſpectaret, & quodammodo geminas, quarum phantaſiæ diuturniore aſpectu non eandem inter ſe intercapedinem obſervabant, ſed nunc majorem, nunc minorem. Oculi hujus juvenis, quamvis exterius perſpicui eſſent, ſubtus tamen plurimo humore madere videbantur.

Obſ. XX. Ut & noſtrum addamus ſymbolum obſervavimus caſum ſequentem. Matrona annorum circiter ſexaginta, duorum liberorum mater, habitus corporis ſpongioſi, ſucco & ſanguine pleniſſima, olim aliquoties ictero & dolore ex calculo veſiculæ felleæ, nec non nephritide calculoſa laborans (a quibus tamen affectibus nunc immunis vivit) fluxu menſtruo, quem largiſſimum habuit, propter ætatem ceſſante, hæmorrhoides veſicæ aliquoties per annum ſine notabili dolore cum euphoria experta eſt; ſed eæ ſponte ceſſarunt. Hæmorrhoides ani fluentes æque ac cœcas ignorat. Dum vero antea jam jam crebrioribus lachrymis aſſidua, nocturna præſertim, lectione & ſcriptione nec non perſpicillorum uſu, oculos debilitaſſet, ineunte hyeme A. 1740 in gravem incidit ophthalmiam, per aliquot menſes durantem, & omnibus remediis pertinaciter reſiſtentem, nec niſi blanda veris aura diſcuſſam. Per hyemis A. 1741 & 1742 decurſum eadem ludebatur tragœdia. Menſe Junio A. 1743. rheumatiſmus dextrum dictæ matronæ crus infeſtat, cui medicus, præmiſſis generalioribus, uſum balnei Sulzenſis prope Argentinam ſiti, aliquoties ab ægra antea optimo cum ſucceſſu adhibiti, una cum potu acidularum Sualbacenſium, oppoſuit. His remediis ceſſit quidem rheumatiſmus, ſed, ſive a ca-

(z) *Opticorum libri* 4. *prop.* 136. *conſect. p.* 346. Diu dubius hæſi, num caſum hunc ad morbum noſtrum referrem, ob verbum *quodammodo*, & ex eo, quod myoſi potius, quam viſu duplicato æger laboraverit. Interim tamen cum ad eundem provocet *Vaterus l. c.* §. 15, & revera dentur ex myopum claſſe, qui objecta remota geminata, nonnihilque incurvata videant, ut ex §. 8. n. 3. apparet: illum tandem recenſere placuit.

calidæ mineralis aquæ vaporibus irritatis oculis, ſive in eoſdem ceu partem debilitatam per metaſtaſin translata materia morboſa, recruduit ophthalmia, longe quidem mitius ac antea ſæviens. Dum ergo & hanc debellare tentat medicus, ſub finem Novembris A. 1743 gravi & ſubitaneo terrore noctu perculſa ægra, cum mane e lecto ſurgeret, objectorum circumſtantium geminationem miratur & dolet. Inſpectis oculis, dexter loco ſuo remotus ſenſim inferiora petebat, donec tandem poſt aliquot menſium decurſum dimidia fere corneæ pars a palpebra inferiore aperta licet, tegeretur. Albuginea ejus & adnata tunica una cum palpebris tumefactis inflammata rubebant. Oculus tandem ſiniſter hucuſque intactus & ſanus, ſimili modo cum palpebris inflammatus, ſurſumque parumper vergens, extra orbitam protuberabat, dum eo ipſo tempore oculus dexter intra orbitam ſeſe abſcondens verſus fundum orbitæ quaſi retraheretur. Ambæ pupillæ more conſueto ad lucem contrahebantur, in tenebris ſeſe dilatabant, ita tamen, ut in utroque caſu æque ac in ſtatu ordinario inæquali apertura paterent, & illa ſiniſtri oculi duplo fere majorem diametrum haberet quam dextri. Nec corneæ nec humores aquei, nec lentes cryſtallinæ, in quantum viſus explorare potuit, ullam monſtrabant maculam aut obfuſcationem aut aliud quoddam vitium notabile. Oculo utroque aperto objecta remota æque ac vicina duplicata videt, objectum imaginarium a vero facile diſtinguit, ita tamen, ut imaginarii longe vividiorem ideam habeat, quam veri. Quodſi e. gr. legit librum, (characteres enim ſatis minutos adhuc dum legere poteſt) in phantaſmate libri non in vero libro legit. Si diutius e. gr. per ſemihoram) uni objecto oculos alligat, oborta vertigine objecta in viſu confunduntur, nec ea amplius diſtinguere valet. Noctu candelam duplicem circulo ex omni colorum genere compoſito circumdatam cernit. Altero oculo clauſo, ſive dexter ille ſit, ſive ſiniſter, perinde eſt, objecta rurſus ſimplicia cernit, quo artificio in objectis præſertim longius remotis accurate diſtinguendis utitur. A ſplendore ſolis & nivis occœcatur quaſi. Ambos oculos (ut in ſanis fit) ad latera libere & ſimul movere poteſt; ſed nec furſum nec deorſum, unde erecto ſemper capite, ſi quid altius poſitum ſpectare cupit, illud perficere neceſſe habet. Gravi huic morbo tum a medico ordinario tum ab alio medico multa experientia & inſigni eruditione clariſſimo in ardui negotii conſilium advocato, innumera fere & ex omni medicamentorum claſſe deprompta remedia in-& externa oppoſita ſunt: laxantia crebriora, diaphoretica, diuretica, aperientia, ſanguinem depurantia. ſalivantia, tonica, nervina, cephalica: venæſectiones frequentes in pede, ſcarificationes, pediluvia, veſicatoria lata diu fluentia adhibita ſunt; fonticuli & ſetacea, quoque propoſita, ab ægra reſpuebantur. In externis nullum non fere collyriorum, epithematum, fotuum, vaporum &c. genus omiſſum, quæ tamen cuncta malum exaſperarunt magis quam lenierunt. Unicum, quod ferre poterat, leniſſimum ex ▽. *euphr. plantag. roſ. c. lap. calam. & tut. ppt.* conſtabat. His vero cunctis nihil aliud in hunc

uſque

uſque diem actum eſt, niſi quod ophthalmia pertinax nunc ceſſet, palpebræ detumuerint, oculus ſiniſter magis intra orbitam ſeſe recipiens à tumore ſuo remiſerit, oculus vero dexter verſus ſuperiora ita aſcenderit, ut nunc integra rurſus cornea videri poſſit. Reliqua ſymptomata eo in ſtatu perdurant, quo ea deſcripſimus. Nec viſus obſcurior, ac erat in morbi principio.

Obſ. XXI. Agmen denique claudat caſus ab *Agregatore Brixienſi* [a] recenſitus (qui docet in quantum affectus noſter ad parſimoniam utilis eſſe poſſit) de ſacerdote quodam avaro, qui eodem correptus morbo, cum haberet lumen in manibus, credens eſſe duo lumina propter avaritiam extinxit unum, exiſtimans remanere aliud, & ita manſit in tenebris.

§. VI.

Signis multis diagnoſticis, unde affectum noſtrum cognoſcere, & ab aliis oculorum & viſus vitiati morbis diſtinguere poſſimus, opus non eſt: illius enim ſignum pathognomonicon, quod in gemina unius objecti apparente ſpecie conſiſtit, ſponte & ſtatim ab ægro indicatur. Interim tamen ex recenſitis modo caſibus patet, morbum hunc in ſuas ſpecies poſſe dividi, ſicque diſtingui:

I. Ratione *cauſæ* in viſum duplicatum *idiopathicum* quando eſt morbus primarius (ut obſ. 4. 5. 6. 8. 9. &c.) & *ſymptomaticum* quando alium morbum ut ſuam cauſam comitatur. (ut obſ. 1. 2. 3. 14. 15.)

II. Rurſus ratione *cauſæ* in viſum geminatum *protopathicum*, quando in alios morbos terminatur (ut obſ. 4.) & *deuteropathicum* quando ex alio morbo jam finito oritur (ut obſ. 6. & 11.)

III. Ratione *ſubjecti* in viſum duplicatum vel *cum vel ſine manifeſta diſtorſione oculi:* prioris exempla obſ. 12. 13. 15. &c. poſterioris obſ. 6. 10. & 11. ſubminiſtrant.

IV. Ratione *objecti* quod ſpectatur, in viſum duplicatum ubi *omnia* objecta, & ubi *quædam* tantummodo objecta geminantur reliquis ſimplicibus apparentibus, qualia de objectis magis minuſque familiaribus obſ. 13, nec non de vicinis & remotis obſ. 19. narrant.

V. Ratione *modi* quo ſpectatur objectum, in viſum duplicatum *duobus oculis* exercitum, ubi nempe non niſi oculo utroque aperto res geminantur, altero vero horum clauſo rurſus ſimplices apparent, ut obſ. 9. 11. 16. 20. & viſum duplicatum *unico oculo* æque ac duobus exercitum, ubi ſive uno oculo ſive ambobus objectum ſpectes ſemper duplicatum apparebit, ut obſ. 10. docet.

VI. Ratione *ideæ* inde in mente excitatæ in viſum duplicatum *diſtinguentem* objectum verum à falſo (ut ex obſ. 7. & 20.) diſcimus, & illud *non diſtinguentem*, quod obſ. 10. & 15. fidem faciunt.

 VII. Ra-

[a] Apud *Foreſtum in ſcholio ad caſ. cit.*

Digitized by Google

VII. Ratione denique *eventus* in viſum duplicatum *curabilem* obſ. 1. 2. 5. 6. &c. *incurabilem*, obſ. 4. 11. & *lethalem* obſ. 7.

§. VII.

In cauſa proxima morbi hujus eruenda ad diſtinctionem quintam §. 6. potiſſimum attendendum eſſe arbitror.

I. In viſu duplicato non niſi ambobus oculis exercito cauſa proxima in eo quærenda eſt, quod imago objecti in uno oculo in alia retinæ parte, ac in altero oculo depingatur: cumque hæc puncta nec natura nec experientia correſpondeant, ſenſus geminatus hinc & viſus duplicatus oritur.

II. In viſu duplicato unico æque ac duobus oculis peracto cauſa proxima in objecti in unoquoque oculo duplici imagine depicto reperitur. Sic unuſquiſque oculorum objectum geminatum ſiſtet, & licet ſic in duobus oculis quatuor ſint imagines, cum tamen ſemper duæ imagines in locis retinarum correſpondentibus delineentur, hæ duæ ſenſationes exacte ſibi invicem æquales non niſi unicum objectum repræſentabunt.

§. VIII.

Ut vero dicta clarius pateſcant, inveſtiganda erit cauſa, cur imago objecti in non correſpondentibus retinæ utriuſque oculi partibus, aut etiam bis in unaquaque retina delineata fuerit. Hæc pro varia viſus duplicati ſpecie variat. Etenim:

I. Iis in caſibus, ubi manifeſta oculorum diſtorſio ſenſibus patet (§. 6. N°. 4.) ſtrabiſmus talis in cauſa eſt, ubi cum pupilla una magis elevata ſit quam altera, axis viſus unius oculi aliam retinæ partem ferire neceſſe habet quam axis alterius oculi.

II. Ubi vero nullum in oculo externo vitium apparet, cauſa in ſitu lentis cryſtallinæ perverſo latet [*b*]. Quodſi enim ſupponas lentem cryſtallinam unius oculi ita eſſe diſpoſitam, ut ejus margo undique æqualiter ab uvea diſtet, in altero vero oculo eandem ita eſſe inclinatam, ut una marginis pars magis appropinquet uveæ quam altera, focus certe lentis prioris aliam retinæ partem feriet quam poſterioris. Cum vero lentis ſitus parum obliquior per anguſtum pupillæ foramen obſervari nequeat, mirum haud eſt, in talibus oculis, quatenus ex aſpectu de iis judicare licet, nullum vitium deprehendi.

III. In eo caſu ubi ſola remota geminata, vicina vero ſimplicia apparuerunt, ratio ſubobſcura ex *de la Hirii* demonſtratis [*c*] lucem adquirit: qui cum myopes, qui tamen res objectas mediocriter remotas diſtinguunt,

[*b*] Conf. *Thummig. loco* ad obſ. 11. *citato.*
[*c*] Apud *Du Hamelium hiſt. acad. reg. ſcient. lib.* 4. *ſect.* 4. *c.* 3. §. 8.

guunt, eaſdem plerumque geminatas cernere, dixiſſet, demonſtrat ex legibus opticis, lentes utrimque convexa ſuperficie eaque ſphærica donatas, non eſſe ſatis idoneas, quæ radios ex eodem puncto prodeuntes poſt duplicem refractionem in idem punctum colligant. Sed aptæ huic rei futuræ ſunt, ſi unam ex iis ſphæricam ponamus, alteram in medio magis extantem, quæ tamen verſus extrema in ſinus oppoſitos inflectatur, aut certe pars ejus media craſſior ſit quam extremæ. In hac cryſtallini conformatione duplex focus futurus eſt, cum res eminus videbitur: nam radii medium cryſtallinum penetrantes citius coibunt, quam qui extremos illius margines pervadunt, iique velut annulum quendam depingunt, quod tam non cito coëant ac priores radii: idque maxime ſi pupilla apertior ſit, & corpus paulo remotius ſpectetur. Poteſt tamen ex *Aguilonii* ſententia vitii cauſa in nonnullis ſubjectis inſuper in muſculorum oculi relaxatione quæri: nempe notum eſt ex opticis, quod longius remoto ab oculo objecto lens & retina ſibi invicem appropinquare debeant. Novimus ex anatomicis & phyſiologicis quatuor muſculos rectos oculi, dum ſimul agunt, hoc munere fungi: docet denique experientia in accurate diſtinguendis objectis remotis æqualem muſculorum utriuſque oculi eamque ſatis firmam & ſtabilem actionem requiri, hincque in eorum contemplatione mirum quantum noſmet defatigari. Facile ergo fieri poteſt, ut relaxato muſculorum unius oculi tono, aliquis oculum iſtum in ſpectandis objectis remotis in ſitu ſtabili continere nequeat: ut ergo in hoc alius retinæ locus ab imagine afficiatur quam in oculo ſano. Quoniam autem in objectis vicinis contemplandis nullo muſculorum niſu opus eſt, hinc ea ſimplicia obſervantur. Et ſi nec hæc ratio arrideat, denique ad experimentum §. 3. N°. 2. recenſitum confugiendum & ſtatuendum erit, talium ſubjectorum corneam ita hinc pellucidam illinc opacam fuiſſe, ut objecta quaſi per chartam duobus foraminibus pertuſam ſpectaverint, quæ in horoptere conſtituta ſimplicia extra eundem vero geminata apparebant. Ex hoc certe fonte explicari forſan poterit curioſus *Ludovici Septalii* [*d*] caſus, quando de parente ſuo narrat, quod octogenario jam major, cum ille ſpecillis, libris oculo plus ſolito admotis, legere neceſſe haberet: in hoc ſymptoma inciderit, ut lumine uno longe viſo, ſeptem vel octo ſemper videre ſibi videretur. Ni ſupponere hic velis relaxationem muſculorum oculi, qui oculos minime ſtabiles retinentes fecerunt, ut mox in hac mox in illa retinæ parte imago luminis reciperetur, unde totidem ſe lumina cernere ſibi viſus ſit. Ex corneæ aut lentis ſtatu polyhedrico certe deduci nequit; etenim ſic objecta vicina æque ac remota multiplicata vidiſſet.

IV. Aſt maxima difficultas in explicatione cauſæ obſervationis 10. verſa-

[*d*] *Comment. ad Probl. X. ſect.* 3. *Ariſtot.* citante *Sturmio Phil. Ecl. T. II. diſſ.* 5. §. 6.

ſatur, quomodo nempe fieri potuerit, ut idem objectum bis in unaquaque retina depingi potuerit, & tamen affectus hic per tres vix ſeptimanas durans fere ſolis veſicatoriis profligatus fuerit. Clariſſimus obſervator eam à ſolo partium nervoſarum ſpaſmo, ac ſpirituum per nervos potiſſimum opticos inordinato motu deducit. Novi equidem, vertiginem viſus duplicati ſymptoma haud infrequens ex inordinato ſpirituum per hos nervos motu poſſe explicari: ſed nunquam imaginari mihi poſſum, quomodo ex inordinato & irregulari ſpirituum curſu regulariter tamen & accuratiſſime duorum objectorum diſtinctiſſimorum & ita ſibi invicem ſimilium idea proficiſci potuerit, ut verum à falſo non ſit diſtinguendum: & hoc non ſemel aut bis, ſed continuo per plurium dierum decurſum. Alia ergo ſuberat cauſa, & quidem vel lentis cryſtallinæ ſpaſmo membranarum agitatæ in facieculas polyhedricas mutatio, vel ejuſdem quoad partem ex ſitu naturali verſus latus quodcunque remotio. Lentem polyhedricam objecta geminare poſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. (§. 3. N°. 1.) Corneam accuſarem, ut in caſu *Boerhaaviano* [e] (qui vidit hominem cuncta triplicata cernentem, cui, ut auguratur vir ſummus, forte cornea inſtar vitri polyhedri in aliquot plana diffracta fuit) ni vitium illud corneæ aſpectu ſe prodidiſſet, cujus tamen contrarium noſtro in caſu reperitur, ubi oculus ſine labe externa fuit. Num denique ſtatuenda erit quædam relaxatio capſulæ lentis cryſtallinæ, aut major humoris vitrei copia, aut partium vicinarum ſpaſmus & contractio, aut aliud quodcunque accidens, quod lentem e ſitu ſuo naturali ita verſus ſuperiora, inferiora, aut verſus latera tantiſper protrudere potuerit, ut vitreus humor locum à lente relictum occupans ſphæricitatem quandam verſus pupillam acquiſiverit (prout hoc fit poſt depoſitionem cataractæ, ubi hujus corporis vitrei pars concava, lenti locandæ antea deſtinata, anteriora petit, convexa evadit, ſicque lentis munere fungitur) ita ut quaſi lens ſuccenturiata & adjutoria imaginem objecti in retina delineaverit, dum interim lens vera, non plane à loco ſuo remota, ſimilem præcedenti imaginem in alio retinæ loco depingat, unde duplex in eadem retina ejuſdem objecti imago viſum unius oculi duplicatum gignere potuit. Dicta experimento illuſtrabo. Chartæ ſpiſſæ infligatur foramen magnitudine pupillæ, eique applicentur duæ lentes vitreæ ita ſibi invicem appoſitæ, ut unaquaque radios ab objecto provenientes recipere poſſit; ſic in plano albo, debita in diſtantia retro lentes conſtituto objecti duas imagines depictas videbimus. Num vero hypotheſis actu in oculis contingat, aut noſtro in caſu revera adfuerit, pro certo affirmare non auſim. Hoc enim non niſi longior experientia, & omnium optime culter anatomicus detegere poterunt. Sufficit, dicta non eſſe impoſſibilia. Etenim eadem forſan facilitate, qua inordinatum ſpirituum animalium motum ſedatum eſſe aiunt, aut ſpaſmus, aut relaxatio, aut humo-

[e] *In comment. ad inſt.* §. 541. *in fine.*

humoris abundantia, aut defectus, aut quodcunque fuerit obſtaculum in ſene optime ceteroquin valente & robuſto tolli potuit, cum, aſſerente *Alexandro Deodato l. c.* ubi rationes certæ & liquidæ deſunt, haud raro favens audentibus adſit Æſculapius.

V. Num vero oculus humore madens, per ſe, nulla alia accedente cauſa viſum geminatum efficere poteſt? Sic putat *Foreſtus l. c.* ſpiritus, inquit, viſorius madore impeditus, ob reverberationem limpiditatis aquei humoris duo ſemper cernit, licet unum exiſtat: quemadmodum iis evenit, qui diutius ſolem inſpiciunt, & oculi eorum madore corripiuntur ex nimia ſolis claritudine, ut duos ſoles videant, quamvis unus tantum ſit, denique aliam rem quampiam ſubito cernentes duas eſſe autumant. At minus hoc experimentum ſuccedere crediderim. Qui enim ſolem diutius aſpiciunt (ni alia cauſa accedat, ut in obſ. 5.) vario colorum genere oculos affectos ſentiunt, vertigine dein ſcototomica correpti occœcantur quaſi, & ad tempus nullum plane objectum diſcernunt, neutiquam vero aut ſolem, aut alia objecta duplicata vident. Norunt fœminæ,

Uberibus ſemper lachrymis ſemperque paratis
In ſtatione ſua, atque expectantibus illas
Quo jubeant manare modo [*f*];

quod oculis lachrymarum humore madentibus objecta lucida e. gr. candelam accenſam ſpectantes ex objecto innumeri radii lucidi lati, quaſi ignei tramites egredi videantur quidem, nunquam tamen inde objectorum geminatio proveniat. Idem quiſque facile experiri poterit, ſi guttula aquæ oculos aut oculorum unum humectet. Conſtat denique, ophthalmiam humidam morbum eſſe maxime familiarem, viſum autem duplicatum rariſſime occurrere, quod minime foret, ſi a ſola humiditate oculorum produci poſſet.

§. I X.

Hæc oculorum diſtorſio, aut lentis e ſitu naturali in obliquum remotio, aut etiam ejuſdem in figuram polyhedricam converſio à cauſis ſequentibus originem ducit:

I. Muſculi ſive attollentis ſive deprimentis uno in oculo *ſpaſmus*, qui, ſuperata antagoniſtæ actione, oculum verſus ſuperiora aut inferiora ducit, ſicque diſtorſione oculi viſum geminatum efficit.

II. Alterius ex iiſdem muſculis *paralyſis*, aut ſaltem *relaxatio*, tum enim antagoniſta naturali adhuc robore præditus oculum, eodem ſubſequente effectu, in plagam oppoſitam trahit.

[*f*] Juvenalis *ſat. 6.*

Digitized by Google

III. Sic nec adducentis aut abducentis actio ſive per ſpaſmum validior, ſive per relaxationem infirmior, in recenſione cauſarum omittenda erit, ſi modo vitiati aliqualem oculi diſtorſionem efficiunt. Conf. §. 4. & obſ. 15.

IV. Quodſi unus ex oculorum muſculis vulneratus aut portio ejus per abſceſſum abſumta eſt, & vulnus aut ulcus rurſus conſolidatur, tum is brevior factus oculum quoque in ſuam plagam contorquere valet.

V. Relaxatis muſculis attollente & deprimente ſimul, aut etiam iisdem ſimul ſpaſmodice contractis, dum interim adducens & abducens in ſtatu naturali manent, oculoque per conſequens inæqualiter compreſſo lens cryſtallina e ſitu naturali inclinari, aut etiam in ſtatum polyhedricum converti poterit: id quod & mutatis mutandis circa adducentis & abducentis ſimul aut ſpaſmum, aut relaxationem, reſpectu attollentis & deprimentis naturaliter conſtitutorum, valet.

VI. Magis tamen ipſa tunicarum oculi convulſio ſitum cryſtallini pervertere, aut eundem in quaſdam facieculas comprimere poterit.

VII. Interim quoque illæſis muſculis, pinguedinis oculum ambientis, aut etiam oſſium orbitæ tumor, abſceſſus, caries, exoſtoſis, materiæ itidem ſeroſæ aut glutinoſæ mucoſæve in cellulis adipoſis nimia collectio, vel oculum integrum diſtorquere, vel ſaltem lentis cryſtallinæ ſitum immutare vario modo valent. Quid quod & his ex voto curatis lentem ſitum perverſum, quem à tali cauſa acquiſiverat, conſervare poſſe obſ. 11. fidem facit.

VIII. Vitioſus denique ſive corneæ ſive albugineæ cum palpebra ſuperiore aut inferiore coalitus, dum oculum extra ſitum naturalem collocat, affectum noſtrum, teſte obſ. 17. producit.

§. X.

Cauſas tum remotas tum occaſionales affectui noſtro ſubminiſtrant ſequentia:

I. Virus venereum, (obſ. 1.) quod, cum in producendis in toto corpore tumoribus, ulceribus, exoſtoſibus liberale ſit, ſimile quid in partibus oculum ambientibus excitare, & viſum inde geminatum producere potuit.

II. Pari ratione ſcorbutus (obſ. 2.) acrimonia ſua partes nerveas & muſculoſas ſtimulans, muſculo cuidam oculi ſpaſmum inducere valuit.

III. Sic muſculorum corporis plurimorum ſpaſmus & convulſio (obſ. 3.) æque ac eorundem ad paralyſin propenſio (obſ. 15.) à cauſa quadam generali dependens, muſculis oculorum ſe communicare, morbumque noſtrum excitare poterit.

IV. Cum vero ſpaſmi in genere hoc efficiant, multo magis capitis

do-

dolores enormes & rheumatiſmi oculis ob vicinitatem nocebunt, & contractione tunicarum oculi (obſ. 10.) lentis cryſtallinæ ſitum depravabunt.

V. Idque multo magis in moribundis (obſ. 7.) continget, quibus, conſumptis longo morbo optimis humorum particulis, reliquæ exaltatæ, detritæ, acres fiunt, qui ob vicinam machinæ deſtructionem variis exagitantur ſpaſmis, quibus motus ſucceſſive pereunt, quorum viſus ſemper mire turbatur.

VI. Variæ aëris injuriæ, & præſertim calidi cum frigido ſubita permutatio, capite inprimis detecto, in quantum oculis quoque noceant, in vulgus notum eſt. Eadem ergo vel ſpaſmos vel paralyſes in oculorum muſculis generare, ſicque oculorum diſtorſionem cauſare poſſunt: ut obſ. 4ta docet, in qua, licet nil de oculorum diſtorſione extet, eam tamen adfuiſſe tum *Sylvaticus* in conſultatione caſui ſubjuncta auguratur, tum ſymptoma inferius explicandum confirmat.

VII. Illud vero magis animadvertendum eſt, à ſola humiditate majore unius oculi præ altero affectum noſtrum provenire potuiſſe, juxta obſ. 9, cum innumeræ ophthalmiæ ſeroſæ occurrant, in quibus nil tale contigit. Sed haud abſque veroſimilitudine humiditas in iſto milite magis adhuc graſſabatur in partes inter orbitam & bulbum locatas, quam in partes externas, hinc muſculorum relaxatio, ejuſdemque oculi *quaſi prolapſus*, ut loquitur *Foreſtus*, unde non potuit non manifeſta axium viſus dislocatio procedere.

VIII. In obſervatione 19. non tam humiditatem, quam malam lentis cryſtallinæ à natura conformationem pro cauſa mali accuſare vellem, cum viſus objectorum longius remotorum duplicatus quibuſdam myopibus (qui nempe eam lentis figuram habent, ut §. 8. n. 3. diximus) ſit proprius, in quorum numero & *Aguilonii* juvenem fuiſſe, circumſtantiæ dubitare vix permittunt. Licet negare non auſim, & humiditatem ſuum contuliſſe ſymbolum.

IX. Objecti maxime lucidi, & ſemper quidem cœleſtis, ſplendor ter aſfectum noſtrum produxit. Num cœleſtia curioſiore oculo rimari nefas, cum crimen ſtatim ſua pœna ſequatur? Solem, juxta obſ. 5. per foramen chartæ ſpiſſæ inflictum aſpicere, & hoc modo ejus eclipſes obſervare, methodus eſt ſatis vulgaris [g]: ſed aut *Deodati* ſacerdos oculum intenſius objecto remotiſſimo & lucidiſſimo obvertens nimis fatigavit, aut, quod probabilius, foramen juſto amplius in charta fecit, unde radii quidam ſolis (quos tamen omnes abſorbere deberet charta, ut non niſi diſcus ſolaris radiis ſuis quaſi orbus per foramen appareat) nimis vivide retinam ferientes, ſpaſmum in vicina choroidea, forſan & in muſculis antea jamjam debilitatis producere, & ſic aut lentis cryſtallinæ, aut totius oculi

 ſitum

[g] *Vid.* Weidler *de helioſcopiis* §. 4. N°. 2.

Digitized by Google

ſitum immutare potuit. Idem fere de *Heerii* medico (obſ. 6.) dici poterit. Hujus retina, antequam per continuum lunæ ſplendorem toleratum quaſi exſiccaretur (unde amauroſin temporariam, qua affectus eſt, derivarem) non potuit non ſpaſmodice affici, unde & vicinas membranas in conſenſum trahens, lentis cryſtallinæ ſitum immutavit (nam expreſſe dicit obſervator, nullum in oculo externo obſervatum fuiſſe vitium.) Hinc irrigatis rurſus ſucceſſu temporis & vi medicamentorum retinæ nervis, cum ipſa lens non ſtatim reſtitueretur, viſus duplicatus tunc demum ſeſe manifeſtavit, cum animæ per oculos videndi facultas fuerit reſtituta. Sic denique fulguris ſplendor clariſſimus, momentanee quidem tantum, attamen velociſſime & vividiſſime oculos feriens, muſculorum ſpaſmum oculique diſtorſionem produxit (obſ. 18.) idque eo magis, quoniam, quaſi oculos ejus lædere vellet, paſtorem conterruit, & ex communi mortalibus lege oculos palpebraſque movere coëgit. Etenim vel ſolus

X. Terror, obſ. 20. ſubito concutiendo cerebrum, ſpirituſque animales perturbando, efficere poteſt, ut in muſculos parteſque oculi, præſertim ſi jam antea debilitatæ ſunt, vim ſuam exſerere, & oculum dislocando viſum duplicatum efficere poſſint.

XI. Tabaci teter fœtenſque fumus non ſolum, ut omnis fumus, oculis inimicus eſt, ſed & narcoſi ſua caput ferit, & inebriat, hinc per ſe (§. 4.) viſum geminatum, brevem licet, generat. Quodſi nunc eo quo inebriat tempore, muſculum quendam oculi fortius, ac in vulgari ebrietate fieri ſolet, ſtimulat, ſpaſmus iſte, diſcuſſa licet crapula, permanere, & ſic axes viſus alterando viſum duplicatum continuare poteſt. Ut in obſ. 8. factum eſſe auguramur.

XII. Omnium vero frequentiſſime cauſa violenta externa affectui noſtro anſam præbet. Sic in obſ. 11. oculi à pila nivea eidem vi impacta præternaturalis tumor lentis ſitum ita inclinavit, ut diſcuſſo licet tumore priſtinum ſitum recuperare non amplius potuerit. Sic gravis ictus in oculum obſ. 12. aut ſupra caput, ut obſ. 13. & 14. muſculos affecit, oculum diſtorſit. Sic denique oculi vulnus dum cum palpebra inferiore concrevit obſ. 17. eundem effectum edidit.

§. X I.

Antequam de prognoſi & cura aliquid dicamus quædam adhuc circa ſingularia in recenſitis caſibus ſymptomata quæſtiones erunt movendæ.

I. Cur quidam morbo hoc affecti objectum verum ab imaginario probe diſtinguant, alii minus (§. 6. n. 6.)? Reſpondemus: mens videt objecta, & quidem haud aliter, ac ab oculis ipſi repræſentantur. Hæc ipſa vero anima quoque de objectis perceptis judicat, num revera ita ſint, prout ea ab oculis accepit, an non. Si non ita ſunt, ex ratiocinio, in

quan-

quantum poteſt, perceptionem emendat. Ægri ergo, quando objecta geminata vident, cum bene ſciant, objecta hæc re ipſa non niſi ſimplicia eſſe, characterem ſtatim quærunt, quo verum objectum à falſo diſtinguere poſſint: hunc alii ſtatim, alii tardius, alii plane non inveniunt. Primum contingit, ſi objectorum imagines longe à ſe invicem ſunt diſſitæ, aut unum longe magis elevatum ac alterum ut obſ. 7. aut etiam ſi unum objectum vividius eſt, quam alterum ut obſ. 20. Etenim tum anima re maxime inſolita ſtatim perculſa, eandem citius ſibi imprimit, indeque characterem deſumit. Quodſi autem utriuſque imaginis æque vivida impreſſio, parva diſtantia & fere paralleliſmus in altitudine & loco adeſt, (ut in obſ. 10. fuiſſe videtur) tum rerum æqualitate attonitus ſpiritus noſter ſoli viſui non amplius fidem habet, ſed tactum inſuper in ſubſidium vocat, unde ſemel tactum pro nota characteriſtica aſſumens alias notas quærere negligit. Hinc hi ægri minus per ſolum viſum objectum verum à falſo diſtinguunt quam præcedentes.

II. Cur per amauroſin unius oculi obſ. 3. æque ac clauſo uno oculo, obſ. 9. 11. 20. objectorum duplicitas evaneſcit? R. quoniam tum una tantum, non gemina, in oculo imago ſentitur. Conf. §. 3. in fine.

III. Cur obſ. 13. manente oculi diſtorſione viſus geminatus in ſimplicem mutatus eſt? Reſponſio ex §. 2. 11. 6. & 7. petenda. Hic enim amauroſis oculi alterius alleganda non eſt, cum non ſimul omnia objecta ſimplicia vidit, ſed quædam tantum ſimplicia apparebant, dum interim reliqua adhuc dum geminata eſſent.

IV. Cur vertiginem haud raro comitem habet affectus noſter, vid. obſ. 3. 18. 20.? Reſp. Vertiginem eſſe apparentem objectorum rotationem, indeque ſequentem membrorum vacillationem, & ab inordinato & inæquali ſpirituum animalium in fibrillulas nervorum opticorum influxu circumgyrationis ideam in mente excitante originem ducere [*b*] notum eſt. Cum autem noſtro in affectu diverſa retinæ puncta tangantur ab imaginibus, ſi quidem hæc diutius continuantur, ob duplicem in ſimili organo ſenſationem natam ſpiritus animales aliter ex uno quam ex altero oculo in cerebrum refluentes, tandem ex ordine ſuo diſturbantur, & vertiginem ſuſcitant.

V. Cur *Sylvatici* viro reverendiſſimo affectus hic magis moleſtus fuerit in ſcalarum deſcenſu quam in aſcenſu, ex modo dictis clarum eſt. Etenim à proſpectu in declivia & præcipitia præſertim, naturaliter utplurimum vertigo oritur, iſque eo magis memoratum ægrum infeſtavit, quo probabilius ex circumſtantiis concludimus, diſtorſionem oculorum hic adfuiſſe, & quidem talem, ubi phantaſma demiſſius menti ſeſe ſiſtebat quam objectum, unde à quovis paſſu, ne caderet, æger timuit.

VI. Unde miranda iſta, viſu duplicato finito, objectorum in linea recta antea

[*b*] Moor *Pathol. cerebr.* cap. 3. Verdries *diſſ. de vertigine.*

ante oculum poſitorum ad latus remotio, obſ. 6.? Hoc ipſum ab aliis doctioribus edoceri cupio, lubens enim fateor, me cauſam ignorare. Similem, dignumque qui hic tranſcribatur, caſum recenſet Celeber. *Du Verney* [*i*]. Matrona quædam equo vecta in foſſam tres perticas altam ab equo cecidit, & caput terræ allidens loquelam & ſenſus amiſit. Chirurgi vicini accurrentes venam plus una vice pertundunt. Altero die cum nondum ſenſum recuperaſſet, chirurgi tumorem in ſiniſtro crotaphite obſervantes, indeque fracturam oſſis ſub eodem timentes, dictum muſculum cruciatim incidunt. Interim cum nihil aderat, inutile hoc vulnus per quadrimeſtre ſpatium vix conſolidarunt. Ægra oculo ſiniſtro vix vidit, & ille oculus ſemper involuntarie verſus angulum parvum ſeſe vertit. Sed ſenſim ſenſimque ſeſe reſtituens, nunc eundem motum & parallelismum cum oculo dextro ſervat. Oculus dexter ſanus eſt, ſiniſter maxime debilis & ſemper rubicundus. Quando ambobus oculis objecta in linea recta ante ſe conſtituta contemplatur, eadem ad latus ſiniſtrum octo vel decem paſſus à naturali loco remota cernit, nec illa in viſu ad ſitum naturalem reducere poteſt, niſi capite in humerum ſiniſtrum converſo. Quando uno tantum oculo, quicunque etiam ſit, objecta videt, in naturali loco conſtituta cernit, ſimulac vero alterum aperit, ad latus ſiniſtrum reſiliunt. Sanus ergo & æger oculus uniti æqualiter viſui nocent, quoad objectorum locum determinandum, nec eundem exacte tradunt niſi ſeparati ſint. Oculum ſiniſtrum in determinando loco vero objecta non niſi debilia parumque diſtincta exhibere, ex antecedentibus patet. Poſtquam aliquot lineas legit, nil amplius niſi confuſionem literarum tumultuarie in charta circumgyratarum videt. En phænomena optica ſatis curioſa. An ſectio crotaphitis hæc produxit, & quomodo? Aquæ medicatæ Balarucenſes & Baregenſes guttatim applicatæ (*les Touches*) nihil profuerunt.

§. XII.

Prognoſin morbi hujus vi recenſitarum obſervationum ſequentes aphoriſmi includunt:

I. Qui à morbo hoc curantur, brevi convaleſcunt (obſ. 1. 2. 5. 6. 9. 10. 17. 18.) inveteratus vix tollitur (obſ. 11. 12. 15. 19. 20.) niſi metu gravioris recidivæ. (obſ. 4.)

II. Quibus viſus duplicatus eſt ſymptoma, ii curato morbo, ab eo quoque liberantur (obſ. 1. 2.)

III. Quibus caput aut oculi jam antea multum debilitati, ſemperque affluxum humorum depravatorum ad oculos patiuntur, illi, plus minus obſtructo aut preſſo tandem nervo optico, amblyopia aut plenaria amauroſi afficiuntur. (obſ. 3. 4.)

IV. Amau-

[*i*] *Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences A. 1718. p. m. 37.*

IV. Amauroſis unius oculi, eo in caſu, ubi objecta non niſi ambobus oculis ſpectata geminata apparent, viſum duplicatum tollit. (obſ. 3.)

V. Qui robuſtis nervis humoribuſque bonis gaudent, quibuſque viſus duplicatus à ſola cauſa externa provenit, ii vel plenarie curantur, (obſ. 5. 6. 18.) vel diſtorſione licet oculi remanente, nonnunquam ſucceſſu temporis ſola conſuetudine viſum ſimplicem recuperant. (obſ. 13.)

VI. Quibus in fine febrium hecticarum viſus duplicatus ſupervenit, moriuntur. (obſ. 8.)

VII. Si viſus geminatus à mala conformatione partium, incurabilis eſt. (obſ. 19.)

VIII. Si a ſimplici oculi vulnerati cum palpebris concretione, adhuc dum recenti provenit, facile curam admittit. (obſ. 17.)

IX. Denique crediderim facilius curatu eſſe viſum duplicatum ex ſpaſmo, quam ex paralyſi ortum.

§. XIII.

Curationem affectus noſtri quod attinet, de ea ut de morbo ipſo altum apud plurimos, quos evolvi, ſcriptores pathologico practicos nec non ophthalmiatros ſilentium. Nec qui viſus duplicati mentionem in morborum catalogo injiciunt. *Sennertus* (k) *De le Boe Sylvius* (l) *Vaterus* de cura aliquid addunt, niſi in genere eandem cauſis eſſe accommodandam St. *Yves* aliqua hic remedia ſuadet (m). Quid citatæ obſervationes hic ſuppeditare poſſint, ex iſtarum lectione facile patet. Nemo ergo mihi vitio vertet, ſi juvenis, ſubſidio alieno parum adjutus, & experientia propria prorſus deſtitutus, pauca ſaltem, manca, minuſque digeſta tradere ſuſtineam. Quodſi ergo ad allegatos caſus, qui viſum duplicatum idiopathicum ſiſtunt, oculos convertimus, eos ratione curæ commodiſſime in duas claſſes diſpeſci poſſe videmus. In aliis nempe ægris cauſa quædam interna ſuum ſymbolum contulit, idque vel per ſpaſmum, vel per relaxationem; in aliis ſola quædam cauſa externa malum produxit. Unde triplex medendi methodus ſurgit nempe:

I. In iis ægris ubi morbi capitis & nervorum ſpaſmodici morbum vel produxerunt vel ſuſtentarunt, ut in obſ. 3. 4. 10. 16. 18. 20.

II. In

(k) *Med. pract. lib. 1. part. 3. ſect. 2. cap. 45.*

(l) *Prax. med. lib. 2. c. 7. §. 39. ſq. pm. 403.*

(m) *Mal. des yeux lib. 1. c. 24.* Utinam obtinere potuiſſem diarium illud quod Venetiis ſub titulo: *Opuſculi ſcientifici e filologici* prodit de cujus *parte* 33. ſic ſcribunt: *Novella literaria Gœttingenſes A. 1746. n. 10. p. 74. In dem andern Stuck deſſelben ſind Arzneymittel beſchrieben, die die berühmte Männer* Lanciſci *und* Valiſneri *einem Vettern des gelehrten Biſchoff von Adria Philipp* del Torte *in einer Augenkrankheit angerathen, die darinn beſtanden, daß er alles doppelt geſehen*, forſan hæc meliora me edocere potuiſſent.

II. In iis caſibus ubi manifeſta relaxatio aut humiditas adeſt, ut in obſ. 9. 16. 19.

III. In iis caſibus, ubi æger ceteroquin bene valens ſive a ſplendore luminis (obſ. 5. 6.) ſive ab ictu (obſ. 11. 12. 13. 14. 17.) ſive ab ebrietate (obſ. 8.) lædebatur.

IV. Denique viſus duplicati ſymptomatici medela pauciſſimis tangenda erit.

§. XIV.

Iis in caſibus, ubi morbi capitis & nervorum ſpaſmodici morbum hunc vel producunt, vel nutriunt quatuor indicationes adeſſe ſuſpicor. *Prima* humores peccantes emendare, *altera* ſpaſmos mitigare; *tertia* affluxum ad locum affectum minuere, & humores peccantes ad loca minus noxia derivare, *quarta* denique partibus tono dejectis robur addere jubet.

Primo ſcopo ſatisfaciunt in genere lenia per epicraſin *laxantia* mannata, tamarindinata; aut noduli laxantes ex rad. oxylap. polyp. quern. fol. ſen. & ⊖. veget. Purgantia fortiora, nec non emetica, oculis utpote noxia (*n*) hic exulent: ut & pilulæ omnes, licet cephalicæ aut ophthalmicæ vulgo audiant, exagitando enim ſanguinem parum prodeſſe autumarem. Ex *alterantibus* huc ſpectant potiſſimum ea quæ vi diluente & refrigerante donantur, ut lac ebutyratum, lac hordeatum, ſerum lactis dulce aut acidum, decoctum bromium Loweri, acidulæ variæ, juſcula medicata ex herbis lenioribus antiſcorbuticis & refrigerantibus, decocta ex rad. cichor. ſylv. acetoſ. polyp. quern. fl. tiliæ; paſſul. min. & ⊕. &c. Si peculiaris quædam adeſt acrimonia, tum ea, ut artis eſt, tractanda erit.

Alterum ſcopum implent, quæ vel *acre ſpiſſum reſolvunt* ut tartarus vitriolatus ⊕. aliaque ſalia media, pulvis antiſpaſm, &c. *vel partes obſtructas reſerant*, ut terra fol. tartari ejuſque liquor, gum. ammoniac. ſuccus millepedum (quorum virtutem in morbis oculorum magni faciunt ophthalmiatri) in juſculo carnis vitulini c. rad. cich. & ⊖. veget. coctus; *aut nervos dimulcent*, ut emulſiones tenuiores &c. Ad opiata confugere nollem, cum narcoſi ſua ebrietatem inducere, ſicque in noſtro affectu magis nocere poſſint: & ſi quidem ob ſummos capitis dolores in uſum trahenda ſunt, leniſſima eligenda, & in minima doſi propinanda erunt. Hæc generalia: ſpecialius magis, cum loco affecto propius applicari poſſint, hic agunt remedia externa, præcipue vapores ſpecierum emollientium cum aqua decoctorum ad oculum admiſſi, nec non fotus ex eodem decocto, quo lintea madefiunt; & oculo imponuntur. Cavendum tamen eſt, ne diutius hiſce immoremur, & dum unius partis ſeu muſculi ſpaſmum tollere nitimur,

(*n*) *Deckert obſ. pract. circa methodo. med. o. 4. p. m.* 150. Licet nonnunquam caſus adſint, ubi emetica adhiberi poſſunt. *Conf.* St. *Yves l. c.*

Digitized by Google

timur, reliquorum relaxationem promoveamus. Balnca quoque tum domeſtica tum mineralis aquæ, pro natura ægri determinanda, relaxando cutis poros, promovendo tranſpirationem, circulumque humorum æquabilem reddendo, ſpaſmos mitigare poſſe notum eſt.

Tertiæ indicationi inſerviunt *venæſectiones* pedis nunquam negligendæ & pro conſtitutione ægri repetendæ, & quod vulgo creditur eaſdem viſui obeſſe, illud auctoritati (cum a celeberrimis viris (*o*) in oculorum affectibus laudetur & commendetur) & experientiæ repugnat. (Novi inter alia, matronam ſeptuagenaria proximam, quæ per quadraginta annorum decurſum nullam aliam niſi V. S. pedis admiſit, & hæc adhuc dum ita oculis valet, ut vicinia æque ac remota perſpicaciſſime diſtinguat, & perſpicillis nunquam uſa characteres minutos legat, aut linteamina tenuiſſima nere poſſit.) Si nimia plethora urget, & V. S. brachii præmittere velis, non peccabis. Phlebotomia jugularis reliquis præmiſſis & irritis (juxta obſ. 3.) quoque tentanda erit. Si æger hæmorrhoidibus laborat, ſanguiſugarum ad anum applicatio non obliviſcenda. Quid *ſcarificatio* præſtet obſ. 5. 6. 10. oſtendent: forſan & *arteriotome* arteriæ frontalis aut rami temporalis ſubjungi poterit. *Pediluvia* pedumque frictiones pannis aſperis calidis ſpaſmum in extremitatibus his tollendo humores a capite derivare poſſunt. *Veſicatoria* in quantum profuerint obſ. 3. 6. 10. 18. demonſtrant, quorum alias quoque frequens uſus in oculorum morbis eſſe ſolet. Locum, in quo veſica excitanda, retro aures, aut in nucha, aut in ſcapulis, aut in flexura brachii, aut in ſuris deſignant. Hæc tamen ſi levare debent, diutius aperta ſerventur. Imo duæ eodem tempore veſicæ diverſis in locis, ut eo validior revulſio, excitari poterunt. Hæc ſi parum juvant, veſicatorium toti capitis parti capillatæ raſæ impoſitum tentandum erit. *Fonticuli* ideo non ſunt negligendi, quoniam humores in toto corpore peccantes ad oculum tanquam ad partem debilitatam alias confluentes, ad fonticulos derivantur. Et ſi fonticuli in extremitatibus facti parum juvant, fonticulum in capitis vertice cauterio actuali inurere poſſumus. Quodſi tandem ob ulcuſculi parvitatem in malo pertinaci parum in iis præſidii reperitur, tum, malo præſertim guttam ſerenam minitante, ad *ſetacea* nuchæ applicanda tanquam ad ultimum refugium recurrendum erit. In hanc revellentium claſſem etiam referri poterit *ſternutatio* excitata, vid obſ. 6. & 8. Pulvis naſalis *Bartholinianus* ibidem commendatus hic eſt: ℞. *Tabac opt.* ℥j. *majoran.* ʒij. *euphraſ. ſem. fænic.* aa. ʒj. *agar. trochiſc.* ℈j. *cum* ▽. *fænic. ſ. q. f. pulv. ſubtiliſſ.* (*p*). Sed omnibus errhinis & ptarmicis abſtinere hic mallem, cum ſternutatio, præſertim validior, convulſionem quandam oculis in-

(*o*) Conf. auctores quos citat le *Fevre* de uſu miſſionis ſang. *ſect.* 3. *c.* 9. & 10.
(*p*) *Acta medic. Hafn. vol.* I. *obſ.* 21.

Digitized by Google

inducat, atque illam haud raro viſui obfuiſſe experientia teſtetur (*q*). Et ſi quidem utendum iis eſſe aliquis autumaret, eaſdem potius eo in caſu ubi humiditas oculis moleſta (ut §. ſeq. dicetur) quam ubi ſpaſmis exagitantur adhiberem. *Trepanationem* denique & *ſalivationem* mercurialem inter affectus noſtri præſidia a *Briggſio* (*r*) propoſita ad hanc claſſem pertinent. Priorem tamen non adhibendam eſſe cenſeo, niſi eo in caſu, ubi præſertim a cauſa violenta externa humor ſub cranio ſtagnans, aut etiam oſſis feſtuca cerebrum premendo irritandoque cum reliquis malis etiam noſtrum affectum produceret: forſan *Plateri* puer obſ. 14 ita curari potuiſſet. Reliquis in caſibus non video, quid boni trepanum præſtare poſſit. Salivationem non niſi in caſu luis venereæ eſſe adminiſtrandam *Briggſius* autumat; ego vero abſque audacia, duce medicorum modernorum coryphæo (*s*) etiam extra venereæ labis contaminationem eandem cum fructu adhiberi poſſe cenſerem, eo in caſu, ubi vaſcula lymphatica oculorum & partium eidem vicinorum alio modo, niſi per hanc generalem lymphæ atteauationem deobſtrui queant. Ergo & hæc, aliis abſque fructu adhibitis, pro rerum circumſtantia erit tentanda.

Quartam denique indicationem abſolvunt *interne* quæcunque ſub nervinorum, cephalicorum, antapoplecticorum titulo in materia medica occurrunt, quorum delectus, adhibendi tempus, modus, doſis, pro diverſitate ſubjecti, ætatis, temperamenti, ſtatuſque morbi prudentiæ medici relinquitur. *Externe* vaporem & halitum aniſi & fœniculi maſticati profuiſſe obſ. 6. teſtatur, ſic cephalica & roborantia temporibus & nuchæ applicata obſ 18. nec non *Foreſti* laudati ſacculi, fotus & cucuphæ obſ. 9. Ad quorum imitationem plura alia componi poterunt, fotus & epithemata ex herbis fl. ſem. cephalicis, ophthalmicis, nervinis vino incoctis, ſacculi ſicci ex iiſdem ſpeciebus, aqua rubra Dn. St. *Yves* vel ſola, vel aquis ophthalmicis remixta &c. prout circumſtantiæ poſtulare videntur.

Diæta denique ſit levis, humectans eupepta, non ſpirituoſa aut aromatica, mens hilaris & tranquilla, oculus ne fatigetur ullo modo, ſive objectis nimis lucidis, ſive etiam diuturna objectorum præſertim minutorum conſideratione. Præſtat quoque nonnunquam oculorum unum alterne deligare, ut ſic quieſcens magis ad parallelismum accedat.

§. XV.

Ex brevi hoc therapiæ affectus noſtri ſchemate forſan & reliquarum viſus geminati ſpecierum therapia colligi, & mutatis mutandis inſtitui poterit,

(*q*) Novimus, inquit *Deckers in obſ. pract. circa meth. med. cap.* 1. *p.* 22. Matronam, quæ primo non niſi levi oculorum hebetudine affligebatur, juſſu vero medici ſternutatoriis vehementibus bis terve in hebdomate mane utebatur, unde malum indies ita auctum fuit, ut nunc cœca exiſtat & manſura ſit.

(*r*) *Theor. viſ. p.* 310.

(*s*) *Boerhaave de viribus medic. claſſ.* 4. *c.* 2.

terit. Etenim ſi manifeſta adſit humiditas, indeque proveniens partium relaxatio, tum indicabit: *Primo* humores eſſe corrigendos & nimios ex corpore proſcribendos; affluxum *deiu* a loco affecto eſſe derivandum; partes *denique* debilitatas robore indigere.

Primæ indicationi reſpondent *laxationes* frequentiores ex ſic dictis hydragogis & phlegmagogis, pilulæ ex iiſdem cum ☿. d. remixtæ. *Diaphoretica* & ſudorifera ex decoctis lignorum cum regimine (St. *Yves l. c.* tantum decoctum ligni ſaſſafras c. decocto Euphraſiæ commendat) licet enim in obſ. 9. fruſtra adhibita fuere, in cauſa erat, quod ſola adhibebantur, non ſubjunctis roborantibus. *Diuretica* ex mille pedibus & aliis.

Ad *alteram* indicationem minus faciunt V. S. aut quæcunque ſanguinis evacuatio, niſi parce adhibita. Eo tamen major uſus a veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis, lenioribus errhinis, ipſaque ſalivatione, expectandus erit.

In *tertia* denique claſſe omnia roborantia §. 14. citata, probo cum judicio in uſum trahi poterunt. St. *Yves*, qui *l. c.* omnem viſum duplicatum a relaxatione cujuſdam muſculorum oculi derivat, vaporem decocti caffé mane & veſperi admittendum, ut & vaporem ſpiritus vini ſuadet.

Diæta hic ſit ſicca magis, pauco, optimo, leniter adſtringente vino adjuta: reliqua ut §. 14. diximus.

§. XVI.

In iis ægris, ubi malum tantummodo a cauſa externa inductum eſt, eum ii peculiari craſeos humorum emendatione, ceteroquin ſani, haud indigeant, ſtatim (præmiſſis, ut opus videtur, generalioribus, V. S. nempe, aut purgatione, aut utriſque, & proſpecto, ſi adeſt, ex artis lege, vulneri, tumori, contuſioni, ſeu cuicunque læſioni externæ) reſpiciendum eſt, num ſpaſmus, num relaxatio muſculorum in cauſa ſit, num heterogeneum inter orbitam & oculum, num mala corneæ ad partes externas adhæſio.

Si *ſpaſmus* adeſt, tum (1) is tollendus per ea quæ §. 14. ind. 2. diximus (2) affluxus ad oculum præcavendus per ind. 3. (§. 14. 3.) partes roborandæ. Si a luminis ſplendore productus eſt, æger quantum fieri poteſt, lumen vividum fugiat, oculoſque ſæpius deliget, ſive ambos, ſive alternatim unum. Si a cauſa violenta, tum, num trepanatio, ut §. 14. ind. 3. dictum, conducat, videndum erit. Si ab ebrietate remanſerit, forſan diluentia aquea, blande oleoſa, hydromellita, ut & vapores & fotus emollientes in uſum trahi poterunt.

Si relaxatio mali cauſam conſtituit, tunc (1) ad alia loca derivato affluxu (2) partibus debilitatis, debitum robur iis addendo, proſpiciendum eſt: his ſcopis neceſſaria §. 15. ſuppeditabit.

Si *heterogeneum* inter orbitam & oculum locatum, ſitum, ſive ipſius oculi, ſive lentis pervertit, ſui ablationem in genere indicat: in ſpecie vero ad-

Digitized by Google

variam heterogenei iſtius naturam attendendum erit. Si copioſius ſerum aut humor ſpiſſus glutinoſus in cellulis adipoſis pinguedinis orbitæ ſtagnat, præter ea, quæ §. 15. commendavimus, ad mercurialium uſum (*t*) recurrendum erit. Si tumor abſceſſum minitans ſive a cauſa externa ſive ab interna proveniens dictis in partibus adeſt, diſcuſſio ejus tum revellentibus, V. S. abundanti, regimineque diætetico exactiſſimo, tum topicis externis diſcutientibuſque erit tentanda. His vero malum non tollentibus, ſuppuratio maturantibus erit promovenda. Pus denique formatum per aperturam lanceola commodiſſimo in loco factam quantocyus, ne pars ſincera trahatur, evacuandum, ulcus mundificandum, & ex arte conſolidandum erit (*u*). Hæc tamen eo tantum in caſu locum habent, ubi prope extremum marginem orbitæ materia hæret, ſi longius remota eſt, vix curam admittit, ni caſus & fortuna remedium afferant. Quod & de oſſium orbitæ carie aut exoſtoſi valebit. Si vero heterogeneis his diſſipatis ſitus lentis perverſus una cum viſu duplicato remanet (ut in obſ. 11.) ſolis roborantibus pugnandum eſſe arbitror: his enim adhibitis tunicæ & muſculi oculorum ſeſe contrahentes prement lentem, eidemque, ſi fieri poteſt, ſitum naturalem reſtituent.

Si denique *cornea vulnerata* cum palpebra *coaluit*, malumque adhuc recens eſt, leni ſæpiuſque repetito oculi motu ſeparatio tentanda, & poſt ſeparationem etiam continuanda, donec vulnus ſit conſolidatum, ne novæ adhæſioni anſa præbeatur. Cavendum tamen à motu fortiore, ne inde vulnus diducatur, oculi partes magis lædantur, aut ſaltem conſolidatio impediatur. Si malum inveteratum eſt, dexteritati operatoris experti relinquendum, num diæreſis ſcalpello tentanda ſit, id quod tum adhæſionis magnitudo & modus, tum ægri temperamentum, tum reliquæ circumſtantiæ facile declarabunt.

§. XVII.

Iis denique in caſibus, ubi viſus duplicatus non niſi ſymptoma eſt, peculiari cura haud indiget, curato enim morbo primario curabitur & ſymptoma, ut in obſ. 1. 2. factum eſſe legimus: & ſi morbus ipſe eſt incurabilis, ſymptomatis forſan fruſtra cura tentetur. In viſu duplicato morientium mors ipſa mali optima erit cura &

FINIS.

(*t*) St. *Yves l. c. cap.* 20.
(*u*) St. *Yves l. c.* 19.

I. *Lens*

I.

L*Ens cryſtallina ad viſum abſolute neceſſaria non eſt.*

I I.

Primarium viſus organon in retina , non in choroidea quærendum eſt ; quidquid etiam Celeber. Mariottus *cum aſſeclis opponat.*

I I I.

Ut remediorum ſpecificorum claſſis in genere valde dubia eſt , ſic eos peccare non autumo , qui medicamentorum ſpecificorum ophthalmicorum exiſtentiam plane negant.

I V.

Myopiæ & presbyiæ vitia frequentiſſima , vel ab utero connata , vel ſtudio & vitæ genere acquiſita , & per vitra optica haud raro aucta , in eorum morborum numero ſunt , quæ curari non poſſunt.

V.

Cataracta nihil aliud eſt , niſi lentis cryſtallinæ opacitas , quæ impedit , quo minus radii lucis ad retinam pervenire poſſint.

V I.

Non expectanda eſt cataractæ maturitas , antequam operatio inſtituatur : ſed operatio locum habere poteſt , quam primum cataractæ ſigna prima indubitata adſunt , dummodo operatoris prudentis manum accedat.

V I I.

Scarificatorium Wolhouſii , *ni caute adhibeatur , plus mali quam boni præſtare poteſt.*

CAROLI

Digitized by Google

XXII.

CAROLI AUGUSTI A BERGEN

ET

J. CHRISTIANI WEISE,

DISPUTATIO

DE

NYCTALOPIA

SEU

CÆCITATE NOCTURNA.

Francof. ad Viadrum 3 Aug. 1754.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Abſolutis jampridem ſtudiis academicis, ea nuper mente ad almam Viadrinam acceſſi, ut honores doctorales capeſſerem, ſollicitus interea de edendo quodam ſpecimine percepi, immo vidi & legi, quendam ex nuperis Dominis Candidatis raram & ſpecioſam de Nyctalopia *materiam thematis inauguralis loco ventilaſſe, neque tamen hanc abſolviſſe, ſed ejus alteram ſpeciem, quam* cæcitatem nocturnam *vocant, intactam reliquiſſe. Quare animo mecum conſtitui, ſi meo arbitrio relictum foret, occaſionem ſpeciminis, quod & novitate & ſua non minus utilitate ſeſe commendat, non facile præterire, ſed inceptum anteceſſoris mei laborem ſtrenue continuare & ad finem perducere. Annuit huic meo propoſito gratioſa facultas, ſtimulos addidit Excell. D. Præſes, & hujus quicquid eſt laboris præmia me reportaturum confido, ſi benevoli Lectoris conſenſum, quod ſpero, promittere mihi poſſum. Rem itaque paucis adgredior.*

§. I.

SI quis, interdiu bene videt, & in cujus oculis ſedula inſpectione nullum palpabile & in ſenſus occurrens vitium detegimus, conqueritur, ſe veſperi debili gaudere viſu, noctu autem, quamvis ſtellæ coruſcent aut luna ſplendeat, nihil prorſus videre poſſe, eamque cæcitatem novæ auroræ adventu evaneſcere, ita, ut ſequenti die, quamdiu Phœbus medio vagatur olympo, æque bene remota & propinqua diſcernat & videat objecta, ut quiſque alius ſanus, labente autem nocte iterum cæcus ſit, is *Nyctalopia* ſeu cæcitate nocturna laborare dicitur.

§. II.

In etymologiam termini *νυκταλωπίας* inquirere ſuperſedeo, quia hoc factum eſſe video in præcedenti ſpecimine, conſentio enim, immo convictus ſum *νυκταλωπίας* vocabulum duplicem habere ſenſum, & denotare æque viſionem, ac cæcitatem nocturnam.

§. III.

Deſcriptio hujus morbi (§. I.) tam manifeſta prodit ſigna, ut vel ex his ſolis hic adfectus ab hominibus aliis viſionis vitiis diſcerni commode poſſit. Superſunt tamen quædam a quibuſdam ſcriptoribus commemorata ſigna & plura adhuc ſymptomata, quæ attentione quadam indigent, quare expedit recentiorum quorundam, qui hunc adfectum experti ſunt, hiſtorias hic paucis enarrare, & conſectarii loco ex his vera ſigna & cauſas eruere.

§. IV.

Inepta cæteroquin videtur quæſtio, quam movet *E. Ferdinandus* (*a*) an ſcilicet nyctalopia ſit adfectus morbus nec ne? cum, qui hac laborant, in cæteris ad ſanitatem tuendam neceſſariis functionibus non ægrotent; ſed cum morbi natura ex functionibus læſis definiatur, & nyctalopia nihil aliud ſit, quam actio viſus læſa nocturno tempore contingens; omnino hic adfectus morboſus eſt, & ad morbos viſus pertinet.

§. V.

Morbi vero a me nunquam viſi & obſervati ſymptomata & cauſſas non niſi ex hiſtoriis auctorum fide dignorum ſupplere poſſum, fide autem dignos judico, qui non ex aliorum relationibus, ſed ex propria experientia adfectum hunc litteris conſignarunt. Dum vero in his evolvendis occupor, ſingulari fortuna contigit D. Præſidi, quod in proprio vicu ſubditum invenerit juvenem hoc ipſo adfectu laborantem. Hujus adfectus hiſtoriam mihi benevole communicatam, præmiſſis aliorum fide dignis relationibus ſubnectam, imprimis quod lucem ad eruendam mali indolem fœneretur non contemnendam.

§. VI.

E. Ferdinandus l. c. ſequentem morbi deſcriptionem habet. *Joh. Rambazzus Meſſapienſis puber temperamento frigido donatus, præſertim circa caput ad humidum & frigidum vergens, derepente incidit in nyctalopiam, nam de die videbat, occidente vero ſole deterius, de nocte fere nihil, & hoc ſymptomate per quindecim dies laboraverat. In lumine lunæ nihil, in lumine lucernæ aliquantiſper videbat, & a propinquo hic puber dolorem habebat, in angulis internis oculorum cum gravitatis ſenſu, ſed de reliquo oculi bene habebant foris noctuque degebat in aëre humido, ubi paluſtres erant aquæ, circa principium octobris. Cauſſam ego puto eſſe aërem humidum & autumnalem. Curationis ergo juſſi, ut mutet ſolum & ad oppidum commigret. Panem dedi cum ſemine aniſi & fœniculi coctum. Potus erat decoctum ſaſſafras & ligni ſancti, motus ſit moderatus, ſomnus non nimius. Ira nihil nocet. Nam teſtor me octo obſervaſſe nyctalopas incipientes & pueros & ſenes, & omnes fuiſſe a me curatos præſcriptis remediis intra quadraginta dies.* Plura quidem auctor alia habet medicamina, ſed mihi tanti non viſa.

§. VII.

In Tranſactionibus Anglicanis no. 159. ſequens extat caſus. *Juvenis cæcitate nocturna corripiebatur, toto die æque perſpicax erat viſus ac ulli alteri homini, vicina,*

(*a*) Hiſtor. & caſus med. hiſt. 51. p. 156.

vicina, remota, & loco obſcuro æque acute videbat ac ullus alius, modo lucis diurnæ pauciſſimi radii ſupereſſent, verum ſub occaſum ſolis incipiebat æger nebulas videre, & quo plus ſol ad horizontem declinabat, eo nebulæ increſcebant, & tandem ſole abſente plane nihil videbat. Ad lumen lunæ & candelarum non videbat, & pupilla ad hæc lumina immobilis manebat.

§. VIII.

D. G. E. Hermannus (*b*) adfectus hiſtoriam, ſequentibus, verbis conſignavit. *In pago Popovo circa finem præteriti Julii menſis, calore ſolis exiſtente maximo, permulti ruſtici homines utriuſque ſexus & cujuſvis ætatis, qui greges paſcebant, agrum colebant, vel fruges metebant, verbo, qui ſub dio verſabantur, uſque ad horam quartam vel quintam pomeridianam bene & accurate videbant, poſtea vero viſum confundi & imminui percipiebant, ſubſecuta cæcitate, ita ut ſi non ſtatim peterent domum, ſine alterius adminiculo vix viam invenire valerent. Duravit hoc ſymptoma per totam noctem & circa diluculum poſt ſomnum evaneſcebat, cum plenaria viſus reſtitutione. Nullus quando invadebat caligo aderat, dolor capitis aut alii adfectus, ſed aliqualem perſentiebant capitis imbecillitatem, nullum externum in oculis vitium. Circa Auguſti finem remittente ſolis æſtu deſiit hæc nyctalopia, & omnes qui ea laborabant, priſtinum viſum recuperabant, ſine ullo alio ſanitatis detrimento. Cauſſam ponit* auctor *in craſſamento ſanguinis, a victu duro & ſolis calore craſſioris facti, & ad caput ruentis, thalamos nervorum opticorum comprimentis & periodicam amauroſin inducentis. Cardo curationis* ipſi *conſiſtit in humorum congeſtorum revulſione, eorum correctione, blandaque per alvum evacuatione & fibrarum debilium corroboratione. Paucis quibus dedit medicamenta, profuere laxantia, ſubjuncto pulveris uſu, qui apud* Lentilium *Eteodrom. pag.* 1292. *extat. Plurimi ſine remediis convaluere.*

§. IX.

Celeberrimus *Kramerus* (*c*) ſequentia notatu digna habet. *Dieſer Zuſtand kommt niemanden, als alten und in ſchlechter Koſt lebenden Leuten, mithin auch den gemeinen alten Soldaten. Iſt hauptſächlich zu erkennen, daſs ſich ſolcher Leute* pupilla *nicht ſo unbeſtändig, und immer mit Zuſammenziehen und Aufthun bewege, als wie bey geſunden Augen, ja die* Pupilla *iſt auch bey hellem Tage-Licht mehr eröffnet, als wie bey andern geſunden Augen. Aus dieſen Zeichen iſt zu ſchlieſſen, daſs ihnen viel mehr Licht zum ſehen nöthig iſt. Weil aber bey der Dämmerung und Nacht nicht ſo viel Licht iſt, ſo können ſie gar nicht ſehen, und eben daher müſſen ihre* humores oculorum *von ihrer* pelluciditæt *nachlaſſen, und vielleicht gar ihre* tunicæ retinæ varicoſæ *ſeyn. Dieſer Zu-*

(*b*) Primit. Phyſ. med. Pol. Vol. I. Leſnæ pag. 236.
(*c*) In medicina caſtrenſi. p. 92.

ſtand iſt ſchwer zu curiren, braucht lauter gute Biſslein zum Eſſen, und was geiſtreiches ſubtiliſirendes zu trincken. Ex pharmacopoea *wird* rad. valerianæ *in* pulvere *und* eſſ. *gelobt, ich aber recommendire die* herbam herniariæ vulg. mille grana *in* pulv. *und auch im Thee täglich* 3 - 4 *Wochen durch.* Ruta *iſt auch gut, vornemlich laſſe die zwei Kräuter friſch auf Butter-Brodt gebrauchen.*

§. X.

In litteris Jeſuitarum, quas *Lettres édifiantes* (*d*) vocant graphice deſcribitur à V. P. d'*Entrecolle* idem adfectus in China obſervatus. *La nictalopie eſt une maladie plus commune à la Chine qu'en Europe, & c'eſt une affection vicieuſe des yeux, qui fait qu'on voit bien le jour, qu'on voit moins bien le ſoir, & que la nuit on ne voit rien du tout: ki mung yen, eſt le nom, que les Chinois donnent à cette incommodité. Ces trois caractères ſignifient, yeux ſujets comme ceux des poules à s'obſcurcir. Celui qui eſt afligé de ce mal, a les yeux bien ouverts, & ne voit rien, il va à tatons dans les lieux, où il eſt le plus accoutumé à marcher, il ne ſent aux yeux ni inflammation, ni chaleur, ni le moindre picotement: qu'il ſoit placé durant le jour dans un lieu ténebreux, il voit fort bien à la plus petite lueur. La nuit étant venuë, ſon accès le prend, qu'on lui préſente une bougie allumée, il n'apperçoit dans la chambre aucun objet éclairé, pas même la bougie; & au lieu de la lumiere il entrevoit comme un gros globe de feu noiratre ſans aucun éclat. Si l'œil s'obſcurcit peu à peu, & par degrès à meſure que la nuit approche, ce n'eſt pas de la même maniere, ni ſucceſſivement, qu'il s'éclaircit, & c'eſt ce qui conſole le malade, car il ſait, qu'il aura le lendemain la vuë très ſaine juſqu'au coucher du ſoleil. J'ai connu un Chinois, qui a eu pendant un mois cette maladie: il m'a avoüé, qu'il avoit été attaqué ſur le ſoir de ce mal après s'être livré à des violens accès de colere, & qu'après ſa gueriſon s'étant encore abandonné à des pareils emportements, le même mal le reprit, dont il ſe guerit de nouveau par le même remede: voici le remede. Prenez le ſoye d'un mouton ou d'une brebis, qui ait la tête noire; coupez le avec un couteau de bambou, ou de bois dur, otez en les nerfs, les pellicules & les filaments, puis enveloppez le d'une feuille de nenuphar (la nymphée) après l'avoir ſaupoudrée d'un peu de bon ſalpetre. Enfin mettez le tout dans un pot ſur le feu, & faites le cuire lentement. Remuez le ſouvent pendant qu'il cuit, ayant ſur la tête un grand linge, qui pende juſqu'à terre, afin que la fumée de la coction ne ſe diſſipe point, & que vous la receviez toute entiere. Par cette fumée vous vous trouverez gueri, de ſorte que le ſoir même vous ceſſerez d'éprouver cet accident. Il y en a qui tiennent encore comme inutile, d'avoir égard à la couleur de la laine du mouton.*

§. XI.

Ruſticus iſte juvenis (§. 5.) nutu Dni. Præſidis comparere juſſus ſequen-

(*d*) Recueil. XXIV. p. 434.

quentia depoſuit, ſe eſſe ætatis viginti trium annorum, a quatuor jam annis laborare cæcitate nocturna, in cæteris functionibus valere & ſanum eſſe, ſe nullam originis mali cauſſam noſſe, niſi quod ruſtici exiſtiment, hoc ipſum à potu aquæ ranarum ſpermate contaminatæ, cui forſan indulſerit, provenire. Ad quæſtionem: Quando invadit quandove remittit morbus? reſpondit, ſe ſub occaſu ſolis nebulas videre, & viſum de momento in momentum debilitari, donec elapſa hora dimidia poſt occaſum non amplius videat, nec objecta a luce reflexa illuminata diſtinguat, mane vero, non ſimul & ſemel, ſed gradatim viſum recuperare, quin imo ſemihorio ante ortum ſolis perfecte omnia cernere & diſtinguere. An lunam ſplendentem vel lumen candelæ adpoſitæ videat? quæſitus regerit, ſe utrumque ſic ſatis diſtincte, nulla autem objecta a luna aut candela in camera illuminata, multo minus ſtellas unquam videre poſſe. Sponte porro confeſſus eſt, adfectum annorum ſerie pertinaciorem fieri, primiſque annis liberum ſe prorſus fuiſſe hieme, redeunte duntaxat malo circa ver, & durante per æſtatem ac autumni partem, proxime vero elapſa hieme ſeſe amplius immunem non fuiſſe. Adfert porro, cum ante quatuor annos per menſem & ultra conflictaverit hac cæcitate, ſe ſuaſu aniculæ hepar bovinum coctum comediſſe, ejuſque vaporem calidum oculis excepiſſe, eo cum levamine, ut poſthac fere per annum integrum immunis vixerit, ſubſequente anno eodem ſe malo correptum repetiiſſe remedium cum ſalutari per ſex menſes effectu, currente vero anno noviter laborantem ad eandem bis medicinam confugiſſe, non alio effectu, quam quod per unicum menſem liberatus fuerit. Sibi quoque videri, ſe ſerena tempeſtate magis eſſe νυκταλωπα, quam nubila, & ſemper obſervaſſe, emendato per hepar bovinum malo, pupillas oculorum ſpeculo obverſas interdiu eſſe minores, quam eo tempore ubi cæcitate nocturna laborat. Dominus Præſes oculos ægri ſub vario ſitu ad lucem & ad umbram ſedulo inſpiciens, nihil præternaturale obſervavit, oculi ſunt glauci nitore naturali gaudentes, motus iridis in conſtringenda & amplificanda pupilla pro quantitate luminis admiſſi, perfecte eſt ut in hominibus ſanis. Pater adoleſcentis cæteroquin narrat, ejus novercam ante aliquot annos nyctalopia correptam fuiſſe, quæ tamen ſponte evanuit.

§. XII.

Ex his vero hiſtoriis fide dignis (§. 6. 11.) ſigna, ſymptomata, cauſſas, prognoſin, & therapiam hujus adfectus, quantum vires permittunt eruere conabor. *Cel. Kramerus* l. c. vult, tales νυκταλωπας non adeo ſenſibili iridis motu conſtrictorio & dilatatorio gaudere, ſed ipſorum pupillas grandiores ſemper eſſe, quam in aliis nulli oculorum vitio ſubjectis. Idem teſtatur *G. E. Hermannus* (§. 8.) qui aſſerit ſe in quibuſdam pupillæ dilatationem obſervaſſe. Nuperrimus vero Dni. Præſidis caſus (§. 11.) hanc limi-

limitationem addit, pupillam interdiu nyctalopibus majorem, eſſe quidem quam ſanis, ſed ad lumen & umbram perfecte moveri, e contra de nocte ad lumen candelæ vel lunæ majorem, & magis immobilem eſſe, ut proin contrariis teſtimoniis cel. Virorum *Plateri*, (*e*) *Bergeri*, (*f*) *Boerhavii*, (*g*) fidem vix adhibere poſſim, non quod his viris alias graviſſimis in aliis fidem denegem rebus, ſed quod exiſtimem, hos viros ex aliorum relationibus, non ex propria experientia de hoc adfectu ſcripſiſſe, nullus enim horum meminit ſe vidiſſe & tractaſſe hos patientes. Neque Dom. Præſes pupillas ſui patientis, quas circa meridiem inſpexit, aliter ac in ſanis deprehendit, multo minus inſuetam aliquam immobilitatem ad luminis ingreſſum, ut vult *Boerhavius*. Pupillæ itaque dilatatio præſente adfectu de nocte non amplius ut opinor inter ambigua hujus adfectus ſigna collocanda, & cæteroquin tanti momenti eſt, ut lucem aliquam fœnerari poſſit in cauſſarum ſcrutinio.

§. XIII.

Plura ab auctoribus commemorantur ſymptomata, hunc adfectum concomitantia, quæ paucis enarrabo. *Foreſtus* (*h*) ad ſigna hujus adfectus gravitatem in capite & ſimiliter circa radicem oculorum refert, quod ipſum quodammodo comprobat *Hermannus* loc. c. (§. 8.) qui de ſuis teſtatur Polonis, ipſos aliqualem perſentiſſe capitis imbecillitatem. *Epiph. Ferdinandus* l. c. non ſolum gravitatis, ſed & doloris in angulis internis oculorum meminit. De nebulis ſole occiduo apparentibus præter obſervationem ex *Tranſactionibus* (§. 7.) relatio Domini Præſidis (§. 11.) quoque teſtatur. Caſus in China obſervatus (§. 10.) hæc omnia negat, probatque nihil horum eſſe, ſed cum unius ejuſdem morbi indefiniti gradus eſſe poſſint, facile eſt, has omnes relationes ſymptomatum gradibus admiſſis invicem conciliare.

§. XIV.

Non major difficultas naſcitur, ſi & alia phænomena ab auctoribus notata, diverſo contigiſſe gradu obſervamus. *Epiph. Ferdinandus* (§ 6.) declarat, iſtiuſmodi νυκταλωπας ad lumen lucernæ aliquantiſper vidiſſe. Jeſuitarum litteræ (§. 10.) globum igneum nigreſcentem loco flammæ candelæ viſum commemorant, & ex confitente ægro Domini Præſidis (§. 11.) liquet ipſum paroxyſmo cæcitatis correptum ſplendentem lunam & appoſitæ candelæ lumen ſic ſatis bene diſtinxiſſe, cum e contra caſus in Anglia obſervatus (§. 7.) de abolito prorſus viſu, nec per candelam nec lunæ ſplendorem ſenſibili, loquatur. Hæc autem obſervata læſi viſus diverſitas, longe

(*e*) Praxis medica.
(*f*) Diſſert. de morb. ocul.
(*g*) Tractat. de morbis ocul. p. 161. edit. II.
(*h*) Obſervat. med. Libr. XI. obſerv. 38.

Digitized by Google

longe abeſt, ut contradictionem involvat, ut potius diverſos morbi gradus pro diverſitate ſubjectorum & intenſitate cauſſæ efficientis, magis magisque evincat.

§. XV.

Reliqua phænomena, quæ ex recenſitis caſibus (§. 6. 11.) & partim aliis inter legendum hiſtoriis animadverti, cum notatu digna ſint, præterire nefas duco. Dominus *Hermannus* (§. 8.) viſum των νυκταλωπων non accurate momento occultationis ſolis ſub horizonte, ſed aliquot horis ante occaſum perire ſcribit, quod ipſum quoque *Acta Anglicana* confirmant, & ex hiſtoria Chinenſis νυκταλωπος (§. 10.) patet viſum non ſenſim & ſucceſſive, ſed ſubito, finito ſomno, reſtitutum eſſe, contra in recenti Domini Præſidis caſu, viſum poſt occaſum ſolis perire, & ante ejus ortum reſtitui, utrumque vero non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive fieri, Ut adeo ex his omnibus clare conſequatur, tempus invadentis obcæcationis & reſtituti viſus ad eſſentialia morbi ſigna non quidem pertinere, licet ſolis ortus & occaſus multum conferat. *Foreſtus* l. c. in ſcholio expertus eſt, νυκταλωπας interdiu in novilunio magis accurate videre, quam in plenilunio.

§. XVI.

Ratione *ſubjecti*, *ætatis*, *decurſus*, *temporis anni*, *raritatis* & *frequentiæ* hujus morbi inter auctores æque non conſtat. *Ep. Ferdinandus* (§. 6.) homines temperamenti frigidi & humidi ceu ſubjecta hujus adfectus deſignat. *Avicenna* (*i*) nocturnam cæcitudinem accidere ſcribit plurimum oculos nigros & virides habentibus. *Chriſt. Joh. Langius* (*k*) vult lippis & mœrore confectis familiarem eſſe cæcitatem nocturnam, adeoque occaſionalem cauſſam a lacrymis derivat. Sed quam male hæc invicem cohæreant, ille demum noverit, qui ſedulo recenſitas obſervationes relegit & perpendit, qui enim frigidi & phlegmatici ſunt temperamenti, raro vel nunquam oculos nigros, ſed ut plurimum glaucos & cæſios obtinent & qui lippitudine laborant, tanto minus metuendum habent, quo magis ipſorum pupilla præternaturaliter conſtricta eſt. Et forſan *Hippocratis* ſententia (*l*) hos bonos fefellit auctores, qui ſigna ſuorum νυκταλώπων enarrans, oculos nigros in cenſum adfert, quod utique verum eſt, cum nyctalopia *Hippocratis* præſenti adfectui e diametro ſit oppoſita. Neque *Langii* teſtimonio multum fido, quum compertum habeam, pleroſque auctores de hoc morbo loqui ceu adfectu idiopathico, qui aliis oculorum morbis non ſupervenire ſolet.

§. XVII.

(*i*) Libr III. fen. 3. Tr. 4. c. 4.
(*k*) Oper. med. Tom. II. p. 110.
(*l*) Libr. Epid. Art. XXIV.

§. XVII.

Idem fere intellectum velim de congrua horum ægrotantium ætate, quæ enim *Epiph. Ferdinandus* l. c. de pueris & ſenibus, *Hermannus* l. c. de hominibus utriuſque ſexus & cujuſvis ætatis, *Kramerus* l. c. de ſolis ſenibus crudo victu utentibus & pauperibus hominibus, *Theod. Zwingerus* (*m*) de ſolis adultis ut ſubjectis hujus morbi narrant, ita comparata ſunt, ut ſepoſito auctoritatis præjudicio merito concludam, hunc adfectum omnem promiſcue ſexum omnemque ætatem corripere, immo pro generaliori ſui cauſſa quandoque in hoc vel illo loco populariter graſſari poſſe.

§. XVIII.

De anni tempore quod ſervat ex memoratis hiſtoriis (§. 6. 11.) conjicere licet, vere, æſtate & autumno frequentius graſſari, quam hieme; quod quippe recens caſus (§. 11.) comprobare videtur. In *Ephemerid. Nat. Carioſ.* (*n*) cæcitas nocturna deſcribitur, quæ per menſem lunarem Martium ægrum detinuit, æſtivæ nyctalopiæ mentionem facit *Hermannus* l. c. autumnalis *Epiph. Ferdinandus* l. c. & habitualis adfectus hiemem non excludit (§. 11.), licet hoc anni tempus omnium nimine huic morbo congruum ſit.

§. XIX.

Decurſum hic morbus plerumque videtur habere per menſem integrum, in vicinia Leſnæ (§. 8.) a fine Julii ad finem Auguſti graſſatus eſt, per menſem quoque ægrotavit Chinenſis iſte νυκταλωψ (§. 6.) *Ferdinandi* relatio de ægris loquitur partim intra quindecim, partim quadraginta dies curatis. Alia omnia docet recentiſſima Domini Præſidis obſervatio (§. 11.), qua conſtat, ægrum licet non uno tenore, ſed per recidivas jam in quartum annum hoc morbo conflictari, atque hunc caſum exceptionem a regula continere.

§. XX.

Nullus cæteroquin dubitaſſem, nyctalopiam morbis rarioribus adnumerare, cum obſervationes practicorum, quarum adeo indigens caterva proſtat, raro ejus mentionem faciant. *Scheidius* (*o*) nyctalopiam vocat adfectum rarum ac mirandum. *Theod. Zwingerus* l. c. ter duntaxat in praxi ſua obſervavit adfectum, & ipſe quoque Dominus Præſes confitetur, ſe nunquam antea,

(*m*) Pædoiatreia p. 143.
(*n*) Decur. I. Anno 3. obſerv. 243.
(*o*) De viſu vitiato Argentorat: 1677. p. 25.

antea, quam quidem hoc tempore ipſum obſervaſſe. Hoc non obſtante crediderim, frequentiorem longe eſſe adfectum, quam quidem vulgo creditur, primo enim noctis tempore, quæ ſomno & quieti datur, ægros detinet, cæteraſque principes ſanitatis functiones non turbat, unde moleſtiam patienter potius ferunt, quam conſilia expetunt, ſecundo celer morbi decurſus efficit, ut ægri, antequam ulteriorem eventum cunctando experiuntur, jam ſint reſtituti: tertio, morbus pauperum eſſe videtur, & vitæ hominum agreſtis, crudo victu utentium & inclementiæ aëris expoſitorum, qui telis aranearum rarior eſt in palatiis magnatum, & de quo pauperes æque ac de aliis morbis, ſoſtro parcendo ſolliciti, nou æque facile apud medicos conqueruntur.

§. XXI.

Accedo jam ad cauſſarum ſcrutinium, in quo evolvendo tanto accuratiori examine opus eſt, quo magis compertum eſt, auctores & circa hoc momentum in diverſiſſimas abire ſententias. Ut autem ordine procedam, primo dicam de prædiſponentibus & occaſionalibus, deinde de materialibus & formalibus hujus morbi cauſſis. Ad internas prædiſponentes multi referunt temperamentum frigidum & phlegmaticum, ætatem puberem, taleſque oculos, qui magni ſunt ac protuberant, quod, quo minus admittere poſſim, vetat cognitio hujus morbi ex ſuis ſignis (§. 12-17.), qui promiſcue omnis ætatis & ſexus homines adoritur, unde quoque cum *Epiph. Ferdinando* (§. 6.) aërem humidum & autumnalem pro tali cauſſa occaſionali non agnoſco, ſed contrariam potius cum Domino *Hermanno*, æſtum ſc. & calorem ſolis, atque ſic aërem ſiccum & calidum hic magis accuſo. Aliis ab auctoribus recenſitis cauſſis occaſionalibus pariter non multum tribuo, ut v. g. uſui loliacei panis, de quo *Schenkius* l. c. notat nyctalopiam ortam eſſe, in qua cauſſa aſſignanda facile fallacia non cauſſæ ut cauſſæ irrepſit, aut etiam defectui pinguedinis in quotidiano cibo, quale quid *W. Hoefferus* (*p*) tempore belli Suecici in pluribus militibus & incolis Sueviæ & Bavariæ propter annonæ penuriam obſervavit, & de cujus realitate inter *Hoechſtetterum* & *Horſtium* diſputatum eſt. (*q*) Ejuſdem valoris eſſe judico cauſſam nyctalopiæ a potu aquæ ſpermate ranarum contaminatæ (§. 11.), qui enim hoc ſperma cum aqua hauſtum hunc ſingularem habere poſſit effectum, ex nullis rationibus phyſicis perſpectum eſt. Similiter ira prægreſſa, cujus meminit Jeſuitæ obſervatio, non ſemper hujus adfectus cauſſam occaſionalem conſtituit, cum *Epiph. Ferdinandus* in ſuis ægris nyctalopicis hanc potius profuiſſe, quam nocuiſſe obſervaverit.

§. XXII.

(*p*) Hercul. med. Viennæ Auſtriæ 1657.
(*q*) Epiſt. l. III. p. 487.

§. XXII.

In aſſignanda cauſſa materiali non minus diſcrepant medici præteriti & recentioris ævi. *Aëtius* & cum eo cæteri Græci hujus adfectus cauſſam quærunt in ſpiritibus viſivis, præter naturam craſſis & ſpiſſis, quam veterum cauſſam *Langius* l. c. quoque amplectitur & tuetur, ſed adhuc ſub judice lis eſt, an tales ſpiritus viſivi revera exiſtant, & ſi exiſtunt, quare interdiu ſuo funguntur officio, & ab hoc feriantur de nocte. Veri magis ſpeciem habet, quod de craſſamento ſanguinis a victu duro & ſolis calore condenſati, ut cauſſa materiali adfert *Hermannus* (§. 8.), licet pro mea parte non conſentiam horum humorum decubitum ad thalamos nervorum opticorum fieri. *D. Antoine Maitre-Jean* (r) ſententia de cauſſa materiali adfectus in fibris retinæ tunicæ, vel nimis ſucculentis vel exſuccis & aridis redditis, quærenda, ita comparata eſt, ut quidem nodos, ſed non ſolide ſolvat, ipſiſque ſymptomatibus explicandis inſufficiens ſit.

§. XXIII.

Quod cauſſas formales attinet, non diffiteor difficile dictu eſſe, quænam pars oculi in cæcitate nocturna ſit adfecta. *Plempius*, *Platerus*, *Bergerus*, *Boerhavius* cauſſam formalem hujus adfectus quærunt in nimia pupillæ anguſtia, quam tamen opinionem veris morbi phænomenis & recenſitis caſibus (§. 6-11.) repugnantem merito rejicio, & jure magis audiendum eſſe exiſtimo D. *Fiſcherum* (s) qui cauſam formalem ponit in relaxatione paralytica & temporaria iridis. Adeſt enim pupillæ dilatatio præternaturalis, quæ ſpaſmodicam fibrarum radiatarum conſtrictionem ſupponit, quam a conſenſu & nexu cum choroidea tunica fieri exiſtimo, ut ſtatim pluribus demonſtrabo. Omni autem fundamenro deſtituuntur, quæ *Felix Platerus* (t) de paulatina obſcuratione cryſtallini, & *Kramerus* de humorum pelluciditate turbata & retina varicoſa facta, tanquam cauſſis formalibus nyctalopiæ litteris prodidere.

§. XXIV.

Sentio jam nunc mei officii eſſe, ut quid cauſſæ ſubſit in nyctalopia producenda, hic breviter exponam, & quidem non inficior dari cauſſas prædiſponentes ex crudo victu maxime arceſſendas, proſtant enim talia quæ

(r) Traité des Maladies des yeux. p. 462.
(s) Diſſ. de morbis ocul. Erfordiæ 1720.
(t) l. c. Tom. I. p. 193.

quæ crudum & ſpiſſum chylum generando alimenta, ſenſim & ſucceſſive quoque oculorum humores ad ſpiſſitudinem diſponunt, & aciem viſus infringunt, ut pluribus ſcriptores diætetici docent. Neque refragabor oculorum humores ſemel inſpiſſatos ſentiendi facultate privare organa recipiendis luminis radiis deſtinata. Multo minus negabo formales iſtas cauſſas, quæ tanquam ſigna in ſenſus occurrentia in hoc morbo ſe manifeſtant, quale verbi gratia pupillæ dilatatio eſt, ſed ideo tamen res altioris indaginis ſemper manet, quænam ſcilicet hujus morbi cauſſa proxima, quæve oculi pars primario & quoque per conſenſum laboret? Mihi ſi in his rebus dubiis conjectare duntaxat licet, videtur, non thalamos nervi optici, non nervos opticos, nec retinam tunicam opprimi quodam humore peregrino, ſed potius ipſius choroideæ tunicæ humores ab effectu craſſioris victus & injuriarum æſtus diurni quodammodo contaminari & ſpiſſeſcere, ut inde imminuta in viſu perceptio conſequatur. Quamvis enim Mariottani ſyſtematis aſſecla non ſim, qui viſus perceptionem non in retina, ſed in ſola choroidea ponit, tamen viſendi facultatem non ſoli retinæ tribuo cum recentioribus pleriſque, ſed exiſtimo hanc inſignem facultatem ex conſociata & conjuncta retinæ æque ac choroideæ actione naſci. Ex compreſſis enim fibris retinæ vel nervi optici plenaria ſequeretur cæcitas dies noctesque perennans, ut videmus in amauroſi, iſta itaque tunica choroidea humoribus craſſis ſtipata, fibras contrahit, & contractione ſua uveæ filamenta radiata, quæ choroideæ propagines videntur, in conſenſum rapit & pupillam durante paroxyſmo ampliorem reddit. Forte & inde naturalis choroideæ cum retina cohæſio intima paulliſper remittit & laxior fit contiguitas, quæ neceſſario obtuſum viſus ſenſum facit. Huic meæ ſententiæ favet, ſanguinis per victum craſſum contaminati effectus facilius poſſe penetrare in hoc pigmentum choroideæ, ex vaſculis ſanguineis conſtantis, quam in retinam ex ſurculis nerveis & fibris medulloſis formatam, in quas omnino ſanguinis immediata via & impulſus non datur, ſed multiplex ſubtiliorum humorum ſeries requiritur, antequam ſubtiliſſimus nervorum latex efformetur. Confiteor tamen, & hanc meam explicationem eſſe hypotheticam, neque omnibus nyctalopiæ ſymptomatis ſolvendis parem, nam ex mea & omnium reliquorum auctorum explicatione nondum patet ratio, cur nyctalopes interdiu bene vident, noctu vero cæcutiunt. Forte hic occultus & arcanus quidem nexus ac conſenſus inter lumen ſolis nunc occidentis nunc orientis, & partes oculum conſtituentes latet, quem explicare mortalibus hactenus conceſſum non eſt.

§. XXV.

Ad prognoſin me conferens primo quidem loco ex *Kramero* (§. 9.) didici, hunc adfectum curatu eſſe difficillimum ac magis ex diætæ & regiminis, quam pharmaciæ regulis & præſcriptis reſtituendum. Interim hoc ſuum enunciatum in ſtrictiſſimo ſenſu accipiendum non eſſe inde concludo, quod hic morbus in plurimis ſubjectis intra menſem ceſſaverit, immo ſponte citra exhibitionem medicamentorum curatus fuerit. Hanc ejus ergo admitterem prognoſin in ſubjectis annoſioribus & quibus hic adfectus mora temporis habitualis factus eſt, in junioribus autem & qui prima vice corripiuntur, non crediderim curatu difficilem fore, in primis medico, cui ſpecificum hujus morbi remedium cognitum eſt.

§. XXVI.

In curatione hujus mali ob defectum cognitionis plenariæ cauſſæ ejus, vix rationalis apud auctores proſtat therapia, ſed quidquid circa hoc argumentum litteris proditum eſt, vel concernit ſingulare aliquod ſpecificum, vel ingentem remediorum farraginem promiſcue commendatorum.

§. XXVII.

Quod momentoſum hujus morbi ſpecificum concernit, hepar eſt vel bovinum vel ovillum aut hircinum, in cujus remedii commendatione hoc ſingulare invenio, quod non ſolum antiquiſſimi uſus ſit, ſed etiam latiſſimi & propemodum recepti per omnes terrarum gentes & regiones. Non enim levis admirationis momentum eſt, quod æque Chinenſes ac Marchiæ noſtratis ruſtici hoc malo ſeſe liberare norunt, cum hac levi differentia, quod nunc hepar bovinum, nunc ovillum vel caprinum commendent. Contra alteram, prioris ſpeciminis, nyctalopiæ ſpeciem hepatis bovini uſum jam commendavit *Hippocrates* & *C. Celſus* (*u*) cæcitate nocturna laborantes inungi jubet *ſanguine jecinoris maxime hircini, ſin minus caprini, ubi id aſſum coquitur excepto: atque edi quoque ipſum jecur debet. P. Ægineta* l. c. hepar hircinum aſſatum laudat, & *ſaniem intra aſſandum collectam illinire, hepar ipſum edendum, & dum coquitur vaporem oculis excipiendum jubet. Oribaſius* (*x*) eadem ratione hepar caprinum commendat, quod etiam *Marcellus* (*y*) his verbis facit; *Jecur ovillum* i. e. *ovis candidæ diſcoctum cum aqua madefactum contritumque & oculis ſuperpoſitum nyctalopas purgat.* Inter recentioris ævi ſcriptores omnino non pauci ſunt, qui veterum veſtigiis inſiſtentes

(*u*) Libr. 6. c. 6. de re medica.
(*x*) Synopſeos libr. 8. vid. med. princ. poſt. *Hippocratem* p. m. 130.
(*y*) De medicamentis Lib. ibid. p. 279.

tes hepar caprinum vel etiam bovinum ſpecifice commendant. Ita enim *Foreſtus* ſcribit l. c. *ſimiliter hepar caprinum coquito obvelato capite & in ollam adverſo fumum oculis excipito, ipſum hepar edendum præbeto. A. Cnnenus* (z) duos caſus adfert nyctalopiæ ſeu cæcitatis nocturnæ per hepar bovinum curatæ, idem quoque remedium commendat *Antoine* l. c. & in duobus caſibus ſcilicet Chinenſi nyctalope (§. 10.) & ægro, cujus hiſtoriam Dnus Præſes (§. 11.) concinnavit, ſingularem hepatis virtutem non ſatis deprædicare poſſum. Unicus *Dominicus Panarolus* (a) ſcribit convaluiſſe quendam νυκταλώπα ſumendo aliquoties ante cibum hepar anguillæ aſſatum, & hoc remedio poſtea ex ſimili morbo cæcutientem ſeſe feliciter ſanaſſe.

§ XXXVIII.

Quod farraginem medicamentorum ad hunc adfectum præſcriptorum attinet, hanc breviter ordine chronologico recenſebo. *C. Celſus* l. c. præter hepar caprinum iis medicamentis non inutiliter uti docet, quæ vel cicatrices vel aſpritudinem extenuant: *Quidam* inquit *contrito ſemine portulacæ mel adjiciunt, eatenus, ne id ex ſpecillo deſtillet, eoque inungunt, utendum vero ſimul eſſe exercitationibus, balneo & fricationibus. P. Ægineta* l. c. curam adgreditur *evacuando ſanguinem de flexura cubiti, deinde purgando aut per clyſterem evacuando, mox pituitam per os detrahendo, & ſternutationes movendo, ante cibum hyſſopum aut rutam bibendam præbet, ſi vero non cedit ſtimulat purgante ex ſcammoneo & caſtoreo. Oculos illinit melle deſpumato & claudere jubet ad continendum liquorem. Oribaſius* l. c. ſimilia propemodum tradit circa medendi methodum, additque aſininum fimum exprimendum eſſe, eoque ſucco oculos inungendos. *Marcellus* præter hæc recenſita ſuperſtitioſum remedium, ſcilicet lychnitem lapidem, quem nos carbunculum dicimus, commendat, & cæcitate laborantibus ſecum geſtare ſuadet. *Epiph. Ferdinandus* l. c. inter alia remedia ligni ſaſſafras decoctum multum commendat, & *Gabelchoferus* (a) teſtatur pulvere ex ſemine fœniculi, aniſi & coriandri curaſſe nyctalopem. *Schenckius* l. c. remediis nyctalopiæ adnumerat cinerem ficulneum ex oleo illitum, & non ita pridem laudatus *Kramerus* l. c. præter radicem valerianæ, cujus alias virtus antepileptica a *Fabio Columna* aſſerta eſt, in pulvere & eſſentia præſcribendam, herniariæ & rutæ herbas tanquam egregii uſus commendat. Sed dubito medicum clinicum ex his omnibus commendatis remediis, quæ & virtute & operandi ratione mirum inter ſe differunt, multum ſolatii capturum eſſe. Rationalis curationis ſciagraphiam per indicationes primus tradidit laudatus *Hermannus* (§. 8.), perſuaſus enim ſum materialis

(z) Ephemer. N. C. ann. 3. obſ. 133.
(a) Jatrologiſm. ſeu Obſ. medic. pentec. 49.
(b) Obſ. cent. 4. cur. 49.

rialis cauſſæ conditionem in inſpiſſatis & condenſatis humoribus latere, effectumque famoſi hujus morbi ſpecifici, hepatis ſcilicet comeſti & inprimis ejus vaporis excepti, qui omnino virtutis emollientis, & reſolventis eſt, ex hac theoria explicari poſſe, licet inventio hujus ſpecifici a veteribus relata ſuperſtitione quadam nitatur, dum omnes teſtantur hepata caprina & ovilla non aliam ob cauſſam commendata fuiſſe, quam quod hæc animalia de nocte æque cernant ac interdiu. Tandem ex analogia concluderem, curam per electricitatem boni quidquam hic præſtituram eſſe.

FINIS.

CAROLI

Digitized by Google

XXIII.

CAROLI FRIDERICI KALTSCHMIED,

PROGRAMMA.

De nervis opticis in cadavere latis inventis a compreſſione per undas facta cauſa ante mortem ſubſecutæ guttæ ſerenæ.

Jenæ 8 Octob. 1752.

NOn ſolum in infantibus, ſed & adultis hydrocephalos produci praxis docet, & multæ apud auctores de his proſtant hiſtoriæ. Aſt, cum ſuturæ in adultis oſſa cranii firmius claudant, ab extravaſata lympha rarius ſe diſtendi patiuntur, unde cerebri compreſſio, ſecretionis ſpirituum turbatio & mors ex apoplexia ſuperveniens utplurimum evenit. Ejuſmodi caſum imprimis eam ob cauſam recenſere placet, quoniam nervorum opticorum in cadavere conditio rarior deprehenſa. Mulier ſeptuagenaria decem ante mortem annis ex petulantia juvenis fuſte in capite fortiter percuſſa, & remediis & naturæ robore vero levata, evidens inde damnum non ſtatim percepit. Poſt aliquot autem menſes capitis dolore gravativo, indies aucto, poſtea vero in atrociſſimum terminato, ita ut vix rationis uſus aliqualis ſupereſſet. Nec medicorum nec chirurgorum ope multum levata tantum non deſperavit. Sternutatione vero ſuborta ad libræ unius pondus lymphæ per nares emiſit,& inde levamen ſentit. Adhibitis poſtea cephalicis fere integrum per annum ab omni ſenſu triſti immunis. Eadem vero & ſymptomata & evacuatio poſt hæc aliquoties rediere. Anno mortem præcedente denuo cruciatibus capitis miſere vexata fluxum lymphæ per nares fruſtra exſpectavit. Oculorum vero acie primo, poſtea omni uſu deſtituta a me auxilium petiit. Oculis nihil præternaturale niſi pupillam dilatatam magis, commonſtrantibus guttam ſerenam adeſſe vidimus. Fruſtra vero omni remedio adhibito morti ſuccubuit ex apoplexia. Cultro hinc anatomico ſubjecta cranio aperto meninges aquarum mole elevabantur, iiſdemque perforatis libra earum una cum dimidia prorupit. Duræ matri firmiſſime arachnoidæa & pia mater in plurimis locis adhærebant, pia matre ex omnibus cerebri ſulcis vi aquarum ſub ipſa fluctuantium remota & elevata, plicas & ſacculos hinc inde conſtituente, in quorum cavitatibus itidem aquæ recluſæ, quibus emiſſis hinc inde tunicæ arachnoidææ partem poteramus ſeparare & commonſtrare, aquis mox inter tunicam arachnoidæam & duram, mox inter arachnoidæam & piam matrem hærentibus. Ventriculi cerebri aquis pellucidis repleti & corpus calloſum vix ſepti pel-

Digitized by Google

pellucidi craſſitiem referebat. Omnes ſinus æque ac reliqua vaſa ſanguine admodum turgida ac diſtenta, & plexus choroidæus uvæ inſtar & varicoſus curioſum exhibebat ſpectaculum. Quod vero maxime recenſeri meretur, eſt aqua circa nervos opticos collecta, ita, ut a thalamis nervorum opticorum ſacculi ad eam uſque partem nervorum opticorum hærerent, ubi illi contigui & quaſi coaliti conſpiciuntur. Sacculis a nervis opticis formatis inferius firmiter adhærebant nervi optici, neque rotundam, ſed uſque ad eam cranii partem, quam perforant, compreſſi & lati, apud me adhuc ſervati, calami ſcriptorii contriti & firmiter compreſſi figuram exhibuere. Compreſſi igitur ab aquis incumbentibus ſpirituum in ipſis motum & oculorum cerebro cum commercium intimius continuare non validi paralyſin tunicæ oculi retinæ & guttam in hac ægra ſerenam produxerunt.

F I N I S.

SAMUEL

Digitized by Google

XXIV.

SAMUEL. THEODORI QUELMALZ,

PROGRAMMA

DE

NARIUM EARUMQUE SEPTI INCURVATIONE.

Lipſiæ 15 Martii 1750.

Digitized by Google

Diverſo nares officio, & honorabili & magis obſcœno funguntur. Illo non leviter recreant animam, dum papillæ nervoſæ eæque copioſiſſimæ, à primo pari in earum cavitatibus tunicaque eas inveſtiente diſtributæ, ab atomis quibuslibet fragrantibus in atmoſphæra diſperſis, cumque aëre, inſpirationis actu eo adductis grate affectæ, olfactum excitant. Hoc vero ſanguinem tam univerſum, quam inprimis eum, qui pro liquido ſpirituoſo, in cerebri cortice ſegregando adducitur, adeo muco lentiori atque inhærente pituita excrementitia prius liberant, ut ſincerior poſt reſultans, uti reliquis, ita præcipue huic nobiliſſimæ ſecretioni rectius impendi, ſubtiliſſimumque humorem nervis proprium promtius dimittere queat. Nec tamen quod ædificiis interdum pretioſiſſimis artibuſque ſplendide olim exſtructis dedecori cedere ſolet, ubi ædiculæ requiſitis naturæ dicatæ ab earum parietibus prominent, in nares redundat, eminentiori parte faciei ceu pulchritudinis ſedis ſitas, quippe quæ venuſtati multum plerumque opitulantur. Cujus rationem quiſquis partium nares externas conſtituentium ſymmetriam, quam natura adeo in corpore animali condendo præ oculis habuit, ut nuſpiam ab ejus regulis receſſiſſe videatur, alleges, à ſcopo haud aberrabis. Scilicet quemadmodum univerſo externo corpori, maxima ex parte, non niſi duplicatæ partes in capite, collo, trunco, atque artubus, reſpectu magnitudinis, conformationis, ſitus, figuræ atque officii ſibi reſpondentes exactiſſime pulchriorem formam fœnerantur; ſic quæ nares componunt ex utroque latere conjunctæ, cum ſibi ubique ſimiles ſint, elegantiæ non mediocre addunt momentum. Quoties vero ab æquali hac ſua poſitione atque configuratione membra ac partes corporis receſſerint, toties non tàm formoſitati multum decedit, quod pedibus ſpinaque dorſi multum incurvata incedentes exemplo ſuo firmant, ſed ubi in vultum cadit iſtiuſmodi anomalia, ſi vel reliquum corpus elegantiſſime ſit ſtructum, illud tamen ſubturpe afferas. Præ aliis in naribus, ceu faciei parte magis apparente deformitatem, ſi quæ adſit, ocyus animadverti, neminem fugit, niſi oculorum acie prorſus deſtituatur. Alios tanta magnitudine organi hujus externi, inprimis ſpinæ ac dorſi eminentioris ceu gibboſi à nativitate eſſe præditos, ut vel inde naſutorum titulo jure ſuperbiant, alios contra nares tam depreſſas obtinuiſſe, ut vix dimidium naturalium æquent, alios iiſdem aduncis vel reſimis gaudere, quotidie experimur. Sunt autem multæ variæque cauſæ, quæ naribus inſidias ſtruere, easque tantum non evertere protinus ſolent. Quas inter non ſolum per partum difficilem, etſi rariſſime, facta earum preſſio, aut quævis ab ortu primo perque hæreditatem inducta à naturæ conſueto ordine recedens configuratio; ſed etiam externæ iis nonnunquam ſubaccidentes injuriæ locum quendam ſibi vindicant. Ob oſſium nares ſuſtinentium, interniſque cavitatibus earum affixorum magnam, inque ir-

Digitized by Google

ſantibus atque puerili ætate majorem teneritudinem, à lapſu, prono capite ac facie verſus corpora renitentia dura contingente his extantibus præ aliis faciei partibus adeo frequenter noxa inducitur, ut per omnem non raro vitam quam formæ bonum fragile ſit, teſtimonium edant evidentiſſimum. Ut nil de læſionibus externis violentis, de congelatione, ob frigus intenſius, quibus iiſdem damnum manifeſtum inductum ſæpe fuit, proferam, rem mihi tantum in præſenti cum earum curvatione eo penitius faciam, quo pauciora hoc de malo, licet crebriore, in ſcriptis chirurgorum medicorumque relatum legimus. Naribus equidem fulcrum firmum ſatis duo ipſis propria oſſa oblongoquadrata forma prædita, per ſic dictam harmoniam in medio cohærentia, ſuperiori extremitate cum oſſe frontis, beneficio tranſverſalis ſuturæ, a parte laterali cum apophyſi oſſis maxillaris, cui a naribus nomen factum, connectentia, præbent. Sed his neutiquam contenta natura, ut eo melius adverſus injurias externas firmetur validum ſatis ſeptum iis in medio ſuppoſuit. Quod etiam à parte anteriori atque inferiori reperiatur cartilagineum, reliqua tamen ſua expanſione oſſea lamina, ad quam efformandam plura ex vicinis oſſibus ſuum conferre comperimus, componitur. Nimirum non exiguam ei portionem interior oſſis ethmoidei apophyſis, plano oſſeo conſtans, cum eminentia interna oſſium narium eaque media conjuncta ſuppeditat, cujus margo inæqualis oſſis vomeris, partem ſepti poſteriorem conſtituentis ejuſque ſuperiorem, anteriorem, teneriorem que marginem adeo complectitur, ut hac deſcripta facie prius nominatam laminam ethmoidealem ſuſtinere videatur, margine interim inferiori hujus compoſiti oſſis ſeptum efformantis lineæ eminenti, ab apophyſi palatina oſſis maxillaris pariter ac ipſo oſſe palati nares verſus aſſurgenti inſerto, ambitu vero ejus anteriori cum cartilaginis majoris narium media parte, laminam ſatis conſpicuam efformante, coalito. Quod ſic compoſitum, nariumque cavum dividens planum membrana, quæ ob muci tenuis, ab arteriarum per eam diſtributarum ſanguine ſecretionem pituitaria audit, quæque magna ex parte ſpongioſa, nec parum craſſa, contextu celluloſo, glandulis, ductuliſque excretoriis paſſim referta eſt, obducitur. Ab his arteriis per illam copioſe diſtributis, atque utrinque per ſepti oſſei ſuperficiem ejuſque poros ſimul intrantibus hoc ipſum quoque ſuum nanciſcitur nutrimentum. Quantum vero, ut cætera, ſubtiliori anatomicæ ſepti perluſtrationi relinquenda hic omittam, hæc columna ſepti oſſei ad nares ſuffulciendas conferat, non raro tamen adeo inflectitur ut naturalem narium totiuſque faciei figuram multum alteret. Cujus mutati ſitus cauſæ multæ hinc inde producendæ in medium forent. Verum enim vero, poſthabitis violentis percuſſionibus externis, quæ paſſim conſpiciuntur, variiſque læſionibus, qualiſque à lapſu in lapidem anguloſum in pueritia accidente, oſſium horum depreſſio viro cuidam eximio induxerat adeo, ut, viam aëris per nares, per omnem vitam præcluſam deprehenderit, illius ſaltem vel in tranſitu memi-

miniſſe juvat, quæ in prima infantia ab indicis, aliuſve digiti immiſſione in alterutram ſolum narium cavitatem, ſeptum in alteram ſenſim premente prava ex conſuetudine accidit. Et quid de pulveris ſternutatorii acrioris ſæpe ac ſubadſtringentis, temporis ſucceſſu ſiccitatem duritiemve calloſam organo huic univerſo inducentis attractione cenſendum erit, qui cum dextræ manus digitis ut plurimum apprehendatur, in ejuſdem lateris narium cavum majori copia ſæpiſſime intruditur, ibique tam per excitatam irritationem ſeri affluxum largiorem cum membranæ internæ turgeſcentia, quam per illam à vaſorum finibus ac poris hinc tandem inductam contractionem rigiditatemque hanc oſſis ſuperficiem propemodum exarefactam relinquat. Aſt frequentiorem ſepti à naturali forma receſſionem cauſis deberi internis, extra dubitationis aleam eſt poſitum. Quæ non mala variolas, annis quibuſdam, malignitate majori ſtipatas, aut corpus pravis humoribus ſcatens invadentes inſequuntur? quæ uti non raro pulmoni ac pectori, ſic naribus, tenerioribuſque earum oſſibus ac partibus infeſtæ ſæpe exſtitere. Frequentiores putem obſervationes, qua à puellis pubertatis annos ingreſſis, ſub moliminibus moleſtiſſimis menſium eruptionem reſpicientibus, narium inde rubore externe perfuſis, interne interdum inflammationibus, exinde ſuppurationibus ac eroſionibus affectis deſumi p..unt, quam ut quis de aſſerti veritate jure dubitare queat. Veluti au em hæc incommoda in nonnullis per plures dies moras nectunt, ſic ſingulis menſibus atque tamdiu repetiiſſe viſa ſunt, donec negotium hoc, natur.: ad ductum ordinatum fuerit, in aliis malo fixiori atque extra hoc tempus permanente, vaſculorumque ſanguifluorum per ſeptum diſtributorum deſtructionem, non ſine partis cujuſdam ariditate ejuſque curvatione inducente. Enim vero ſanguine cæteriſque corporis ſuccis à naturali ſua blanditie, retentorum vitio, recedentibus, chloroſique atque cachexiæ in miſeris pandentibus portam, abſonum neutiquam videtur, hanc humorum labem haud aliter in nares derivari, atque in arte excitatos fonticulos, acriori ſero pureque ſemper irriguos, eoque nonnunquam totam vicinam regionem erodente animadvertimus. Quam ob rem nolim omnem derogare fidem quorundam de hæmorrhoidum cum polypoſa narium excreſcentia aliiſque harum affectionibus morbidis connexione, annotatis, quanquam in integra valetudine gaudentibus ſujectis eandem minus locum invenire largiar lubentiſſime. Utut namque haud exiguum utriſque partibus ſpatium intercedat, rectius tamen hodie de ſanguinis cæterorumque ex eo pendentium circuitu conſtat, quam ut phænomena difficiliora creditu primo intuitu viſa ſtatim infida, atque à vero plane abludentia venditare cogamur. Ut de cruoris ſuperflui per nares excretione, cum illis per alia loca aliaſque regiones à natura ſuſcipiendas crebro alternante, quippe qua acrioris ſimul admixti ſeu decubitui locuples ſubminiſtratur occaſio nil addam. Dari alios, qui ob ſeri inprimis viſcidi ex lautioribus aſſumtis alimentis, obque vitam quietam atque à laboribus alienam contractam abundantiam, denegata ſic ejus immi-

nutione decentique attenuatione perpetuo fere laborant coryza, ex veterum mente intemperantiæ man feſtum edentes ſignum, qui vero ex variis cauſis non raro eam experiuntur mutationem, ut ceſſante hac muci per nares excretione omnimodo tenuiſſimiſque vaſculis, tunicam pituitariam una cum ſepto oſſeo perreptantibus collapſis, tantum non cum humore ſuo coalitis laminam hanc oſſeam ſicciorem atque varie intortam obtinent, frequens experientia imo autopſia nos abunde convincit. Ultro vero cauſis ſepti narium incurvationem producentibus ſpongioſa illa corpora colore vario pallido, livido, ſub rubro prædita, ab initio molliora, mox duriora polyporum nomine venientia, ex intimis ſinulis latebriſque oſſeis ethmoideis, ſphenoideis, nec non ex ipſius pituitariæ tunicæ glandulis obſtructis enata annumerare fas eſt, quippe quæ, inſigne ſæpe augmentum capientia ſeptum noſtrum in alteram prementia ſucceſſive partem, organo toti flectendo aërique tranſitum pro reſpiratione præcludendo adeo paria inveniuntur, ut tandem miſeri non niſi aperto ore incedere, dormire, imo cum ſæpenumero verſus palatum ac fauces retrorſum extendantur, ſuffocationis periculum, una cum olfactus atque loquelæ articulatæ damno ſubire teneantur, molem quandoque nefandam, proboſcidis infame ſimulacrum, ex narium cavo prominens non ſine maximo tædio circumferentes. Fallor autem ego, aut has inter acrimonia illa peculiaris, à venereo miaſmate per contagium communicata, quandoque à parentibus, vitio hæreditario, in prolem mature derivata, & ubi imprimis compages horum oſſium incrementi ſui nacta eſt terminum aperte ſe prodens principem tenet locum. Quæ nimirum diu ſatis in corporis vaſis cum humoribus oberrans, tandem in oſſium omnium tenerrimis his atque vicinis utplurimorum ſedem ſibi fixam parat. Jam uti in reliquorum oſſium carie inchoante vitium plerumque in perioſteo ejuſque inflammatione deliteſcit, hancque vaſorum ejus cum oſſibus intime combinatorum corruptio inſequitur adeo, ut illa ſucco nutritio orbata, eroſa, arida ac friabilia reſtitent, ſic non aliter in vaſis ſanguifluis ſeptum hoc obducentis tunicæ radices agens illud relinquit rigidum, ut preſſo pede incurvetur, non raro plenaria ex eroſione cum narium deſidentia deteſtanda ſuperaccidente corruat. Quod præterea in aliis obtinet oſſibus, ut malum in unico eorum puncto aut regione niduletur, reliquis eorum partibus intactis, ſed in ſæpius nominatis oſſibus, narium cavum dividentibus, eo magis mirari ſubit, quo tenuius eſt, cum alteri ſæpe ſuperficiei inſidietur morboſa materia, altera præſtita integra. Minus memoratu dignum dixeris, quod oſſa hæc membrana ſua obtegente ſubinde neutiquam deſtituta compareant, potius in ea regionem ſaltem quandam, alieno colore præditam, pallidam maculam eamque interdum in alterutro ſolum latere in certis ſubjectis conſpicuam, altero eo naturali ubivis gaudente repræſentent. Quibus tamen non obſtantibus, hanc membranæ oſſiumque vaſis obortam affectionem, juncto tepore corpori proprio, ſepti ſitum, qui ipſi eſt perpendicularis, multum ſenſim permutare recurvatumque ſtitiſſe, in aprico eſt. Ego vero quoties hanc ejus incur-

curvationem ex allegata ratione oculis uſurpare mihi contigit, toties non potui non ſcriniariorum aliorumque opificum, qui aſſerculos pro opere ſuo conficiundo interdum inflexuri, alteram eorum ſuperficiem aqua humectare, alteram intactam calori temperato dextre admovere, hocque modo eoſdem pro lubitu fere, ac diverſimode inflectere norunt, toties inquam chartæ ſcriptura recens exarata madidæ fornaci calefacto admotæ in inſtanti ſinuatæ redditæ recordatus ſum. Eo ſaltem intercedente diſcrimine, ut quæ ſic ilico in corpore humano contra ea, ſenſim inducatur formæ mutatio. Nec proinde ſemel, ſed ſæpius tales obveniſſe memini, quibus imprudentibus facta contorſio ſepti prius haud innotuit, quam à me obſervata atque pronunciata fuit. Ea tamen propter ſpes me haud fefellit, fore ut medela rite applicata, carie inchoante deleta vaſiſque oſſi, quod naturæ opus eſſe non ſum neſcius, reſtitutis flexilitas quodammodo reddi digitique memini alteri parieti admoti ejuſque leniſſimæ preſſionis non vi, ſed ſæpe repetitæ beneficio, figura prior pauliſper reſtitui queat. Id quod non æque tunc proceſſiſſe ſum expertus, ubi tota ſepti lamina morbo utrinque penetrata, ipſaque pituitaria tunica prævia inflammatione ac ſuppuratione fuit peſſundata. Luculento indicio, vaſorum, per integram adhuc oſſis ſuperficiem, diſtributorum, ſanguiferorum ope, eroſæ portionis effoliationem novorumque eorundem progeniem redintegratam, quandoque in perfectiori modo peractam conſolidationem ſquammularum perpetuo regeneratarum proventum fuiſſe inſecutum. Quilibet, vel me tacente, intelligit, id quod hactenus de ſepti lamina ejuſque involucro membranaceo prolatum à me eſt, etiam de ejus cartilagine inferiori mobili, ceu nares diſtinguente interſepimento, oſſeo plano contermino aſſeri poſſe. Ut ut nimirum non nunquam eroſione deperdita prorſus cartilago hæc deprehendatur, ſæpius tamen ſolum retorqueri conſuevit. Verum enim vero, quæ eo notatu dignior mihi viſa fuit, quo minus quid literis de ea olim conſignatum legi, eſt ſepti hujus oſſei plenaria ſeceſſio ab apophyſi oſſis maxillaris naſali, ſulcoque ſuperiori oſſium palati, per omnem utriuſque eminentiæ tractum verſus alterutrum latus facta adeo, ut linearum nonnullarum diſtantiam crebro adæquet. Qua ſeparatione ſepti contingente, non poteſt non margine ſuo inferiori lateri ſolum decliviori utriuſque antea nominati oſſis inſiſtere, ſimulque tantum deſcendere, quantum allegatæ apophyſes ad altiorem ejus ſitum conferre poterant. Ipſemet teſtem ago autoptam viri XL. annos nati, athletici, diu antea caſtra venerea ſecuti, qui teneriori oſſium compage natura gaudens, morbo quanquam perfecte ſublato, ex hoc tamen tempore mobile ſiſtebat palatum, illud pro arbitrio jam demittens, jam ſonitu non abſimili quam qui ab elongatione digitorum ſuboritur, elevans huncque reciprocum motum, ſine incommodo ullo, ſerie non interrupta ſæpius repetens. Quæ res mihi ſuſpicionem haud vanam movit, juniora forte ſubjecta, quibus præ aliis mollior palatina oſſis maxillaris apophyſis, oſſaque palatina ipſa tenerrima conceſſa ſunt, quod ſceleta non raro confirmant, ubi ex cauſis in medium adductis ſeptum ab eminentibus lineis oſſeis

no-

nominatis fuerit ſejunctum, eandem palati præ ſe latura forte mobilitatem. Veniam me à lectoribus benevolis obtenturum confido, ſi phænomena talia ſæpius obvenire, expertus arbitrer, quam vulgo animadvertuntur. Quemadmodum vero univerſam oſſeam corporis compagem pro ſubjecti ætate, temperie, vitæ genere atque diæta admodum differre anatome nos convincit, ſic non minus progreſſus perpetuus ex molliori laxiorique ejuſdem conſiſtentia in ſolidum, ſolidiorem, magiſque rigidum nunquam non obtinet. Quidni vitia illa, quæ junioribus molliorique textura conſpicuis frequentius, quam ſenilibus, ſiccioribuſque corporibus infenſa reperiuntur, hæc intacta relinquant. Equidem iſtiuſmodi, à norma naturali recedentes ſepti nariumque conformationes æquo magis animo tolerandæ eſſent, ut ut multum pulchritudini detrahant, ſed quod inde in ſanitatem redundat damnum vel ea propter flocci pendendum haud eſſe opinor, cum vel ipſi reſpirationi, ceu vitali actioni non parum obſit. Ad quam exercendam cum os ſolum aëri tam in pulmones intranti, quam exeunti jam patere inveniatur, via per nares aut ex toto, aut ex parte tantum denegata mirum haud eſt, linguam ac fauces plus minus, non ſine moleſtia exſiccari, quin imo à polyporum verſus fauces ſe retro ſimul extendentium cauſa, præprimis noctu, intra dormiendum ſuffocationis metum incutere non inanem. Aërem præterea ex pectore egredientem pro loquela articulate formanda à narium cavo diverſimode modificari, tunc maxime cognoſcimus ubi tanta ſe ab alterata narium ſeptique configuratione ei opponunt obſtacula. Plura de impedita ſeri mucoſi ſecretione ſiccitateque hinc ob deſtructa vaſa, glandulaſque exſuccas deque nervorum papillis ac diſtributionibus hinc obrigeſcentibus proferre oriunda damna, ſuperſedeo, cum hæc ad olfactum aut plenarie deſtruendum, aut hebetandum paria ſint, noſque abunde de tantis beneficiis, quæ à partium integritate, deque tot malis, quæ ab adverſo earum ſtatu dependent, ut vix ex merito æſtimentur, convincant.

FINIS.

JOH.

Digitized by Google

XXV.

JOH. SALZMANN

ET

ERNESTI CHRISTIANI HONOLD,

DE

VERME NARIBUS EXCUSSO.

Argent. 30. Octob. 1721.

§. I.

ANtequam de verme noſtro in ſpecie agamus, quædam de vermibus in genere prælibare operæ pretium erit. Non vero onomatologiæ & definitioni inhærebimus, utpote quæ a multis qui ſchediaſmata de vermibus luci expoſuerunt, fuſe tractatæ ſunt. Dicta animalcula non ſolum in primis viis, nempe ventriculo & inteſtinis hoſpitari, ſed in omnibus corporis humani partibus, nulla fere excepta, haud raro reperiri, ſi quis perſuadere aliis vellet a pluribus naturæ myſtis jam actum ageret, & ſi quis omnes eornm ſpecies recenſere in ſe ſuſciperet, eum dies citius quam dicendi materia deſtitueret. Labore hoc defuncti pridem ſat multi ſunt antiquiſſimis temporibus, quibus allegandis ſuperſedemus. Inter recentiſſimos *Nicol. Andry tr. de gener. verm. in corp. hum. Dan. Clericus hiſt. lator. lumbr.* præter experientiam id probatum eunt. Maxime hic poſterior, qui in allegato tractatu mentionem injicit non ſolum vermium inteſtinalium cuivis notorum, nempe teretium, aſcaridum, & lumbrici lati ſeu tæniæ, verum etiam cerebri, oculorum, aurium, dentium, cordis, pulmonum, hepatis, lienis, umbilici aliorumque viſcerum tum in homine tum in brutis animalibus. Idem inter alia vermiculum affectum bovinum inducentem, & Arabibus cognitum, nec non vermiculos Americanos hominum pedibus moleſtos, ſirones item ſeu crinones, vermes cum urina excretos, vermes villoſos, nec non eum, quem Luſitani omao quaſi malum genium vocant, memorat. Quod autem ejuſmodi animalcula frequentiſſime in corpore noſtro hoſpitentur, patet inter alia ex eorum e variis locis & partibus excretione, atque eruptione nempe per os, alvum, veſicam urinariam, umbilicum, nares, &c. Quandoque inteſtina continua morſicatione tandem perforant, ſimul ac integumenta, atque ſic per vias ſibi paratas erumpunt, qualia exempla in Scnnert. prax. med. l. 3. p. 2. ſ. 1. c. 5. eph. germ. dec. 1. an. 1. obſ. 145. & 146. Foreſt. lib. 7. obſ. 35. Ut taceamus, aliquos eo progreſſos eſſe, ut ſibi aliiſque perſuadere non dubitarint, in omnibus puſtulis, tumoribus, abſceſſibus atque ulceribus vermes helcophagos dictos ſtabulari, adeoque mortem animatam eſſe. Qua opinione inducti *Chriſ. Langius* Athan. Kircherum ſecutus *Patholog. animatam & Aug. Hauptmannus epiſt. prælim. de viva mortis imagine* in lucem edidere (quæ ſcripta æque ac auctorum forſitan cerebra vermibus ſcatent) ac mortem naturalem minutiſſimum & fere inſenſibilem vermiculum linguæ inſidentem eſſe contendunt, neque inanem vanitatem eſſe, quod vulgo dicatur *der Tod ſitzt ihm auf der Zunge.* Sed miſſa verminoſa hac ſententia, miſſis etiam innumeris vermium ſpeciebus, caſum adoleſcentis 25. circiter annorum, qui totus quantus, cum in vivis adhuc eſſet, verminoſus erat, & menſe Julio Anni 1718. in noſocomium hujus urbis deportabatur, paucis recenſebimus.

 Huic

Huic per magnam corporis partem vermiculi alii majores, alii minores ſub cute cuniculos egere & tantum non totum conſumſere. Præ aliis in orbita oculi ſiniſtra plures pinguedinem atque muſculos adeo depaſti ſunt, ut bulbus fere nudus conſpiceretur, pariter in inguine ſiniſtro magna cutis & muſculorum portio, in poplite ſiniſtro eædem partes abſumtæ erant, horrendo & commiſeratione digniſſimo ſpectaculo. In cadavere poſt mortem aperto cunctiſque viſceribus nihil verminoſi deprehenſum. Unde non obſcure conjicitur, ejuſmodi inſecta vel eorum ovula poſtmodum excluſa ulceri neglecto communicata eſſe, atque ſenſim ſenſimque cuniculos ſub cute egiſſe. Præterea nihil certi ab eo, utpote viribus omnibus exhauſto,& a vermibus fere conſumto (*die Würmer hatten ihn bey lebendigem Leibe gefreſſen*) comperire licuit. Et iſta mors, qua miſer hic periit, animata jure meritoque nuncupatur.

§. I I.

Pauca etiam de vermium origine atque generatione in medium proferre ab inſtituto noſtro alienum non eſt, quæ maximis difficultatibus premitur, & cujus indagatio doctiſſimorum ingenia multum fatigavit. Veteres olim hæc & ſimilia inſecta e putredine ſeu ex materia vel pituita craſſa, viſcida & putreſcente caloris atque motus ope prognaſci arbitrati ſunt, inter quos *Joh. Baptiſt. Helmontius* paſſim in ſuis ſcriptis huic opinioni multum favet, inpr. *tr. de blaſ. hum. de ſextupl. digeſt. de flat. de tumul. peſt.* quæ opinio, ſi dicendum quod res eſt, non multum diſcrepat ab illa Epicureorum, qui omnia fortuito atomorum concurſu fieri voluerunt. Hoc ſuum aſſertum ſtabilire conantur variis experimentis, ſcilicet innumeros pulices arte procreari poſſe ex ſcobe corticum quercus urina hinc inde probe adſperſa, ut incolæ domus atque vicini deſerendarum ædium conſilio angantur. Nec non mel, cui immiſſus fuerit panis probe fermentatus, paulo poſt magna formicarum copia verminare. Item ranas haud raro de cœlo depluere, atque ſic vel in nube generari cum pluvia deciduas vel e pluviæ guttis cum ſicco terræ pulvere mixtis, uti *Ariſtoteles & Plinius* fabulati ſunt, quæ tamen *Oliger Jacobæus in obſ. de ranis* dudum refutavit. Pediculos etiam ex ſudore & materia capitis purulenta quotidie magno in numero procreari. Et quæ ſunt aliæ hujus commatis geneſes. Utut autem concipi vix poſſit, qua ratione numerus, figura, diſpoſitio partium ita conſtanter fiat, neque poſita hac generatione æquivoca plures productiones anomalæ & novæ contingant, placitum tamen hoc diu obtinuit, donec *Franciſcus Redi* aliique proſcripta generatione æquivoca univocam introduxere, contendentes, uti reliqua animalia cuncta, ita & vermiculos hoſce e ſeminio determinato præexiſtente anima ſua fœto ſeu ovulis generari, ita ut generatum cum generante eandem ſpeciem exhibeat. Probant hoc ſuum aſſertum experimentis hanc in rem factis, quæ præ aliis laudatus *Redi tr. de gener. inſect.* nobis exhibet. Experimen-

mentum hoc eſt: *Circa medium menſis Julii in lagenas quatuor orificii amplioris miſit ſerpentem unum, piſces aliquot fluviales anguillas Arni fluminis* 4 *& fruſtum lactantis vitulinæ, occluſiſque poſtea & optime obſignatis charta & funiculo orificiis: in alias autem lagenas tantundem prædictarum rerum immiſit orificiis non occluſis; nec multum temporis abiit, quin in lagenis, quarum orificia relicta erant aperta, piſces & carnes verminare inciperent, muſcis, cum liberet, intrantibus & exeuntibus. At in lagenis occluſis nullum unquam vermem natum vidit, utut non unus menſis abierit, ex quo cadavera immiſſa in eas erant; nonnunquam tamen foris in charta excrementorum aliquid vel etiam vermiculus ab eo inveniebatur, qui omni conatu & ſolicitudine id agebat, ut inventa aliqua rima intrare in lagenam & victum ſibi quærere poſſet, omnibus, quæ intus erant, jam putrefactis & corruptis.* Unde eſt ut *Nic. Andry tr. de verm. cap.*2. hoc Redi experimentum non ſemper ex voto ſuccedere pronunciet; ſi nempe inſectum quoddam intrandi viam invenerit. Narrat porro ingenioſus & curioſus Italus, *ſe ſæpius aliquot fruſta carnis ſub terra ſepeliviſſe, & humo optime obtexiſſe, quæ nullis unquam etiam poſt plurium ſeptimanarum in terra moram vermibus ſcatuerint, cum tamen carnes reliquæ omnes, in quibus muſcæ deſederant, maxima in copia vermes produxiſſent.* Hinc ergo concludit *impoſſibile eſſe aliquod corpus mortuum per ſe verminare, neque rebus putridis, qua putridis, ullum uſum alium adſcribendum eſſe, quam ut in generatione inſectorum ſolummodo locum vel nidum commodum præbeant, in quem ab animalibus, cum uendi tempus inſtat deferantur vermes, ovula vel quodcunque aliud vermium ſemen, quod prævia aliquali fermentatione in actum ducatur, qui vermes ſtatim ut nati ſunt, in hoc nido alimentum ſufficiens & nutritioni commodiſſimum inveniunt.* Addit idem, *neque caſeum nec lacticinium quicquam verminare, ſi eo loco ſervetur, ubi muſcis & culicibus aditus non datur, & contra ubi hæc animalcula eo perveniant, ut ſuper cibis requieſcant, paulo poſt verminationem ſequi.* Pergit, *id etiam obſervari a venatoribus in feris æſtivo tempore captis, nec non a macellariis & mulierculis, quæ ut carnes per æſtatem ab his ſordibus conſervent, in muſcarium illas recondunt, aut linteis mundis cooperiunt. Cum itaque nullus fere cibus aut potus in corpus aſſumatur, qui non ovula diverſi generis muſcarum & inſectorum in ſinu ſuo gerat, ita ubi nec ventriculus bene diſpoſitus eſt, nec reliqua viſcera officio ſuo funguntur, vermium generationi occaſionem præberi facile poteſt, præprimis ſi quis copioſe cibos ſaccharatos, mellitos & lacticinia ingurgitet, utpote quibus muſcæ magis inſidiari, eaque tanquam palato magis grata appetere ſolent.* Quæ omnia ſuo quoque calculo confirmat *Cl. Waldſchmidt* inſtit. med. lib. 2. c. 12. ita ſcribens; *vermes quod attinet, eundem hic a veteribus commiſſum notamus errorem, putantibus, vermes non ex ſemine, ſed neſcio quo ſterquilinio per generationem æquivocam produci, hoc enim falſum eſſe evidentiſſimis nobis probatum dedit experimentis Franciſc. Redi, cujus veſtigia prementes dicimus, omnes vermes ex ovulis inſectorum tanquam ex ſemine adjuvante calore putredinali & proportionato excludi, quæ*

cum alimentis præſertim ſaccharatis, lacticiniis aliiſque, quibus muſcæ inſidias ſtruunt, copioſiſſime ingeruntur, & poſtmodum in ventriculo & inteſtinis, imo in aliis etiam partibus ſolidis ad maturitatem promoventur. Hoc interim generationis æquivocæ patronis facile largimur, humorem pituitoſum, mucoſum atque putreſcentem locum atque nidum veluti vermium conſtituere, in quo facilius quam alibi excluduntur, adeoque eos non tam e materia putrida, quam in eadem generari.

§. III.

E dictis jam patet, pleriſque recentiorum perſuaſum eſſe, omnia animalia, ipſa etiam inſecta minima, quæ non ſolum in macrocoſmo ſed & microcoſmo exiſtunt, non ex materia heterogenea ſed præexiſtente ſemine ſeu ovulis natales ſuos ducere. Non deſunt tamen etiam, qui argumenta non contemnenda contra generationem hanc univocam militantia in medium proferunt. Uti id fecit *Eduard Tyſon diſſert. de lumbric. lat.* quæ extat *in act. Anglic.* 1683. *menſ. april.* & *Anton. Valliſnerius conſid.* & *exper. de verm. gener. in corp. hum.* Hujus objectiones præcipuæ ſunt (1) generationem æquivocam certo ſenſu admitti debere in inſectis, dum ex eruca chryſalis ſeu aurelia, ex hac papilio prodeat, qui ova erucam producentia ponit. Sic & ova a muſcis poſita, atque cibo & potui e. g. fructibus, herbis adhærentia per modum generationis univocæ lumbricos vel aſcarides generare non poſſe. Et hac ratione idem fere eſſe, ſive animalia ex putredine naſci credamus, ſive certum quoddam animalis genus ex ovis alius generis excludi afferamus. (2) Data etiam ovula cum cibis, aqua, (cui innumera ovula innatare cel. Leeuwenhoeck probatum it) aut aëre hauriri, vermes inde excluſos ſupereſſe atque adoleſcere non poſſe, quia locum natalem & cibum ſolitum mutare coguntur. Provocat ad experimentum factu facillimum, quo ejuſmodi mutatione in bombycibus aut aliis vermibus ſuſcepta brevi mortuos illos videbimus. (3) Vermes in nobis natos nunquam mutari in chryſalydes, aut nymphas, aut alia inſecta. (4) Tæniam ſeu lumbricum latum in microcoſmo univerſo neque in aquis, neque in terra, neque aere, viſum unquam eſſe, qui ergo fieri poſſit, ut ovula ejus e microcoſmo in macrocoſmum tranſeant; niſi inde aliquid inferre liceat, quod quibuſdam populis, nempe Armeniis, Syris, Arabibus lumbricus latus endemius ſit, uti annotatum legimus apud Theophr. Eres. hiſt. plant. libr. 4. Neque (5) probabile eſſe, eandem tæniam non modo in homine, ſed & cum homine generari, non ante lapſum, quia imperfectionis indicium hoc eſſet, non poſt eundem, quia nova creatio requireretur; (6) Ergo ſtatuendum tæniam certo ſenſu æquivoce ſeu ex ovulo ab animali diſſimili poſito generari. Quibus ſuppoſitis generationem æquivocam non quidem abſolutam, ſed reſpectivam, aliquem locum habere poſſe non obſcure intelligitur.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Sed mittimus vermes, qui in variis humani corporis partibus, frequentiſſime in inteſtinis reperiuntur, quia animus nobis eſt de verme naribus emuncto hic agere. Ante omnia autem obſervationes (quæ non modo in praxi, ſed & cauſis morborum inveſtigandis maximam utilitatem habent) ſeu caſus quoſdam de eodem præmittere inſtituti noſtri ratio poſtulat. Et primo quidem aliquas ab aliis factas in medium afferemus, unam vel alteram, quæ hic contigit, ſubjuncturi. *Barth. de Moor tr. de inſtaur. medic. libr.* 2. *p. m.* 132. recenſet caſum de virgine 28. annorum capitis dolore immani in anteriore ejus parte prope naſi radicem diu multumque vexata, quæ ab uſu pulveris ſternutatorii 2. vermes vivos figura 1. & 2. expreſſos excrevit, nihilominus poſt hunc partum de quodam formicationis in capite ſenſu conquerente, unde a præſcriptis anthelminticis aliquot alii exiere. Laudatus autor dolorum vehementiam cornubus prælongis & brachiis, velut ab oris lateribus in mucronem obliquum & acutiſſimum deſinentibus, adſcribit. Idem figuram eorum, qualis & nudo & microſcopio armato oculo apparuit *Tab.* 3. *fig.* 2. 3. & 4. delineari curavit. Sic & *Guil. Fabr. Hild. cent.* 1. *obſerv. Chir.* 8. ejuſmodi vermiculum per nares ejectum notat a puero diuturno capitis dolore antea laborante, cujus figuram l. c. exhibet. Idem de matrona illuſtri annotavit *Nic. Blegny Zod. med. Gall. ann.* 1. *April. obſ.* 3. Non minus *Tulpius lib.* 4. *obſ.* 12. hiſtoriam ſimilis inſecti medium digitum longi nobis reliquit, ac *Tab.* 7. *fig.* 3. exhibuit, pariter *Ant. de Pozzis in eph. germ. dec.* 1. *an.* 4. & 5. *obſ.* 37. de ruſtico, poſtquam ſub arbore dormiens cubuiſſet, per dimidium anni maniaco reddito, & erucam nigram longam & piloſam a Tabaci uncia integra aſſumta excernente reffert: Porro *Conr. Vict. Schneiderus de oſſ. cribriſ. p.* 440. ſimilia de ruſtici filia recenſet, quæ mente abalienata & maniaca facta poſt ejectionem vermis longi & hiſpidi ab hoc malo convaluit. Conf. *Th. Barthol. cent.* 2. *epiſt.* 74. *Borellus cent.* 3. *obſ. rar.* 45. notat ſe in multorum juvenum naribus vidiſſe vermes nigro capite, qui tanquam araneæ in poris latitent, & capita quandoque exerant. Sic & *Petr. Foreſtus. lib.* 21. *obſ.* 28. plura de vermibus e nare projectis habet. In *Eph. germ. dec.* 11. *ann.* 1. *obſ.* 99. nobis exhibetur excretio vermis hirudinis inſtar ſanguine turgentis hiſtoria, poſt & cum hæmorrhagia pertinaciſſima emuncti. Ubi & 4. vermes albicantes oblongos & minime hirſutos per nares excretos eſſe e Cl. Hardero refertur. Ibidem plures alii autores, qui hiſtorias de vermibus narium literis conſignarunt, prolixe allegantur, quo lectorem remittimus.

§. V.

Aliorum obſervationibus aliquas ſubjungere liceat, quæ hic Argentorati tum nobis tum aliis occurrere, viſu dignæ, quæ recitarentur. A. 1717. Anna

Anna Catharina Pfannerinn fœmina 49. annorum, quæ per 14. circiter annos in matrimonio vixerat, exquiſitiſſima cephalalgia corripiebatur, illam per anni ſpatium continuo affligente, maxime ubi radiis ſolaribus expoſita forſitan fuerat, ut & ubi poſt ſomnum ſatis tranquillum expergiſcebatur. Dolor in parte capitis anteriore ſeu fronte, ejuſque latere magis dextro quam ſiniſtro erat, adeo non multum ſe extendens, ut locum doloris pollice a ſe obtegi poſſe ægra diceret. Aderat ſimul notabilis in narium dextra pruritus, atque extraordinaria obſtructio ſeu ſiccitas, ut nihil prorſus muci ex illa unquam excerneretur, accedente frequenti ſternutatione, capitis obnubilatione, vertigine, & ſpaſmodica palpebræ dextræ conſtrictione; Expergefacta tetrum odorem ex ore exhalantem, reliquo tempore ructus acidos experiebatur. Ingraveſcentibus in dies hiſce ſymptomatibus, præ aliis cephalalgia & naris dextræ obſtructione, multis etiam remediis incaſſum adhibitis, doloris tandem impatiens nunc pulverem ſternutatorium, qui Schneebergæ parari ſolet, nunc ſpiritum vini, imo & aquam ſic dictam Reginæ Hungariæ plus una vice in nares aucta inſpiratione attrahebat, unde factum ut anno inſequente menſe Martio ab irritatione a dictis remediis facta frequentiſſima ſternutatione caput concuteretur, quam inſignis muci e narium dextra quantitas, & paulo poſt vermiculi excretio ſecuta eſt, cephalalgia & reliquis ſymptomatibus e veſtigio & quaſi ad miraculum evaneſcentibus. Animalculum, cum in lucem prodiret, in orbem ſeu globulum convolutum erat, mox vero in notabilem ſatis longitudinem ſeſe explicans expedite currebat. In capite ejus prominebant duo cornua non multum abſimilia illis, quæ in *Barth. de Moor* verme conſpiciuntur, polypodum alias erat, atque ex relatione ægræ Exc. Dn. Præſidi facta ultra 30 pedibus inſtructum, & coloris e fuſco flaveſcentis.

§. VI.

Similem fere emuncti vermis hiſtoriam mecum communicavit exper. Dn. D. *von Lindern*, hoſpes meus honoratiſſimus in virgine 24. annorum, quæ ſupra memoratis doloribus diu vexata, atque a pulveris ſternutatorii per jocum oblati uſu, indeque frequenti ſternutatione oborta, vermem erucæ ſpeciem præ ſe ferentem, atque per dorſi longitudinem fuſcum, ſed hinc inde punctis nigricantibus notatum in ventre dilute flavum excrevit. Hic caſus a precedente in eo differt, quod (1) dolorem maximum quandoque ad occiput exporrigi, mox vero ad priſtinum locum capitis nempe anteriorem redire ægra conqueſta fuerit, (2) e naribus mucus ſeu ſerum aliquoties effluxerit, (3) eadem a lacte calido in nares attracto levamen, a frigido vero incommodum ſenſerit, (4) dolorem pariter experta fuerit atrociorem ab attractis errhinis, aqua Regin. Hungar. aut epithematibus frigide applicitis, adeo ut mixtus involuntarius aliquoties ſupervenerit. Alium a prioribus non multum abſimilem caſum nobis retulit practicus

ticus hujus urbis in infante trimulo, qui poſt datum emeticum vermes primum vomitu rejecit, ſed cephalalgia non ceſſante ſternutatione ab odore florum oblatorum forte fortuna excitata, vermem qui longitudine ulnam dimidiam Argentoratenſem æquabat, triangularis magis quam rotundæ figuræ, & multis articulis inſtructum ſed mortuum e naribus excrevit. Sic quoque a chirurgo hujus urbis jurato accepimus, fœminæ honeſtæ anno 1718. poſt perpeſſas cephalalgias immanes atque vertiginem circa frontem maxime ſe exerentes idem contigiſſe, nempe dolores oborta coryza ſolutos eſſe, hac vero ceſſante & ſuperveniente narium ſiccitate rediiſſe, ab aſſum is etiam medicamentis plerisque, quæ in ejuſmodi doloribus commendari ſolent pejus habuiſſe ægram, donec tandem ab uſu pulveris ſternutatorii vermiculus, qualem icon fig. 3. exhibet, e narium alterutra exierit. Elapſo circiter menſe priſtinos dolores recurriſſe, ægramque poſt operationem pulveris ſternutatorii adhibiti ſecundum vermem, quem figura 4. ob oculos ponit, e nare extraxiſſe doloribus, & incommodis reliquis mox evaneſcentibus & hactenus non reverſis. Allegatis modo hiſtoriis plures addere poſſemus, verum quia tum ſymptomata, tum remedia horumque operandi modus eodem fere recidunt, aliis in medium proferendis ſuperſedemus.

§. VII.

Recenſitis obſervationibus inſtituti noſtri ratio poſtulat, quæſtiones aliquas ex illis formare, atque harum occaſione nonnulla ad earum dilucidationem facientia in medium proferre. Sit autem prima Quæſtio:

Ad quam vermium claſſem illi narium ſint referendi?

Multiplices dari in corpore humano vermium ſpecies ſupra jam verbo indigitavimus, hoc in loco paucis addimus, eorum, qui inteſtinorum incolæ eſſe ſolent, tres numero ſpecies eſſe. (1) Teretes, lumbricos κατ' ἐξοχὴν dictos ob ſimilitudinem, quam cum lumbricis terreſtribus habent: Græcis ἕλμινθες ϛρογγύλαι dicuntur, qui quandoque in ventriculum, inde in fauces vel nares aſcendunt. (2) Latos ἕλμινθας πλαλέιας, item cucurbitinos, quia eorum partes (quas Recentiorum induſtria totidem vermiculos catenatim ſibi adhærentes eſſe demonſtrat) cucurbitæ ſemen figura aliquatenus referunt, nec non tæniam, quia faſciæ vel redimiculo e corona pendenti fere ſimilis eſt, quæ nunc plana nunc pluribus annulis inſtructa exiſtit, & cujus ſecundum genus Platerus ſolium quaſi ſolitarium appellat, quæque ob longitudinem quandoque ſtupendam, a ventriculi pyloro, vel ſuperiore tenuium parte per totum fere inteſtinorum canalem exporrigitur. De quo *Adrian Spigelius elegantiſſimum tractatum* conſcripſit, & *Nicol. Andry* plura exempla allegat. (3) Vermiculos minutos in inteſtino recto communiter degentes, caſei vermibus non abſimiles, qui Græcis ἀσκαρίδες

ϱίδες ἕλμινθες vocantur, quique numero plures in glomerem ut plurimum uniti ſunt. Et hæ ſunt tres vermium in inteſtinis latentium ſpecies recentioribus, æque ac veteribus notiſſimæ. Præeer haſce notari merentur vermiculi ſubcutanei crinones, vel comedones, *Miteſſer* dicti, oculis grandioribus & cauda oblonga oculo armato apparentes, hi pruritum non levem ſub cute excitant, infanteſque macilentos reddunt. Ut taceamus multos alios, quorum mentionem §. 1. injecimus. De vermibus capitis, qui in genere encephali vocantur, præ aliis ſolliciti annotamus, alios in auribus, auriculares, alios in dentibus, dentarios laudato Andry dictos, iterum alios in naribus hoſpitari, qui ab eodem naſales non inepte appellantur. Noſtrum de quo agimus, naſalium, ſeu naſicolarum familiæ adſcribendum eſſe in propatulo eſt, quamvis enim non in ipſis naribus per longum tempus degerit, ejus tamen rudimenta per illas intrarunt, vermis adultus ex naribus exiit, inſuper loca narium vicina & in illas hiantia diu incoluit, de quo loco natali & hoſpitio Quæſt. 2. pluribus agetur. Ut autem propius ad quæſtionis nervum accedamus, dicere non dubitamus, vermem noſtrum ad erucarum potius quam vermium proprie ſic dictorum claſſem pertinere. Siquidem nullam prorſus convenientiam vel cum lumbricis, vel cum aſcaridibus, vel etiam cum tænia habent, & ſi characteriſticas erucarum notas accuratius examinabimus, de aſſerti noſtri veritate abunde cuilibet conſtabit. Eſt enim eruca, definientibus curioſis naturæ indagatoribus, vermis vulgo ſic dicti ſpecies, vel potius inſectum molle, apteron, diverſis plerumque coloribus conſpicuum, & pluribus inciſuris ſeu geniculis diſtinctum, duodecim vel quatuordecim nunc etiam pluribus pedibus inſtructum, oleja potiſſimum atque herbas depaſcens. Græcis κάμπαι ab undoſo & arcuato greſſu dicuntur, Germanis *Raupen Gras-oder Krautwürm*. Erucæ latinis, vel a rodendo, vel quod Apulejo placet, ab hærendo vocantur, quarum tot fere ſpecies reperiuntur quot diverſa plantarum genera, & tanta copia æſtate humida exiſtente, maxime cum humor reſederit, & poſt ſol acrior inuſſerit, arbores, plantas occupant, ut omnes illarum frondes conſumant, illæque totæ quantæ calvæ conſpiciantur. Uti etiam Deus extraordinariam ejuſmodi inſectorum copiam pœnæ loco Iſraëlitis miſit. vid. *Amos c. 4. v. 9.* unde & *Columella lib.* 10. de re ruſt. canit:

Nec ſolum teneras audens erodere frondes
Implicitus conchæ limax, hirſutaque campe.

Præcipuas earum differentias a qualitate, quantitate, loco, corporis partibus, generandi modo & opificio deſumtas recenſere hic velle longum nimis foret, prolixe illæ traduntur ab *Ulyſſ. Aldrovando lib. 2. de inſect. cap. 4. & Jonſton de inſect. lib. 2. c. 3.* Ut unius tantum mentionem faciamus, aliæ hirſutæ ſunt, aliæ vero glabræ, uti Bombyx & illa quæ ex albo &

flavo

flavo variegata eſt vinola Jonſtono dicta. Ex hirſutis aliæ denſioribus, aliæ rarioribus pilis inveſtiuntur, hi in faſciculos quaſi collecti pluribus in locis e corpore emergunt. His præmiſſis concludimus vermem fig. 3. & 4. expreſſum erucam eſſe πολύποδον, hirſutam, rarioris pili & forma externa proxime ad erucam Jacobæam Senecionem majorem depaſcentem, colore vero magis ad Echinum accedere, quæ utraque a laudato *Jonſtono l. c. p.* 3. deſcribitur & tab. 20. exhibetur. Ad eandem erucam Jacobæam & Echinum referri quoque debere illam, quæ ſupra §. 5. obſ. 1. & §. 6. obſ. 2. a nobis annotata eſt, non obſcure conjicere licet, niſi quod in prioris capite veluti cornua ſeu antennulæ prominuerint. Iidem vermes magnam quoque ſimilitudinem habent cum eruca braſſicæ folia depaſcente, cujus iconem *Mar. Sybilla Merian* in elegantiſſimo opere, quod *Erucarum ortus, alimentum & paradoxa metamorphoſis* inſcribitur *part.* 1. *tab.* 45. nobis exhibet, excepto quod noſtra fuſco magis, quam flaveſcente colore conſpicua fuerit. Non minus *Joh. Gœdartius de inſect.* erucam cum noſtra convenientem nr. 2. delineari curavit. Hiſce non multum ab ſimilis eſt vermis a *Fabr. Hildano* ſupra citato deſcriptus & icone expreſſus. Cui vero ſpeciei annumerandus ſit iſte *Barth. de Moor*, determinare vix audemus; eſt quippe prorſus ſingularis & extraordinariæ figuræ, & quoad figuram ſtructuramque externam neque cum eruca comparari poteſt.

§. VIII.

Examinata vermis noſtri familia ſecundo loco quæritur:

In quanam capitis parte eundem latuiſſe veroſimile ſit?

Plura dantur loca, in quibus hoſpitari per notabile temporis ſpatium poterat, utut negandum non ſit, alia magis, alia minus acceptum & conveniens hoſpitum illi largiri. Si in ſuprema narium parte inter ſuperiora oſſa ſpongioſa juxta ſeptum & ſub oſſe cribriformi eum latuiſſe quis velit, dicimus hunc locum vermi majori capiendo ſufficientem non videri; ampliorem illum eſſe, quem fauces aut potius ductus, quo mediante palatum poſterius cum naribus communicat, præbent, in quo tamen ob inſignem capacitatem non facile diu hærebit. Veritati etiam conſentaneum non videtur, ejuſmodi vermiculos vel in cerebro vel ſaltem in cranii baſi unquam extitiſſe. Nos quidem non latet, autopſiam anatomicam plus una vice ſimilia inſecta in variis capitis partibus internis demonſtraſſe, a quibus morbi peculiares & medicis, quam diu ægri in vivis erant, non cogniti exorti fuerint, uti *Th. Mouſet theatr. inſect. cap.* 30. memorat, affectum capitis in Germania olim & Hungaria frequentem fuiſſe, eoque affectos in phreneſin, maniam incidiſſe, inque iis, qui morbo hoc interierint poſt

mortem diſſectis vermiculum in cerebro inventum fuiſſe. Neque ignoramus ovium, caprarum, cervorumque capita quandoque vermibus obſideri, uti Avicenna ex Indorum relatione id jam annotavit. Notabilis quoque eſt hiſtoria referente *Sennerto prax. l. 1. c. 1. c. 18. quam Franc. Hildeshemius ſpicil. l. 1. recitat de quodam, qui vermes tredecim oblongos, lanuginoſos, vivos inſtar erucarum ſeu oniſcorum, quos auriculares vocant, in capite continuit, quique per fauces, nares & aures prodierunt.* Quicquid autem ſit, nullas nobis concipere poſſumus vias, per quas in nares deſcendere, vel inde excerni poſſint. Os enim ἠθμοειδὲς quod latini cribriforme vocant, multis quidem foraminulis pertuſum eſt, ſed undique etiam membrana ita obtectum, ut nihil liquoris, multo minus corpus ſolidum tranſire valeat. Præterea largimur rationi conſentaneum eſſe, dari meatus nondum ſatis cognitos, per quos humor ſeroſus in cerebro ſubinde collectus ſeorſim, vel in ſinus oſſium vel ad alias partes depluat, hoc ipſo tamen nobis perſuadere non poſſumus, vermem adultum notabilis magnitudinis e cerebro per eadem loca erumpere poſſe. Quantum conjectura aſſequi licet, veroſimilius videtur, ſinus ſeu cavitates oſſibus quibuſdam cranii inſculptas commodius vermium domicilium exiſtere. Idque plures ob rationes ſtabilitum imus (1) quippe locus hic eſt campus ampliſſimus, in quo ejuſmodi inſecta ex ovulis excludi, adoleſcere, & in notabilem molem augeri poſſunt. (2) Idem locus calore moderato fovetur, qui ovorum excluſioni aptiſſimus eſt. (3) Dicti ſinus plus minuſve materiæ mucoſæ, in quo vivere amant, intus alunt. (4) Nihil impedit, quo minus ſuſpicemur, eandem materiam nutritioni eorum inſerviendi aptam natam eſſe, niſi Valliſnerii ſupra p. 8. allegata objectio forſan obſtet. (5) Membrana dictos ſinus inveſtiens, quia muco quodam nunquam non obducta adeoque obtuſioris ſenſus eſt, idem ſuadere videtur, quia ſi exquiſiti ſenſus eſſet, immanes ab hoſpitis motu & vellicatione dolores ægra perſentiſceret, ut perferri vix poſſint. Jam ex anatomicis notum eſt, maxillam ſuperiorem os σφηνοειδὲς, quod latini cuneiforme vocant, nec non partem oſſis frontem inferiorem ejuſmodi ſinubus excavatam eſſe. Sinum oſſis ſphenoidei quod attinet, aditus ejus non adeo hiat, ac ille maxillæ ſuperioris, unde non ita frequenter vermes eum ſubire ſuſpicio eſt. Sinus maxillæ ſuperioris patulum quidem habet ingreſſum, quia tamen a latere ſitus eſt, inſpiratione attracta (ſi minus philoſophice loqui licet) non facile eo ſecedunt. Præterea ſedes doloris percepti arguit, dicta inſecta inibi non extitiſſe. Et ſi qui illic reperiuntur ex inteſtinis in ventriculum, inde per œſophagum ad fauces atque hunc ſinum deveniſſe arbitrandum eſt, de qua re §. ſeq. pluribus agemus. Frequentius vero contingere, ut ovulum in ſinum frontalem ſeſe inſinuet, ex ſequentibus probabile redditur (1) quod una cum aëre inſpirato abſque ulla fere determinationis mutatione recta, & ſecundo quaſi flumine eo deferri poſſint ovula, (2) quod frequenter herbis &

flo-

floribus inhæreant, adeoque illa odoratu ſeu aëre inſpirato facile attrahantur, (3) quod anguſtior hujus ſinus aditus ingreſſui obſtare non videatur, quia dicta ovula vel etiam vermiculos modo excluſos exiguæ molis eſſe quivis largitur, (4) quod ſedes doloris ante vermis excretionem in inferiore oſſis frontis parte, ſicque illo in loco fuerit, in quo idem os frontis ſinu excavatum eſſe ſolet. Dum autem hæc aſſerimus, vel in ſinu ſphenoideo vel in illo maxillæ ſuperioris quandoque ovula deferri non inficiamur.

§. IX.

Tertio loco quæritur:

Qua ratione vermes eo pervenerint, quomodo in dictis partibus prognati, & tamdiu latere potuerint?

Multiplices ſunt viæ, per quas ad dictos ſinus pervenire poſſunt, quarum aliæ longiores ſunt, & per ambages fiunt, aliæ vero breviores & recto tramite eo deducunt. Ut de illis primo loco aliquid dicamus, fuerunt qui non ſine probabilitate ſuſpicarentur, ovula inſectorum minima una cum chylo anguſtiſſima vaſculorum lacteorum oſcula intrare, atque inde ulterius ferri, & procul dubio ad maſſam ſanguineam pergere, cui opinioni favet *Guil. Muſgravius epiſt. de exper. circa liquor. ad vaſ. lact. tranſmiſſ.* quæ in *act. Anglic.* 1702. num. 275. extat, dum ita inquit: *qua amplitudine* (vaſorum lacteorum) *ſuppoſita nemini poſthac impoſſibile videbitur, ovula vel animalcula ipſa ejuſmodi vaſcula poſſe intrare, quod ſine dubio utrorumque nonnulla minora dantur illis craſſis indigo particulis, quas in decocto in vaſis lacteis conſpicuas ſuperius indigitavi.* Quamvis vero largiamur, dicta corpuſcula vaſa lactea intrare poſſe, hoc ipſo tamen non demonſtratur, ea quoque ad maſſam ſanguineam pervenire. Ipſa quippe hæc vaſa primi generis in glandulis meſenterii terminantur, & illa ſecundi generis minimis ſurculis ex iiſdem emergunt, quarum glandularum ſubſtantiam & porulos minimos iſta permeare poſſe vix concipitur. Nos quidem non latet, minima eſſe parvorum inſectorum ovula, tam parva autem illa eſſe, ut dicta loca tranſire valeant merito dubitamus. Poſito vero hæc argumenta à priori rem non ſatis evincere, à poſteriori illa evidentius comprobatur ex eo, quod ſi tranſirent ad maſſam ſanguineam, vermes in ea frequentiſſime reperirentur, quia multa cum cibo atque potu ad ventriculum deſcendunt, illud tamen contingere experientia non confirmat. Quod ſi vero & hoc largiamur, eadem in maſſam ſanguineam tranſire, concipi dein vix poteſt, qua ratione vel per ipſam membranam mucoſam, vel per ejus glandulas tranſcolentur, ſicque in oſſium ſinus perveniant. Hinc aliæ nobis quærendæ ſunt viæ, in quarum indagatione quidam illas probabiles

eſſe credunt, quibus ſæpe nominata inſecta ex inteſtinis in ventriculum, inde per œſophagum & fauces ad nares atque ſinus aſcendunt, qua de conjectura in Eph. Germ. Dec. II. ann. 1. obſ. 99. hæc annotata legimus: *locum generationis* (nempe vermium) *non ſemper unum eundemque eſſe verosſimile videtur; interdum enim, licet rarius, à partibus inferioribus utpote ventriculo &c. aſcendiſſe, perque palati foramina ſic in nares perrepſiſſe.* Neque autopſia huic aſſerto contraria eſt, utpote quæ docet, vermes in cadavere ſæpius ita altiora petere, uti Exc. Dn. Præſes plus una vice ejuſmodi inſectum partim in ſinu maxillæ ſuperioris exiſtens, partim vero extra illum prominens obſervavit. Quam ob cauſam id fiat dictu difficile eſt, cum hæc & ſimilia animalcula ab hoſpitio cadaveroſo alias non abhorreant, ſed potius in illo aliiſque locis, in quibus putredo dominatur, degere quam maxime ament. Utut autem ſit, nec hanc viam noſtris erucis conſuetam eſſe inde aliquatenus illuceſcit, quod vermes ex inteſtinis ita aſcendentes e lumbricorum familia ſint, adeoque erucis adſcribi nullatenus debeant; uti enim corpora animalium pro naturæ diverſitate, figura & ſpecie diverſa inſecta alunt, ita in homine vivo hanc partem hujus, aliam alius generis vermes in ſinu ſuo fovere obſervatur, unde in propatulo eſt, vermem narium ab illis inteſtinorum vel ventriculi ſpecie differre, adeoque noſtrum, de quibus agimus, in dictis partibus natales ſuos non habere. Neque veroſimile videtur, vermem in cerebro prognatum in nares ſive per os cribroſum, ſive per alias vias deſcendere poſſe, quemadmodum *Benivenius de abdit. rer. cauſ.* vult, uti etiam nihil e naribus cerebrum ſubire poſſe credimus.

§. X.

Nulla itaque alia via, quam brevior illa & recta reſtare videtur, qua ſemen vermium per nares poſt brevem decurſum in aliquem dictorum ſinuum progreditur, idque mediante aëris inſpiratione, quam attractionem vulgo dicunt, qua ovula ſeu ſemina vermium ſubtiliſſima & inſtar atomorum per aërem diſperſa & volitantia, in ipſa hac inſpiratione & valida aëris attractione, una cum aëre intimos narium receſſus ſubeunt, unde fit, ut vermes quandoque epidemii ſint, uti Raguſæ id obſervatum fuiſſe *Foreſt. lib.* 21. *ſchol.* 28. refert. Idem facile contingere poſſe inde patet (1) quod dicta ſeminia, uti aliis corporibus, ita & floribus fructibuſque copioſe adhæreant, ſicque cum aëre facile inſpirentur, (2) quod ſexus ſequior (quem hoc malo frequentius affectum eſſe quam maſculinum obſervationes docent) Floræ multum faveat & floribus in faſciculum collectis (*ein ſtrauß*) præprimis odore ſuavi & colore variegato ſe commendantibus maxime delectetur, quid ergo mirum, ſi una cum florum odore dicta ovula ad narium ſuperiora attrahat? Sic ab ocimi aliarumque herbarum cephalicarum odore vermem in capite generari, poſt diuturnos dolores

mor-

mortem ægro afferentem *Jac. Hollerius l. 1. de morb. intern. ſchol.* & *Conr. Geſner. lib. 5. hiſt. anim.* dudum aſſeruerunt. Quemadmodum vero vermes inteſtinales unius generis eduliis magis quam alterius delectantur, ita quoque alii vermiculi ſeu potius erucula frequentius huic quam illi plantæ inſident eamque depaſcuntur, unde non obſcure à quibuſdam colligitur, ſingulis plantis pariter ac animalibus peculiarem ſuum atque ſpecificum vermiculum eſſe, ſcilicet arborem, quæ cochinillam producit, ſuum inſectum, gallas etiam ſuum alere. Non minus aliam erucam eſulæ, aliam urticæ, aliam roſarum, pyri aliam, aliam pomi &c. hoſpitem ſimul ac hoſtem eſſe ſolere, uti obſervationes à Joh. Gœdartio aliiſque factæ id abunde loquuntur. Bombycem adultiorem nonniſi mori foliis veſci pueris notum eſt. Quibus addere liceat, quod malo aurantiæ infeſtum ſit peculiare quoddam inſectum ramis ejus in copia adhærens, atque cimicis formam externa ſpecie referens, Gallis *punaiſe* dictum, de quo vid. act. Acad. reg. ſcient. 1704. p. m. 60. De animalibus idem ſentiendum, e carne quippe humana alii vermiculi, ex alia alii prognaſcuntur. Qua experientia motus etiam Th. Mouſetus apum alias e taurina carne, quæ ipſi ταυρογενεῖς, alias e leonina gigni, quæ λεοντογενεῖς dicuntur, in theatr. inſect. ſtabilitum it. Neque tantum ovula, verum & animalcula ipſa, ſed minima floribus inſidentia quandoque cum particulis odoriferis attrahi veroſimile eſt, quæ quia parva ſunt, in ſinum oſſis frontis uſque tranſire poſſunt, nulla ſuæ præſentiæ indicia præbere ſolita, niſi ubi adoleverint, & majorem in molem excreverint. Dum autem contendimus, rudimenta inſectorum naribus plerumque attrahi, inficiari non volumus, animalcula minima atque viva interdum etiam per gramina exporrecti & dormientis os ſubire, inde per meatus retro palatum in faucibus exiſtentes atque in narium cavitatem hiantes ad ſinus ſupra recenſitos pergere, eadem ratione ac aures alioſque meatus ea ingredi annotatum legimus; id quod contigiſſe credimus ruſtico, cujus ſupra ex Eph. Germ. Dec. 1. ann. IV. & V. mentionem fecimus.

§. XI.

Quæſtio quarta:

An dentur certa vermium in dictis partibus latentium ſigna?

Cui reſpondemus apodictica & demonſtrativa vix dari, quamdiu in antro ſuo latet animalculum, ubi vero e latebris ſuis erupit atque cunctorum oculis ſe ſiſtit, omnibus, qui de ejus præſentia antea dubitaverant, ſcrupulus eximitur, quo intuitu etiam *Dan. Sennertus lib. 3. prax. part. 2. S. 1. cap. 5.* de vermibus inteſtinorum agens, horum excretionem pro certiſſimo ſigno venditat, dum ita loquitur: *ſi vermes per alvum excer-*

nun-

nuntur vel vomitu rejiciuntur, aliis ſignis opus non eſt. Sed diceret quiſ, quod, ubi vermis exiit, morbus uno momento ſublatus ſit, & tunc nullis utique ſignis medicum opus habere; quam ob rem inquirendum maxime eſſe in latentis inſecti indicia, quibus poſitis exitum ejus quovis modo promovere ars atque ſana ratio jubent. Ejus vero non alia habemus quam vel probabilia, quæ ſuſpicionem haud levem, nullam vero certitudinem medico præbent; vel aliis affectibus communia, quæ animum etiam dubium relinquunt, utrum nempe hic vel ille affectus indicetur, niſi contendere velis, certiorem reddi medicum, ſi ab adhibitis contra morbos congeneres remediis malum ſubſiſtat vel etiam intendatur. Verum ſigno, quod pathognomonicum vocant, & quo ſolo præſente morbum poni neceſſe eſt, in hoc uti in aliis affectibus bene multis deſtituimur, hinc modo nominatis contentos nos eſſe oportet. Inter quæ primum utique locum meretur cephalalgia, ſeu dolor capitis nunc tolerabilior, ſemper tamen tantus, ut ægro multum incommodi faceſſat; qui utplurimum in antica capitis ſede ſeu baſi frontis prope naſi radicem maxime ſentitur, quandoque etiam ad poſteriora vergens, in media cranii baſi vel circa latera furit, prout inquilinus in ſinu oſſis frontis vel ſphenoidei vel maxillæ ſuperioris degit, minore per totum caput diſperſo. Idem nunc mitior evadit & ægro ſatis tolerabilis, ſæpe vero intenditur, adeo ut æger in lipothymiam incidat, alius vertigine & capitis obnubilatione corripiatur, alius in deliria & maniam velut agatur, quando nimirum vermiculus vel à defectu nutrimenti vel ab aliis cauſis multum movetur. Sic & majorem in molem excreſcens vehementiorem dolorem excitat. Hic autem dolor non ab alia cauſa quam ab irritatione tunicæ mucoſæ, quæ interiores ſinuum parietes inveſtit, oriri videtur, dum ejuſmodi animalculum ſæpius rarius vellicat, pungit, mordet; imo & quando greſſus ſuos inſtituit, non poteſt non fieri, quin ſenſum quendam doloris ſeu, uti affectæ id exprimunt, formicationis, ac ſi formicæ per partem illam diſcurrerent, excitet, pari ratione ac in inteſtinis, quæ ejuſmodi hoſpites magno ſæpe numero alunt, contingere experimur. Unde etiam eſt, ut ab attractis errhinis dolor in quibuſdam auctus uti etiam à lacte frigido, cum e contrario in aliis à tepido mitigatus fuerit. Et hanc cephalalgiam in omni ſtatu p. n. quotieſcunque vermiculus in ſinubus hoſpitatur, præſto eſſe plures obſervationes palam faciunt. Signum nobis quoque præbet, quod capitis dolori conjuncta ſit narium vel obſtructio, quæ familiarior eſt & ſatis frequens, vel copioſa muci ex illis deſtillatio ſeu excretio, quæ rarior eſſe ſolet. Hæc vellicationi atque irritationi dictæ membranæ non immerito adſcribitur, à qua major ſanguinis arterioſi affluxus, atque inde dependens copioſior humoris ſecretio jure meritoque derivatur. Obſtructionem vero, quam frequentiorem eſſe modo diximus, pluribus cauſis acceptam referimus & (1) quidem conſtrictioni & contractioni membranæ à vellicatione excitata, quæ impedit, quo minus cæteris paribus ſecretio debito modo peragatur. Tum & (2) illi

cauſæ

cauſæ debetur, quod vermis potiorem muci partem in ſui nutrimentum convertat. (3) Silentio prætereundum non eſt, vermiculum orificium ſinus occupantem foramen quandoque obturare, & muco exitum præcludere. Eandem quoque cauſam agnoſcit copioſus ſalivæ in os confluxus, membranæ quippe oris communicant cum illis narium, unde harum vellicatio illis communicatur, easque ad ſimilem actionem facile irritat.

§. XII.

Præterea ægrum continuus affligit narium pruritus, ad quem aliquo modo mitigandum partes haſce perfricat vel digitum iis immittit. Quod ſignum verme in naribus ſtabulante explicatu facilius eſt, quam ſi in inteſtinis latet. Vix enim noſtro quidem judicio ſolida dari poteſt ratio, cur lumbricis inteſtina vellicantibus nares pruritu ſatis moleſto & fere continuo afficiantur. Noſtro vero in affectu cauſa in promptu eſt, hunc quippe ſenſum ſeu pruritum tum viciniæ loci, tum nervorum communioni, tum membranarum connexioni adſcribendum eſſe ſuſpicamur. Quod vero ſupra de cephalalgia pro circumſtantiarum varietate diverſa monuimus, de hoc etiam valere cenſendum eſt. Inſuper à doloribus febrem oriri neminem latere poteſt, qui in memoriam ſibi revocaverit, in aliis quoque morbis cum ſenſu ejuſmodi moleſto conjunctis motum talem in ſanguine concitatiorem produci, & cum dolor in noſtro caſu ſit extraordinarius, immanis, & fere intolerabilis, febris ita exacerbatur, ut deliria ſuperveniant; quæ inde quoque ortum ſuum trahere à vero alienum non eſt, quod dura mater cerebrum inveſtiens ſimul in conſenſum trahatur. Imo & pavores in ſomno præcipue in infantibus & conſtrictiones ſpaſmodicæ, nec non convulſiones quandoque accidunt propter conſenſum generis nervoſi, quod maxime irritatum multas ſimul partes concutit, pari ratione ac epilepſia vermibus inteſtinorum ſuos non raro natales debet. Porro explicatu facile eſt, cur ſternutatio frequens ægras concuſſerit, uti enim illa oriri ſolet à variis aſſumtis narium membranas irritantibus, quæ ideo medicamenta ſternutatoria dicuntur, ita quoque alia intus exiſtentia ſimilem effectum edere recte concluditur v. g. humores acres, maxime vero animalcula, quæ motu & punctura ſua, uti ſupra diximus, membranas ad conſtrictionem ſpaſmodicam invitant. Non minus ab eadem cauſa dependet quoque ſingultus atque vomitus, qui interdum concurrunt, atque pariter ac ſternutatio in ſpaſmodica partium conſtrictione conſiſtunt. Huc quoque aliarum partium conſtrictiones, nempe palpebrarum referri merentur. Odorem fœtidum in uno vel altero ex ore exhalantem quod attinet, ille vel animalculo mortuo atque in putredinem abeunti, vel alii corruptioni ibidem exiſtenti adſcribendus eſſe videtur. Denique hæmorrhagiam quandoque ſupervenire fidem facit caſus in Eph. Germ. Dec. II. ann. 1. obſerv. 99. relatus de ſtudioſo ſanguinem e narium ſiniſtra ſepties de die copioſum profundente, cui

poſt aliquod tempus largiſſima hæmorrhagia per quatriduum ſæviente vermis tandem ſanguine turgens & hirudinem figura referens exiit. Signa vermis noſtri prognoſtica quod ſpectat (ut pauca quædam de iis ſubjungamus) non obſcure conjicere licet, malum per ſe non eſſe lethale, ſed pro ratione ſymptomatum aliarumque circumſtantiarum, quæ ei conjunctæ ſunt, uti cephalalgia immanis, febris &c. periculoſum evadere. Sic ſi in incunabulis adhuc & parvus eſt ejuſmodi vermiculus, levia vel nulla prorſus accidentia producere ſolet, ſi vero nimis diu in ergaſtulo hæret, ſuo & non ſponte exit neque medicamentis expellitur, eam in magnitudinem excreſcit, ut moles ejus major evadat, quam per orificium ſinus frontalis aut oſſis ſphænoidei erumpere valeat. Unde fit, ut ægra hoſpitem moleſtiſſimum atque gravem per totam vitam in ſinu ſuo alere cogatur; contingit etiam, ut ſufficienti nutrimento deſtitutus, graviora in dies incommoda nutritori pariat. Quo facto vix datur malo huic medela niſi morte animalculi, quam gravia itidem ſymptomata antecedere pariter ac inſequi neceſſe eſt. Præprimis capitis dolores ingraveſcunt, adeo ut, quemadmodum ſupra indigitavimus, in deliria atque furorem ægri exagitentur. Quod ſi vero ſponte erumpit vermis aut adhibito ſternutatorio expellitur, malum radicitus curatum eſt, quo tempore vel propter motum extraordinarium, vel alias ob cauſas non parum dolores augentur, donec facta perruptione e veſtigio & ad miraculum fere ceſſent, & quod adagio dicitur, Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς obſervetur.

§. XIII.

Jam vero cum vermes ſint res toto genere præternaturales facile patet, eorum exturbationem & e corpore ejectionem maxime indicari, adeoque non tam ad curatoriam, quæ morbum, aut vitalem indicationem, quæ vires & ſymptomata reſpicit, attendendum eſſe, quam potius ad præſervatoriam, quæ circa cauſam morbificam occupata eſt. De indicatione vitali hoc tantum annotabimus, quod una ex ægris, de qua §. 6. egimus, a lacte calido in nares attracto manifeſtum ſymptomatum levamen ſenſerit, uti a lacte frigido, epithematibus frigide applicitis, errhinis inſpiratis incommodum experta eſt. De reliquo a remediis e triplici fonte, pharmaceutico nimirum, chirurgico & diætetico petitis parum auxilii miſeris ſperandum, optima quippe & generoſiſſima a variis adhibita medicorum pariter ac ægrorum expectationem fefellerunt. Quæritur itaque quinto loco:

Quænam cauſæ vermem e naribus expulerint?

Pro circumſtantiarum varietate illæ differunt. Modo ipſum animalculum in cauſa eſt, dum vel motu ſuo & volutatione, vel etiam morſicatione internam ſinuum membranam vellicat, & ita irritat, ut illa conſtrictione ad expulſionem aliquid conferat. Modo idem inſectum latebræ ſuæ ſeu ergaſtuli pertæſum hinc inde curſitando viam ſibi & exitum quærit, & forte fortuna aliquando utut rarius invenit. Nunc etiam contin-

tingere poteſt, ut floris vel plantæ naribus admotæ odor animalculo amicus ſit, hancque ob cauſam illud extrorſum alliciat & invitet. Præcipuam vero expulſionis cauſam pulverem ſternutatorium fuiſſe e ſupra allegatis hiſtoriis abunde patet, ſive jam ſtudio præſcriptus & ordinatus, ſive forte fortuna ille oblatus fuerit. Neque difficile eſt hujus effectus rationem reddere a memorato quippe pulvere membrana narium irritata & valide conſtricta, accedente motu diaphragmatis & totius corporis concuſſorio, quicquid in ſinu ſuo fovebat, excuſſit. Idem experiuntur illi, qui notabilem muci quantitatem ſecernunt & ad dictos ſinus deponunt, in quibus accedente ſternutatione inſignis ſæpe copia ſimul excernitur; eadem ratione vermem in ſinubus hærentem ab iiſdem cauſis expelli facile intelligitur. Diſpaleſcit inde, pulverem ſternutatorium, qui noſtris temporibus adeo in conſuetudinem abiit, non omni uſu atque effectu deſtitui, utut enim plerique illo ita abutantur, ut pica naſi laborantes (de qua vid. *Joh. Henr. Cohauſen diſſert. ſatyr. de pica naſi ſeu tabaci ſternutatorii moderno abuſu & noxa*) tantum non omni momento pulverem herbæ nicotianæ magna in copia in nares attrahant, & quia hæ illius quantitatem capere non poſſunt,

Naſo propellitur ater
Deciduuſque cadit, labriſque nitentibus inſtat.

Quod ſi vero abuſus vitetur, nemo eſt, qui hunc pulverem ſuum quoque uſum eumque inſignem habere inficiabitur. Equidem illorum in caſtra tranſire animus nobis non eſt, qui herbam nicotianam tanquam remedium univerſale celebrant, ejuſque vires adeo extollunt, ut ex illa ſola officinam pharmaceuticam inſtrui poſſe arbitrentur, inter quos non immerito nummeratur *Joh. Neander*, & Dn. *de Prade*, uti id ex illius tractatu, qui *tabacologia* inſcribitur, & ex hujus *hiſtoria tabaci* patet. Hoc tamen non impedit, quo minus nobis aliiſque perſuadeamus, non contemnendas illam virtutes poſſidere, quas hic recenſere ſuperſedemus. Ad præſentem potius caſum redeuntes aſſerere non dubitamus, vix dari præſentius ad vermes, de quibus agimus, expellendos remedium, quam ipſum hunc pulverem ſternutatorium. Militat pro noſtra hac opinione tum ratio, tum, quæ optima rerum magiſtra eſt, experientia. Hæc quippe nos docet, vermes omnes, quorum hiſtorias ſupra tradidimus, hac ratione exturbatos eſſe, poſtquam reliqua medicamenta utut optima incaſſum adhibita fuerint. Quæ methodus cum ratione quoque optime convenit, quippe a dicti pulveris uſu totum caput præcipue narium & ſinuum interiora ita concutiuntur, ut quicquid intus alunt, facile eructent. Longe vero abeſt, ut ſtatuamus herbam nicotianam ſupra laudatam ſpecifica quadam virtute hunc effectum præſtare, quin potius nobis aliiſque perſuadeamus, quodlibet remedium πταρμικὸν ſeu ſternutatorium aptum natum eſſe, hos atque ſimiles vermes irritatione atque concuſſione in dictis membranis excitata expellendi.

§. XIV.

Sexto denique loco quæritur:

An proficuum fuerit medicamenta anthelminthica interne adhibere, & an aliquis inde effectus expectandus?

Eximiæ remediorum virtutes, quæ vermibus vel necandis vel e corpore exturbandis inſerviunt, eoque nomine ἀνθελμινθικὰ vocantur, neminem latent, qui in medicorum ſcholis non omnino hoſpes eſt, inter quæ ☿lia, amara atque ſpecifica nonnulla eminent. Illa ipſa vero uſum maxime habere eo in caſu, ubi hæc animalcula in ventriculo vel in inteſtinis hoſpitantur nemo non novit. Tunc enim dicta remedia per os aſſumta iſtos hoſpites in via offendunt, inque illos ſuam ſtatim vim exerunt. Imo & ſi prope exitum inteſtini recti forſan hærent, enemate ex ingredientibus, quæ illis grata ſunt, compoſito atque injecto facile ad exitum invitantur. Longe aliter vero ſe res habet cum iis vermibus, qui in aliis corporis viſceribus vel etiam in ſinubus ſæpe nominatis degunt; ad hos enim anthelminthicorum vires, quæcunque etiam fuerint, non ita facile pertingunt. Equidem non negamus, minimas horum medicamentorum particulas una cum chylo per inteſtina tranſcolari, vaſa lactea ſubire, maſſam ſanguineam intrare, atque inde juxta ordinarias naturæ leges ad ſingulas partes deferri. Sed quota quæſo pars eſt, quæ a remedio ejuſmodi aſſumto ad ſinum frontalem, ſi nempe in hoc vermis hoſpitetur, devehitur? & ſi etiam largiamur notabilem portionem eo pervenire, illa in vaſis fluit, non vero in cavitatem effunditur, niſi velimus, iſtam una cum muco ſequeſtrari, quæ pariter minima portio eſſe poterit, & effectui non proportionata, ſeu non tam efficax, quæ ejuſmodi vermem enecare valeat. Unde patet, anthelmintica etiam generoſiſſima vel per os aſſumta, vel inteſtino recto immiſſa, ad locum affectum non progredi, multo minus vermem in latebris ſuis latentem interimere poſſe; quod ſi vero ulterius quæritur, an non medicamenta naribus attracta majoris forſan efficaciæ ſint, reſpondemus, id utique videri, quia via brevior eſt, eaque ad locum affectum immediate pertingunt; id quod inde probatur, quod in hiſtoria ſecunda a lacte tepido attracto dolor mitigatus fuerit, quod fieri non potuiſſet, ſi medicamenta eo non perveniſſent, non vero anthelminthica ea eſſe oportet, quæ vermes averſantur, ſed potius, quæ amant eiſque grata ſunt, uti lac, ſaccharum, mel, hydromel, quæque illos foras alliciunt, ſive jam dicta remedia ſub forma pulveris, ſive quod melius, decocti fortiter in nares attrahantur; & quamvis ſuſpicari non liceat, partes craſſiores uſque eo devenire, tenuiores tamen, maxime ſi decoctum calide adhibeatur, eo deferri a veritate alienum non eſt.

Fig. 1. *Vermis Barth. de Moor*, *qui* §. 4. *recenſetur.*
Fig. 2. *Idem oculo armato viſus.*
Fig. 3. & 4. *Vermes* §. 6. *notati.*
Fig. 5. *Inſectum Fabricii Hild. cujus* §. 4. *mentio fit.*
Fig. 6. *Vermiculus Nicol. Tulpii.*

FINIS.

Tab. II.

Fig. 3.





Fig. 2.

Fig. 5.




Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 6.



Disput. Medico-Pract. Tom. I. pag. 404.

SALTZMANN & HONOLD DE VERME NARIBUS EXCUSSO.

Digitized by Google

XXVI.

BERNHARDI ALBINI

ET

GEORGII CONRADI DE HORN,

DE

SALIVATIONE MERCURIALI,

DISPUTAT. INAUGURALI.

Francof. ad Viadr. 9 Decembr. 1689.

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

PROEMIUM.

ET vitæ, bonæque valetudinis, & morborum, imò mortis tandem ipſius principia ac cauſas ob minima multigeneris corpuſcula, quæ ſinu ſuo fovet, purpurea nobis largitur maſſa ſanguinea. Diverſiſſimæ enim partes hanc conſtituentes cum reperiantur, illas multiplici ac variante inter ſe modo commixtas plane etiam differentes in corpore noſtro edere effectus oportet; & quoties tam ſingulæ illius guttæ, quam totalis maſſa de omnibus æqualiter participant particulis, eaſque ope ætheris illius ſubtiliſſimi ſibique, ſuiſque poris ac interſtitiis proportionati, mutuo nexu intime unitas continent, motu tunc gaudent uniformi ac conſueto, & ſecunda nobis, ratione ſanguinis, valetudine frui conceſſum eſt. Immutatis verò vel exiguis in illa miſcella, vel motu tum inteſtino, tùm progreſſivo, requiſitis circumſtantiis, hoc vel illo ſtatim torquemur malo, ac myriades accedunt malorum, imò tota ſæpe corruit Oeconomia corporis. Omnes enim omnium guttularum particulæ determinatas, ſibique proprias figuras habent, cum neque acida, neque alcalia ore aſſumpta coccineo illarum colori quicquam detrahant, vel immutent. Ne etiam progreſſivo motui quid obſit, maxima opus eſt fluiditate, ut vel minutiſſimos partium mæandros, muſculorumque tubulos indeſinenter ſubire ac perreptare queat. Cujus intuitu majorem ſanguinis portionem conſtituere invenimus aquam, cum reliquæ omnes cujuſcunque generis particulæ huic involutæ deprehendantur, & ejus auxilio per totum circulentur corpus. Hæc igitur aqua quoties craſin, ſeu proportionem debitam, defectu ſuo ſuſtulit, aut de volatilioribus ingredientium partibus multum vel per diaphoreſin, vel diureſin projecit, aut accidente viſciditate viſcoſior facta de juſta volatilium quantitate non amplius participat, tardiorem ſtatim continuat, quam antea, motum, multarumque hic, vel illic in tubulis partium oriundarum obſtructionum autor exiſtit. In has deinde, qui ſubſequuntur & reliqui humores ſimiliter impingunt, curſuique ſuo nocivos inveniunt obices ac ſubſiſtendo aliqualem, imo ſatis magnum quandoque attollunt tumorem. Hiſce tumoribus alia vel abundantia, vel non bene reliquis commiſta ſi ſuperaccedant, ſalia, activitatem cauſarum adaugent, ac tenaciori huic lymphæ obſtruenti ſeſe jungentia propter moram longiorem magis ſenſibilem in partibus exercent tyrannidem, imo illas, in quibus hærent, fibras diſtendendo, vel dilacerando triſtiſſimam dolorum inferunt ſenſationem. Quibus adauctis magna interdum animi deliquia, & major noxiorum humorum affluxus oriuntur. Ac pro diverſitate plurium, pauciorumve obſtructionum, reliquarumve in conjunctione particularum inter ſe variantium circumſtantiarum, novas ac plures inducunt ſymptomatum ſyndromes, eo periculoſiores, quo nobiliorem occupaverint partem. Diutius ſi quieta ſubſiſtant hæc ſalia, avolantibus iis, quibus antea adhuc contem-

pera-

perabantur, particulis, a priori deflectunt indole, noxiam magis induunt naturam, ac a ſtatu mitiori in ſumme acria ac corroſiva mutantur inſtrumenta. Quibus tot fere alterationes ſanguini noſtro ac corpori præcipue continenti inducunt moleſtiſſimas, quot ferme diverſi ægrotos affligunt morbi. Evidentiſſimum ejus colligimus indicium ex innumeris illis corroſionum ſpeciebus, ſi intueamur membra ab iisdem exulcerata, cancroſa, gangrænoſa, ſpacelata, ac carie exeſam ſolidam duriorum oſſium compagem. Aliter interdum, ac determinate magis configurata eadem, in poris quæ quieſcunt, ſala, fermentorum aſſumunt virtutes, ac tanta inſuper agilitate & ſpeciali ſubtilitate gaudent, ut etiam reliquos præterlabentes humores odore quaſi inficiant ſuo ac in ſibi ſimilem pervertant naturam, quod plurima conteſtantur nobis incommoda, imo omnes febrium ſpecies, intermittentium ac morborum periodicorum paroxyſmi notum faciunt, & lues inſuper venerea, ſuo pauca miaſmate totum ſanguinem, imo alios inficiens, & plures per contagium ſe propagantes morbi ob oculos ponunt. Et cum ſalium multa ſint genera, ab acido quidem, ſi illud requiſitum ingredientium ſuſtulerit æquilibrium quaſi ac ſuperabundat, juſta ac legitima ſtatim ſanguinis ſufflaminatur fermentatio, dum nimirum omnes incraſſare humores curſumque eorum impedire ſolet. Quantum præterea chylificationi injiciat impedimentum, vel ſcorbutici loquuntur: in totum enim pene deſtruit liquorem gaſtricum, alimenta neceſſario fermentantem, qui niſi accurate omnia debite digerat in ventriculo, non facile reparabilem in reliquis viſceribus ſanguini infert labem. Auſteritati ſe conjungens idem acidum plurimarum conſtipationum ac obſtructionum fomes eſt, ſcirrhos generat, alvi diminuit fluxum, menſium, ac hæmorrhoïdum lunare tributum magis vel minus ſupprimit; & ipſi hypochondriaci facile illius furorem ac effectus continuis ſuis innuunt querelis. Immiſcetur ſæpius terreſtreitati, ac alia procreat mala, in melancholicis ſeſe manifeſtantia. Poros ſi tantum occludit abſque aliis connexum particulis inflammationes ac eryſipelata affert ſatis periculoſa. Sed omnia illa recenſere incommoda, nec inſtitutum fert, nec temporis ratio permittit, id ſaltem innuere volui, tot radicatis morbis non, niſi generoſiſſimis remediis, nos mederi poſſe; inter quæ cum palmam fere Salivatio Mercurialis obtineat, pro themate Inaugurali illam ſelegi. Non quod credam me illi enodandæ parem fore, ſed quod mihi perſuadeam, etiam in magnis voluiſſe ſat eſſe. Non enim, ſi a tramite aberravero, id vitio mihi verſum iri confido, cum verſipellis Mercurius Eruditiſſimos Viros deludendo delaſſaverit, eoſque incertiores multo, cum receſſerint, reliquerit. Vanus proinde forem, ſi mihi meliora fata promitterem, cum tamen & quandoque olitor opportuna loquatur, quid ego ſentiam, aliorum judicio exponere decrevi, enixe rogans ut hunc qualemcumque conatum Benevolus Lector æqui bonique conſulere velit.

THESIS I.

Theſis I.

Pleraque horum, quæ longa ſerie enumeravimus mala, ſatis crudeliter per totum graſſantur corpus, & aliis ſimul acceſſoriis, ingraveſcentibuſque concomitata furoris ἀκμήν, ut facili negotio ægrotantium vitæ truculentum ponere terminum valeant, ni ſufficienti ſtatim generoſorum remediorum exhibitione tot peſſimis obviam veniamus inſidiis. Magnis autem morbis magna debentur auxilia, quæ atrocitati illorum reſiſtentia omnimode & totaliter eorum collidant, atque radicitus enervent nocendi vires. Morbis vero, qui magnas egere radices, totam medicamentorum claſſem vix efficacius opponere remedium Salivatione Mercuriali, in republica medica tritum fere eſt. Hæc quippe (Mercurialia intellige) per omnes corporis feruntur latebras, obſtructiones ſolvunt pertinaciſſimas, ſemina morborum feroſo involuta latice ad oris, fauciumque præcipue, deducunt glandulas, & buccas copioſa irrigant ſaliva. Salivationis vero triplex eſſe ſolet acceptio: Alia nempe eſt *Symptomatica*, quæ aliis ſuperveniens morbis illorum augere ſolet exorbitantias, ita, ut in pejorem deveniant ſtatum ægri, tum præter eroſionem adjunctam glandularum ſalivalium magna infimul proſtratione virium dejiciuntur miſeri. *Critica* ſecundo ponitur loco, quæ aliorum quandoque morborum comes accedit, & fermenta tam chronicorum quàm acutorum peregrina, virtute naturalis in ſanguine ætheris ſubacta, per excretoria ſalivæ organa majori, quam alia in parte, projicit effluvio, ut ſublata hoc modo cauſa ceſſet quoque malum; quod ſi totaliter equidem non ſtatim fuerit ope illius eradicatum, ſymptomata tamen, inſigniter quæ antea ſæviebant, non parum de ſolito remittunt furore, ut recuperatis deinde ſucceſſive viribus ab atrocia morbi liberentur ægri, ſanique evadant. Quam ſalutarem obſervarunt in fœmina phthiſica *M. A. N. C. in dec.* 2. *ann.* 1. *obſ.* 122. Atque in aurium tinnitu in viro literato ab uſu acidularum egranarum *dec.* 2. *ann.* 3. *obſ.* 173. Tertia tandem ſpecies *Medica* vocatur ſalivatio, quæ à prudenti Medico in multis ceu neceſſarium adhibetur auxilium, & uſurpatis certis quibuſdam remediis ex procereſi quidem excitatur, ut peccans materia morboſa ſero innatans ad eandem ſalivalium deducatur regionem, foraſque tali excludatur modo. Maſticatoriis & apophlegmatiſantibus quidam hanc tentant medelam, fluxum dum in vicinis ori tantum procreant partibus: Quoniam vero hoc in caſu illi ſolummodo ab obſtructionibus liberi evadunt tubuli, qui circa ambitum oris fauciumque internum iis antea erant obnoxii, neque per totum feruntur corporis ambitum, *Particularis*, ſaltem audit *Salivatio*. Qualis ex ſpiritu apoplectico forti naribus admoto ſuborta unice profuit in catharrho narium moleſto, ex olfactu roſarum recentium oriente. *M. A. N. C. Dec.* 2. *An.* 5. *obſ.* 22. Ultima vero, quam jam intelligo, illa eſt evacuatio,

cuatio, qua mercurialia medicamenta totum corpus perreptantia copioſum ſalivæ proventum excitant, ſalia maximopere infringunt, obſtructionesque tollendo nocentem illam ex omnibus & minimis quoque latibulis cum ſalivoſo latice educunt materiam, & hæc *Univerſalis* eſt. Quam rite ut explicare, utilitateſque exinde propullulantes pro tenuitate mea conſiderare poſſim, in ſalivæ prius originem & naturam, quaſve vehat particulas inquirere conducet, ut eo melius illorum effectus operandique modus, & quinam hac methodo curentur morbi, innoteſcat.

THESIS II.

Simulac igitur tota purpurei cruoris maſſa indeſinenter lege circulationis, nunquam, niſi cum ipſa vita, interruptæ, per omnes undique corporis tranſit partes, ubique pene, vel in quam plurimis, ſingulares de ſe pro differentia organi ſecernentis diſcrepantes projicit humores. In ventriculo liquorem gaſtricum; in hepate bilem; in pancreate ſuccum ideo pancreaticum dictum; in renibus urinam; in cerebro ſpiritus animales; in auribus cerumen; naribus mucum; oculis lachrymas; veſicis ſeminalibus ſemen &c. ut potiores tantum enumerem ſecretiones, continuo ſegregat ac deponit. Eadem quoque ratione arterias undique diſperſas perreptans ſanguis, ſubit etiam illas ad interiores pharyngis, laryngis, buccarum, & quotquot circumcirca reperiuntur glandularum mæandros perducentes vias. Ubi pro varia tubulorum, quos tranſire cogitur, amplitudine varios quoque & aliquatenus inter ſe alienos, ſeu diverſos ſecernit liquores, ſalivam conſtituentes. Ut eo melius autem illius intelligamus ortum, aliqualem harum partium deſcriptionem præmittere neceſſum eſt. Ex cordis itaque ſiniſtro ventriculo elapſus coccineus ille vitæ theſaurus truncum arteriæ aortæ ingreditur aſcendentem, uſque dum per ejuſdem ramum carotidis externum ad glandulas intra maxillam inferiorem reperiundas deferatur, quæ craſſæ atque rotundæ, in progreſſu diſcontinuatæ, inter maxillam & linguæ muſculos ad mentum uſque protenduntur, & præter carotidum, jugularium, nervorumque inſignes ramos in proprium vas, quod e minoribus ſubinde ramulis in alveum extenditur, intra gingivas utrinque terminatur, & ductus, ab effectu, ſalivalis, ab inventore, Warthonianus dicitur. *Warthonus Adenograph. Cap.* 21. Ad linguæ latera utrinque alia oculos incurrit glandula conglomerata, ſublingualis appellata, oblonga paululum, ductuique huic priori lateraliter vicina, adeo, ut per multum tempus una eademque cum maxillaribus fuerit habita, cum revera tamen membrana inveſtiente ab invicem diſtinguantur. Ex hujus etiam minoribus, quibus conſtat, glandulis pari, ut antea, modo ſubtiles emiſſi ſurculi pedetentim in proprium terminantur truncum excretorium, qui recto ductu illum Warthonianum comitatur, & ſub iisdem, uti ille, papillis intra gingivas, in extremitate maxillæ inferioris, ſuos emittit rivulos. Hic a primo ſuo inventore,

ventore, Caſp. Bartholino, Bartholinianus vocatur. *Caſp. Bartholin. Thom. fil. de ductu ſalivali hactenus non deſcripto p.* 12. Et ambo hi canales ſimul ſumpti vaſa ſalivalia inferiora audiunt, loco hoc diſtincta à ſuperioribus. Quæ in fovea pone aures ſita eſt parotis conglomerata, jugularium, carotidumque exteriorum externis ramis irrigua, & magnis ac copioſis nervis prædita, e conglomeratarum numero eſt, quarum ſingularum rivuli in unum alveum confluentes tandem communi ductu prope dentes molares in os hiat. *Nic. Stenonis Obſerv. Anatom.* §. 14. Quæ intra oculorum orbitam inter muſculum oculum abducentem & oſſis jugalis partem ſupremam ſita eſt glandula ſurculos ſuos in unum cogit ductum, qui recta prope os maxillare deorſum tendens prope molarem dentem ſecuudum, ſi a poſterioribus & ſuperioribus numeraveris, in os ſe exonerat, atque ita tribus vaſis ſalivalibus quartum ſuperaddit. *Anton. Nuck de ductu Salivali novo cap.* 1. Si præterea addidero, glandulas ſtomaticas ſine numero reperiri; quæ enim in buccis ſunt, totam illarum regionem occupant, ſurſum deorſumque oris cavitatem ambiunt, a quibus oriundi ductus non uno modo procedunt. Linguæ latera ſublinguales occupant, quarum excretoria vaſa ſibi invicem parallela exilibus rivulis, oſtiis vix conſpicuis, per tunicam, digiti fere a dentibus diſtantia, hiant. Tota palati caro conglomerata glandula tonſillis continuata eſt, quarum innumeri exiles ductus membranam cribri inſtar pertundunt, ex quibus omnibus mucum facile expreſſeris.

Thesis III.

Unanimis fere Anatomicorum conſenſus eſt, glandulas in genere nihil aliud eſſe, quam continuatos tum vaſculorum tum nervorum varie inter ſe contortos canaliculos, qui multipliciter ac diverſimode ita conglomerantur in cincinnos & peculiaria conſtituunt a reliquis diſtincta corpora, vaſis ſuis excretoriis dicata. Has igitur alluens ſanguis poros ibi invenit cæteris conſtantiores ac ſolidiores, ratione figuræ plane ab aliis differentes. Hos ſubire non potis eſt, niſi a preſſione ſubſequentis partim liquoris quoad minima diſcontinuetur, partim a ſpirituum animalium vigore ac velocitate ſubtiliſetur, atque magis liquidus fiat, ut pro modulo recipientium vaſculorum melius tranſire poſſit. Hæc enim ratio videtur eſſe, quare pluribus numero nervorum ſurculis circumſeptæ ſint glandulæ, quam vel ad motum, vel ſenſationem impendere opus habeant. In glandularum vero interſtitiis a conjunctione vaſculorum relictis certus ſimul rotare videtur ætheris ſubtiliſſimi, omnia moventis, vortex cujus ope ſanguini affluenti alius omnino inducitur motus, ut varie quidem, placide tamen, agitatus appropriatas ex ſuo gremio tum porulis & ductibus glandularum, tum ſimilem quoque ætherem vehentes particulas demittat, alias vero minus congruas excludat veniſque remandet: Non enim quælibet particulæ quoslibet poros ſubire poſſunt. His ita poſitis perquam facile videmus, ſan-

ſanguinem ad tot diverſas glandulas derivatum ubique invenire poros, quoad minima etiam, ratione ſoliditatis & magnitudinis, vel figuræ inter ſe differentes; & in ſpecialem prætcrea ætheris ſubtiliſſimi, ob eandem cauſam variantis, vorticem impingentem alio ſemper affici modo. Unde non poteſt non, quin in ſingulis etiam recenſitis vaſorum ſalivalium glandulis ſingulares quoque, ac inter ſe plane quoad omnia non convenientes particulas ſecernat. Alius enim erit liquor ex glandulis maxillaribus internis eructatus; alius ex ſublingualibus; itidem ex parotidibus alius; ac e nova circa canthum oculi externum ſita glandula exſtillans humidum variat &c. Variati licet ac diverſi hi ſint humores, in oris cavitatem omnes tamen ſimul in unum confluendo alium ac novum prorſus conſtituunt liquorem ſalivæ titulo inſignitum, de omnibus omnium particularum generibus participantem. Omnibus omnium particularum generibus dico, quod ab infinitis iſtis & diverſiſſimis glandulis omnino expectandum, in quarum anfractibus majorem nactus ſuperficiem, dum in angulos impingit, modo retroagitur, aliæque ejus particulæ dum ſe pororum figuræ accommodant, aliæ cum illorum figura conveniunt, aliæ ob rigiditatem vi ſibi viam parant, &c. elabuntur, & in ſingulis glandulis peculiarem humorem, donec, omnibus confuſis ſalivam, producant. Qui à poſteriori hæc confirmata, ac variis experimentis comprobata videre velit, ille, cum hic ex profeſſo id non agamus, adeat *Ant. Nuck. de Saliva Capite* 2. *& Ant. de Heide Obſ. Med.* 88.

Thesis IV.

Ut hujus itaque, de qua ſermo fuit, uberrimæ protruſionis ſive ſalivationis mercurialis indolem felicius detegam, in hoc naturæ monſtrum, ut audit *D. G. Fontano, de Medic. Antihermet. Sect.* 3. *cap.* 7. paulo penitius inquiram oportet, ſi in anteceſſum monuero, per mercurium hic non intelligi Paracelſiſtarum principium, ſive liquorem acidum, permeabilem, penetrabilem, æthereum ac puriſſimum, à quo ſit omnis nutricatio, ſenſus motus, vires, colores, ſenectuſque, præpropere retardatio, cum ipſis fatentibus hic ex miſtis corporibus beneficio chymiæ erui nequeat, ſed à mercurio minerali differat eſſentia, proprietatibus & actionibus. *J. Beguin. Tyrocin. Chym. lib.* 1. *cap.* 1. Nec etiam mercurium philoſophorum, quem menſtrui philoſophici & lapidis philoſophorum materiam eſſe perhibent adepti; qui ſolvat argentum & aurum, nec ſeparetur ab illis in æternum, ſicut aqua mixta aquæ, qui habeat in ſe ſulphur incombuſtibile, fixum, bonum, albiſſimum & rubeum; ſit calidus & humidus; corpora dealbet ad cryſtallinam ſerenitatem. *Vide novum Lumen Chymicum de Sulphure.* Cum lunam philoſophorum, ſive eorum mercurium, qui mercurium vulgarem dixerit, aut ſciens fallat, aut ipſe fallatur. *Vid. Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ opus* §. 44. *in Bibliotheca Chemica contracta Nath. Albinei.* Nec denique illum corporum, reſuſcitatum & metallicum dictum. Non quod hic

hic illam controverſiam meam faciam, num ex perfectis & ſemimetallis talis elaborari poſſit, numque ille ſit novum artis productum, an vero pars conſtituens & componens concretum? De eo enim Alchymiſtæ cum hactenus inter ſe non conveniant, nec tanta copia parabilis ſit, ejuſque uſum pretii valor non concedat, nec hactenus tot de eo proſtent experimenta, imò ſint, qui illum ſalivationem inducere negent. *M. Ettmullerus Chim. Ration. lib.* 1. *Sect.* 4. *cap.* 1. Eo miſſo, intelligimus corpus minerale, mobile, fluidum, ponderoſum, quod ab invicem ſeparatum in innumeros tenuiſſimos globulos dividitur, qui prompte rurſus coeunt, coloris ex cæſio-albicantis, quod mercurii vulgi, ſeu argenti vivi ordinario, nomine venit.

THESIS V.

Mineralis iſte liquor & aqua manus non madefaciens in fodinis reperiundus, vel virgineus, vel planus eſt. Virgineus eo nomine ſuperbit, qui vim ignis non ſenſit, ſed purus putus in fodinis reperitur, vel deſtillat in fodina guttatim & nonnunquam copioſe ſatis profluit; vel qui ſine magno labore ſola dilutione e terra eluitur. *Acta Anglicana anno* 1665. *menſ. April. an.* 1669. *menſ. Decemb. Dieſes aber hat man auch offt erfahren, daſs das Qveckſilber in denen Silberzechen gebrochen, oder, gediegen, lauter aus etlichen Stuffen, wenn man darauff geſchlagen, getropffelt.* Item: *Man findet gediegen Qveckſilber, nicht allein gantz und gar an Geſtalt und Farbe, wie ein roth gülden Ertz, ſondern aux biſweilen wie das Leberfarbene Silber-Ertz. Petrus Albinus Meiſsniſche Berg-Chronicka c.* 16. Plura de his vide in *Modeſtin. Fachſen Probierbüchl. pag.* 141. Planus ille eſt, qui ab igne impulſus prodit e ſua minera, quæ mineræ multum variant. Minium & ſchiſtus, hujus metalli matres nominantur, quandoque in lapide ſciſſili cinereo bractearum more, quandoque in lapide metallico candidiſſimum latitat. *Olaus Wormius in Muſæo lib.* 1. *ſ.* 3. *cap.* 8. Modum ſeparationis lege ſis apud *G. E. Lohneyſs im Bericht vom Bergwerck. Agricolam L.* 9. *Olai Borrichii Metalliſche Probier-Kunſt.* §. 48. & paſſim apud Metallurgos.

THESIS VI.

Antiquiſſimis Arabum in cutaneis affectibus hydrargyrum in uſu feliciſſimo ſucceſſu fuiſſe cum adverteret Carpus, chirurgus, primus eo in lue venerea eradicanda uſus eſſe perhibetur *Dan. Sennertus Prax. Tom.* 3. *lib.* 6. *part.* 4. *c.* 21. Cumque copioſæ ſalivæ profluxu cura abſolveretur, qua vi id præſtaret, quæſitum eſt. Suas fecere alii veterum, recentiorum alii opiniones, prodigioſam naturam hujus enodarent: Secus enim ſi facerent, ſe potius naturæ hiſtoriam quam ſcientiam conſignaturos eſſe, facile videbant. Non infimi ſubſellii autoribus frigidum eſſe hydrargyrum perplacebat. 1. Quod docente Ariſtotele ex vapore fiat aqueo, aqua autem ſit ſumme frigi-

da. 2. Quod tactu frigidiſſimum deprehendatur, & calefactum ſubito refrigeſcat. 3. Quod mercurius omnium metallorum, excepto auro, ſit ponderoſiſſimus, cujus gravitatis nulla alia cauſa, quam frigus eſſe poſſit, ea ratione, qua à calore oritur levitas. 4. Omnes ab eo producti effectus ſint frigidiſſimi, paralyſes, nempe apoplexiæ, lethargi, aſthmata, catarrhi ſuffocativi, &c. 5. Ab argento vivo corpori illata, nocumenta potiſſimum calidis curentur, nempe diſcutientibus & ſudorem moventibus; remedia vero morbo contraria eſſe debere. 6. Quòd affinis valde ſit plumbo, ita ut occulto quodam naturæ ſenſu ad invicem ferantur, & mutuo quaſi conſortio gaudere videantur; imo mercurius vivus per ſe alias mobilis valde & fluidus in perfectum plumbum, hocque viciſſim in verum vivum ac currentem mercurium tranſmutari poſſit. Cum vero plumbum vel exterius corpori admotum, vel intus datum inſigniter refrigeret, argentum etiam vivum propter illam, quæ intercedit, naturæ familiaritatem, ſimili præditum eſſe facultate. 7. Avicennas etiam in ſimiæ ab hauſto mercurio mortuæ corpore, ſanguinem, Petrus Aponenſis in corpore pharmacopæi, à ſimili cauſa denati, eundem circa cor invenerint coagulatum, ab exceſſu frigoris mortuos. Cui placito Avicennas, Averrhoës, Ariſtoteles, Albertus Magnus, Palmarius, Rhaſes, Fallopius, Foreſtus, Pareus, Matthiolus, Fernelius, Libavius, & neſcio qui non alii, favent. Si non plures, certe non pauciores ſunt, qui hydrargyrum calidum eſſe contendunt. 1. Quia mercurius multum aereæ ſubſtantiæ habet admixtum, teſte *Ariſtotele lib. 4. Meteor. cap.* 8. Cum autem aer calidus ſit, & prædominium præ cæteris elementis ejus in mercurio vigeat, & illum neceſſario calidum eſſe. 2. Mobilitas mercurii calorem arguit; quemadmodum enim frigus omnibus torporem affert, ita viciſſim caliditas corporibus agilitatem impertitur. 3. Quia ſolidiſſima & duriſſima corpora deſtruit; corroſio vero omnis à caliditate dependet. 4. Non ſolum pituitam in corpore noſtro attenuat, colliquefacit, copioſe per ſputum educit, ſed & quoſcunque tumores duros emollit, diſcutit, reſolvit. 5. Quia omnia ex eo præparata pharmaca, nempe mercurius ſublimatus, mercurius præcipitatus, turpethum minerale, ſpiritus mercurii, mercurius vitæ, mercurius dulcis, mercurius diaphoreticus, calidiſſima cenſentur, cum vel violenter corpus turbent, exagitent, & à ſaburra noxiorum humorum liberent, vel potenter ſudorem moveant, & per inſenſibilem tranſpirationem ſeroſas ſuperfluitates educant. Ita ſentientibus Galeno, Rhaſe, Fallopio, Cæſalpino, Vido Vidio, Paracelſo, Baſilio, Valentino, &c. Matthias Unzerus vero *Anatomiæ Spagir. Mercurii lib.* 1. in mercurio crudo mixtas facultates, calidas nempe & frigidas agnoſcit, ratione diverſitatis partium materiæ, quarum nonnullas concipit admodum tenues, puras, ſubtiles, ac ſpirituoſas, quaſdam craſſas, terreſtres, fœculentas atque impuras; ratione priorum, illum incidere, penetrare, attenuare, liquare ac reſolvere; Poſteriorum autem ratione ponderoſum eſſe, repellere, refrigerare. In mercurio chymice præparato frigidam

gidam qualitatem penitus ſublatam eſſe, & propterea eſſe calidiſſimum. Quibus mercurius frigidus eſt, iis placet, ab intentiſſima frigiditate ab extremis & externis membris humores in altum corporis pelli, atque ita ſalivatione reddi. Euſtachio Rudio *de morbis occultis* placuit heterogeneis & diverſæ naturæ partibus conſtare mercurium, calidas tamen prædominari, quæ attenuatæ ad minimum caloris ſenſum fuliginis inſtar abeant in fumum, humoresque attenuare, ac propterea purgare per alvum, ſudores, os, illudque omne caliditati tenuium partium adſcribit. Unzero l. c. Mercurio quoque ineſſe occultas qualitates, ſeu proprietates, à quibus manifeſtæ regantur, rationi conſoñum videtur, nec credit facile quem dicturum caliditati aut frigiditati ſoli tam ſtupendos effectus adſcribendos eſſe, ſed credibile eſſe, cum evidentibus illis in mercurio qualitatibus una occurrere occultas, non quod illarum omnis actio prorſus otioſa ſit, ſed quod principalis agendi vis formæ ſpecificæ, ſeu ſubſtantiali, in mercurio abditæ, ſecundaria vero ac minus principalis primis qualitatibus, quarum miniſterio, ceu ſingularibus quibuſdam & accommodatis organis, forma illa interdum utatur, ſit aſſignanda & attribuenda. *Daniel Sennertus Operum Tom* 3. *lib.* 6. *part.* 4. *cap.* 21. Salivationem fieri vult, quod mercurius nervoſo generi ſit infeſtus, ideoque per nervos ad cerebrum repat, eo ſecum vitioſos humores ducat, illumque una cum iis natura & cerebri expultrix expellat, & in fauces detrudat, unde ſalivatio conſequatur. H. Mercuriali cauſa ſalivationis eſt, quia aer & ſpiritus, qui colligati ſunt in materia mercurii excocta, ubi linimentum à calore naturali attenuatur & diſſolvitur, erumpant, perinde ut erumpunt ſpiritus e bombarda, erumpentes trahantur & ingrediantur in arterias & venas; & cum eorum natura ſit, ut ferantur ſurſum, ea propter ſtatim atque elapſi ſunt, veluti vinculo ſoluti, efferri in caput magno impetu, ſecumque ducere plurimos vapores, in capite eliquare & attenuare humiditates; ut eliquatæ per os dilabantur, ſecum etiam in caput evectos vapores convertere in aquam, quæ deinde per os defluat, & illud copioſum ſputum efficiat. *Medicin. Pract. Tract. de Morbo Gallico cap.* 6.

THESIS VII.

Quatuor ſic dictis primis qualitatibus corporibus analogum nihil ineſſe, ſed meros eſſe percipiendi & quidem confuſos mentis modos, in ea ex lege conjunctionis ejus corpore occaſione tremoris nervorum excitatos, qui præpoſtere ipſis corporibus tribuantur, ſanior philoſophia docet. Totum quippe negotium in mero reſpectu & relatione ſitum eſt, ita, ut ſi quæ corporum particulæ ſolito vehementius nerveas corporis noſtri fibrillas vel mediate, vel immediate quatiunt, vel illorum tremori obicem ponunt, illa calida, hæc frigida dicantur, adeo ut præter majorem, minoremve motum, quem habent comparative ad corpus noſtrum, per has qualitates,

tes, in mixtis naturalibus reperiatur nihil, eoque tota à tot ſeculis indeciſa redit quæſtio; An mercurii particulæ motum in corpore noſtro augeant, vel imminuant. Ea mercurii natura deprehenditur, ut à calore promptiſſime ejus particulæ ſecedant ab invicem, & ſub forma vaporis oberrent, ſed eo remittente denuo congregentur; ut à ſalibus, aliiſve prompte diſcontinuetur, iiſque, ceu vellere obductus vel ſolidarum ſubeat poros, vel fibras diſcindat, inflammet, deobſtruat, vel etiam demulceat pro natura ſalium, aliarumve, quibus cum coiit. Sed corpus noſtrum omnis generis ſalium promus condus eſt, aſſociabit igitur modo plura, modo pauciora ſalia, modo unius ſpeciei, modo diverſorum generum, modo magis, modo minus corroſiva, iiſque onuſtus, vel in ſolidis hærendo corrodet, inflammabit, &c. vel varias pariet præcipitationes, coagulationes, vel minima pererrando deobſtruet, reſolvet, incidet, adeoque corpori jam labem inferet, vel nimio ſuo motu, vel nimia quiete vellicando, lacerando; vel auxiliabitur illi reſolvendo, deobſtruendo, corroſiva ſalia educendo, & ut uno verbo rem exprimam, modo refrigerabit, modo excalefaciet; modo proderit, modo oberit; erit venenatus & non venenatus; erit calidus, erit frigidus. Non itaque mirabimur tantum graviſſimorum ſcriptorum diſſenſum, quorum nonnulli ab utriſque in cauſæ patrocinium allegantur. Nec mirabimur, in utramque partem tanta cum veroſimilitudine ſententias illas propugnari. Examinentur utriuſque rationes, illæ vel ad rem non facient, vel ſupradictis conciliabuntur. Ex quibus, quæſo, datis, ut quæ pro frigiditate faciunt, examinem, 1. mercurium è vapore aqueo fieri concludemus, quia facile in vapore reſolvitur. Sed ita omnia ſalia volatilia & ſpiritus ex aqua producentur; num, quia fluidus eſt? Sed ita gypſum in aheno bullas agens non terra, ſed aqua erit, non enim obſtat, ſi dixeris, ab igne id moveri; ita moventur nimirum mercurii particulæ ab igne æthereo iſto, non alio diſcrimine, niſi, quod is in ſenſus, iſte in eos non incurrat; ſed quis dicet, illas abſolutæ rerum veritatis criterium eſſe? 2. Ideone eſt frigidiſſimus, quia tactui talis apparet, & calefactus ſubito refrigeratur? Certe id commodius in ſpiritum vini quadrat, aut verius de ſalibus volatilibus, quæ in ipſa etiam ſublimatione oppido refrigerantur, dici poſſet. Nec refrigerationis celeritas magis frigiditatis indicium eſt, quam ejuſdem tarditas caloris; alias certe plumbum foret calidiſſimum. 3. Omnium metallorum fere graviſſimus eſt. Sed inde non putem concludi poſſe, eſſe etiam frigidiſſimum: Eſſent enim alias ſalia lixiva, quæ in aqua ſubſidunt, illa magis frigida, quæ tamen juxta illorum placita eſt frigidiſſima; eſſet aurum omnium frigidiſſimum, quod tamen inter cardiaca paſſim ab iiſdem refertur. 4. Producit effectus dictos frigidiſſimos, ſed eos etiam producit nimius ſolis ardor, ſpirituoſorum ingurgitatio, nimius motus, atque ira, &c. quæ aut erunt frigida, aut illi effectus ab alia cauſa, quam frigiditate, dependebunt. 5. Atque proinde medicamenta ad noxas mercurii averruncandas uſurpari ſolita non

quia

quia calida, ſed quia aliam iſtam cauſam tollunt, juvant & adhibentur. 6. Gaudeant mercurius & plumbum occulto quodam naturæ ſenſu, ferantur ad invicem, ſi inde ejuſdem indolis eſſe concludere liceret, ſalia, quæ promtiſſime in aqua ſolvuntur, aut erunt frigidiſſima, aut erit hæc calidiſſima; aut etiam tenendum erit, ea, quæ ſe invicem refugiunt, contrariis eſſe donata qualitatibus, itaque mihi incommiſcibilitatem ſpiritus vini & olei terebinthinæ explicari rogarem. Tacebo jam, quæ de tranſmutatione mercurii in ſaturnum, & vice verſa addi poſſent. 7. Sanguinem coagulavit, coagulatur idem ab aqua forti, non vero coagulatur ab aqua in venam injecta, quod fieret, ſi frigiditati coagulum ſanguinis deberemus. Tanto autorum numero non pauciores opponuntur, & ſæpe iidem; addo, quod in rebus phyſicis nullus autoritatis ſit valor. Caliditatem mercurii 1. ex aëreæ ſubſtantiæ admixtione, qui arguunt, ſine dubio recordabuntur, aërem caloris atque frigoris viciſſitudinibus obnoxium eſſe, & præter congeriem omnis generis particularum circa ſe modo magis, modo minus motarum, & globum terraqueum velleris inſtar ambientium nihil eſſe, & ex intenſioris remiſſioriſque motus ad noſtrum corpus relatione frigidum, vel calidum, haſque qualitates illi extrinſecas eſſe; nec ab earum admixtione mercurium calidum fieri poſſe. Imo ſi mercurius a prædominio aërearum particularum calidus eſſet, hoc non per ſe foret, niſi aëris & mercurii particulas ejuſdem generis & naturæ eſſe aſſerant, quo facto non magis dici poſſet, ab aërearum particularum prædominio mercurium eſſe calidum, quam aërem a mercurialium particularum admixtione talem eſſe. 2. Mobilitas mercurii non magis in illo, quam in aqua calorem arguit, oſtendit ſolummodo mercurii particulas moveri juxta ſe, illas eſſe glabras & læves, nullibi cohærere, ut a minimo corpore a ſua ſtatione deturbari poſſint, quæ omnia obtinent ſine calore, dummodo fibrarum noſtri corporis tremorem non augeant. 3. Nec competit calori illa penetratio etiam metallorum, quæ a ſolo particularum motu & gravitate dependet, ita ut minimos poros promtiſſime ſubire, & per minima interſtitia oberrare poſſint. Cujus rei ſi calor cauſa foret, quid impediret, quo minus lignorum, corii &c. poros conſumeret & deſtrueret. Nec corroſio aliud quid eſt, quam ſtaminis partium diſciſſio, quæ acumini particularum, quale quid in cultris videmus, aut etiam incurſui earum particularum, quæ in ſuo motu magis eſſe perſeverant, quam illæ corporum in quiete, in acceptis ferenda eſt. 4. Pituitam in corpore non attenuat, niſi vel quatenus a calore corporis actuatur, vel ſalibus aſſociatur, ea ratione, qua manus vel ſolæ, vel cultro armatæ diffringunt diſcinduntque corpora, hoc ſolo diſcrimine, quod mechanica hæc in ſenſus incurrat, illam vero ratione tantum aſſequamur; Quale quid etiam 5. de mercuriis varie præparatis tenendum, quod latius ex infra dicendis patebit. M. Unzero, phyſico Halæ Saxonum ordinario, qui duplicis generis, terreſtres nempe & tenues, tot diverſarum operationum cauſas, particulas concipit, Daniel Sennertus optime opponit, nullum

hactenus repertum eſſe Chimicum, qui partes diverſas in mercurio monſtrare, & arte ex eo ſeparare potuerit, cum totus ſit homogeneus, & vel totus avolet, vel totus maneat, & quocunque modo præparetur, tandem totus homogeneus reviviſcat. *Prax. med. tom.* 3. *lib.* 6. *part.* 4. *cap.* 21. Quod laudatus Unzerus ſenſiſſe videtur, dum ad occultas, quæ mercurio inſint, proprietates confugit. Nempe omnis ejus explicatio huc tandem redit, ut ſibi mercurii indolem ignotam & inexplicabilem, & qualitates primas inſufficientes eſſe fateatur. Quod etiam Sennertus ſubinnuere videtur, qui ſalivationem mercurialem explicaturus, poſtpoſita qualitate calida, cui in anteceſſum patrocinatus erat, ait, hydrargyrum nervoſo generi infeſtum eſſe, & propterea per nervos ad cerebrum repere, vitioſos humores eo ſecum ducere, a natura & expultrice cerebri expelli, in fauces detrudi, indeque ſalivationem ſequi. Hæc enim, ſi attente intueor, ad oculum oſtendunt, magnum hunc medicum nihil qualitatibus tribuiſſe, adeoque nudam rei hiſtoriam narrare voluiſſe: ſolum enim quod, non vero quomodo, fiat, commentatur.

THESIS VIII.

Antiqui, cum per primas qualitates rerum naturas explicatum irent, quas ſaltem ab effectibus & actionibus cognoſcebant & diſtinguebant, a diſparibus hydrargyri effectibus, non ſolum in diverſis, ſed in iiſdem quoque per varia tempora corporibus, in opiniones tam diverſas ſeceſſerunt, ut alii illum frigidum, calidum alii eſſe ſentirent, quibuſdam venenatus eſſe cenſebatur; alii illi inter alexipharmaca & antiloimica non ultima dabant ſubſellia. Hinc per tot ſecula eruditorum eluſit cognitionem; ingeniorum ſtudiorumque varietas effecit, ut in alias identidem inciderent cogitationes, quarum aliæ cominus, eminus aliæ ſcopum feriebant. Mercurius lapis lydius erat, ad quem principiorum ſuorum valorem explorabant. *Nicolaus Lemeri* prodigioſam metalli naturam explicaturus, ſal alcali volatile eſſe ſcribit; tanquam certum enim ſupponit, morbos luis venereæ violentia fieri ſolitos ab humoribus ſalſis, vel acidis foveri, nec illos, niſi virus hoc auferatur, curari poſſe. Venerei itaque virus acida ſalia poris mercurii implicari, calore ac humorum motu ad caput ſublimari, inde partes oris interiores cancris conſpergi, illa acrimonia glandulas ſalivales laceſſitas relaxari, pituitam copioſe deſcendere, hinc cancrorum perpetuum comitem, ſalivæ nempe continuum fluxum, provenire. Fieri hoc pariter in iis, qui lue venerea immunes vivunt, cum nullus, quantumvis ſanus, in quo humores acidi & ſalſi non reperiantur, vivat, nec fermenta œconomiæ corporis conſervandæ deſtinata, ſine illorum ope ſubſiſtant. Quod placitum ut firmiori talo nitatur, per alcali non vult intelligi ſpeciem quandam ſalis plantæ, ſed materiam terreſtrem & ſolidam, cujus pori eam figuram obtineant, qua cuſpides acidi hanc ingreſſæ frangere & ſpargere poſſint, quicquid motui ſuo

ſuo reſiſtit, & pro ſoliditate partium materiam conſtituentium acidæ majorem, minoremve renixum nactæ validiorem, vel debiliorem excitant effervеſcentiam. *In curſu chymico p. m.* 33. *&* 203. *Moſes Charas* mercurio ſuum & proprium alcali ineſſe, ſeu quod inſeparabiliter reliquis cohæreat partibus, & ſemimetalli hujus modum conſtituat, non inficiatur, pro genuino vero alcali illum habere recuſat, quod actioni alcalium non minus, quam acidorum ac ſulphurum obnoxius ſit: acida generoſiſſima, ſpiritus ſulphuris & vitrioli, quæ cum impetu alcalia invadunt omnia, in illum nullum fervorem inducant, ac demum ab aliquot dierum decurſu pervadant; eadem cum alcalibus donatus non ſit ſubſtantia, uti neque ſapore neque aliis qualitatibus alcalinis; actioni ignis non reſiſtat, quale quid in alcalinis fixatis videre eſt. Potius igitur ſtatuit, mercurium mixtum eſſe, idoneum excipiendæ actioni ſalium, non minus eorum, quæ donata ſunt partibus ſulphureo-ſalinis, aut ſalinis fixis, quam eorum, quorum partes ſunt meræ acidæ. Negat etiam fermentum venereum merum acidum eſſe, nec illud ſimpliciter mere ſalini fixi aut volatilis titulo donandum, quin potius venenorum claſſi accenſendum eſſe, adeoque mercurio ineſſe proprietatem innatam omnino ſingularem, ut volatilitatis ratione ad cerebrum ac partes circumpoſitas delatus ſua efficacia faciat liqueſcere pituitam, itaque illi anſam præbeat exitum moliendi, qui tamen dicti effectus alteri cauſæ, quam vaſorum ſalivalium & partium adjacentium eroſioni adſcribendi non ſit. *Pharmacop. reg. chymic. cap.* 65. Nicolaus de Blegny duas in mercurio agnoſcit ſubſtantias, terram nempe ſubtilem & ſulphuream, & aquam metallicam: prioris exiſtentiam probat ex modis in pharmacia Galenica uſitatis ad mercurii diverſionem, ex quibus illum omni ſulphuris ſpeciei conjungi, quod terebinthina, aliæque reſinæ & pinguedines huic intentioni utiles ſubſtantiæ ſulphureæ & inflammabiles ſint, pateat. Hujus etiam rei veritatem illuſtriorem eſſe in confectione cinnabaris, quæ omnium conſenſu pro ſulphuris & mercurii mixtura habetur, ſive in terræ viſceribus naturaliter, ſive artis opera in fornacibus ſublimetur. Cum igitur verum ſit, ſubſtantias homogeneas facile coire, imo mixtorum particulas corpora, quibus conjunguntur deſerere, aliorumque conſortium, quibus cum affinitate aut natura conjuncta ſunt, affectare, hinc mercurii principium terram ſulphuream & ſubtilem concludit. Ex hoc etiam fundamento aquam metallicam alteram ejus principium eſſe deducit, cum mixtionem, unionem & amalgamationem cum maxima aliorum metallorum parte admittat. Aquam vero hanc eſſe crudam, & ſulphura volatilia, cum nec igne diſſolvi, nec malleo extendi poſſit. Ex mercurii gravitate & cruditate infert, plurimo illum ſulphure abundare. A ſe enim obſervatum eſſe, omnia metalla ſulphure ſcatentia, cæteris omnibus graviora eſſe: *In obſerv. raris & novis in artem curandi luem vener. c.* 5. ut ſalivationis cauſam reddat, addit, motum mercurii ab imis ad ſuperna ferri; illum ut plurimum æqualem eſſe & moderatum, nequaquam interruptum, unde arguit, naturam magis propriis viribus niti,

 quam

Digitized by Google

quam a vi medicamenti impelli; humores acidos & impuros cum mercurio conbinari, quandam ſpeciem mercurii corroſivi conſtituere, a quo guttur & os exulcerentur, vaſa reſerentur, ac per dierum aliquot decurſum ſaliva effundatur. Rationem ſalivationis fundunt alii in malignitate mercurii arſenicali, utpote qui adjunctum habeat ſulphur peregrinum volatile, de natura arſenici, quod ſua volatilitate & penetrantia tam utiles, quam inutiles humores reſolvat, eoſque ſubtiliſatos per glandulas maxillares exterminet. Acidum eſſe & partium vi attractiva humores a ſuperficie ad centrum, ſeu ventriculum adducere, & per ſeceſſum educere, partim impulſiva ad habitum impellere & per ſalivationem propellere ſcribit *D. Gabr. Fontanus Medicin. antihermet. ſect.* 3. *cap.* 7. §. 4. Acidum quidquam, ſalſumve, rubiginis illius, quam chalybeæ lamellæ puriſſimæ, in mercurio ſepultæ contraxerant, promum condum in penetrali mercurii habitare, perſuaſum habet *D. Olaus Borrichius act. Haffn. An.* 1671. *obſ.* 77.

THESIS IX.

Duumviratus acidi & alcali rebus naturalibus tantum lucis fœneratus eſt, ut ad ſummum autoritatis culmen perveniſſe viſus fuiſſet, niſi viri, fama ſuper æthera noti, fidem illius reddidiſſent dubiam, atque ex principiorum numero expunxiſſent. Altioris res ea cum indaginis ſit, harum pagellarum anguſtiis includere non potero, ſed ſoliditatis hujus doctrinæ certus cum ſim, nulla neceſſitate me adactum ſentio, ut mercurium vel acidum, vel alcali eſſe credam. Licet enim nobile par fratrum, alcali & acidum inter concreta primatum facile obtineant, ac potiſſimarum in rerum natura operationum, nempe fermentationum, efferveſcentiarum, putrefactionum, coagulationum, ſolutionum, præcipitationum aliarumque mutationum cauſæ ſint, ac pro principiis nonnullorum corporum (ſi principii vocabulo abuti liceat) immediatis haberi poſſint, revera tamen mera principiata ſunt, nec opus eſt, ut in cauſis reddendis ad illa, ceu ſacram anchoram confugiamus. Nec contemnendæ ſunt rationes D. Charas, ſi per alcalia ſalia urinoſa tam volatilia, quam fixa intelligamus, ſtringunt enim tunc quam maxime. Hoc D. Lemery prævidit, adeoque maluit a vulgata acceptione alcali recedere, quam mercurium alcali non eſſe concedere; tum tamen verba valeant uſu ſicut nummi, potius omnino dicam, alcali non eſſe, quam fingendo nova ab uſitatis recedere. Inde tamen non ſequitur acidum eſſe, partim quod alcalia æque ac acida rubigine martem incruſtent, partim quod alcali & acidi inſufficientia pro principiorum, ſeu elementorum corporum naturalium munere gerendo, mercuriique aciditatem annullaverit in ſua ad Langellottum epiſtola excellentiſſimus Dn. Bohn. Subſtantias homogeneas facile coire nemo inficias ibit, ſed inde viciſſim argumentari; ergo quæ coëunt, homogeneæ ſunt ſubſtantiæ, argumentum a particulari ad univerſale, quod infirmum, foret. Nonne coëunt aqua & omnis generis ſalia, qua acida, qua al-

alcalia, forent ergo ſal acidum & aqua homogenea; homogenea etiam forent aqua & alcalia; ac ideo homogenea alcalia & acida forent, quod ſane incongruum. Erit ergo nulla ſequela, conjungitur cum reſinis & pinguedinibus mercurius, ergo eſt ſubtilis & ſulphurea terra; coit cum ſulphure in cinnabarim, ergo eſt ſulphureus: coit enim pariter cum vitriolo in ſublimato: ergo eſt vitriolicus, eſt acidus. Combinatur cum metallis, ergo eſt aqua metallica, in quo tamen totius argumenti vis & cardo verſatur, quanquam, ſi recte rem penſitemus, aqua metallica dici poſſit, ut ſequentia manifeſtum reddent. Qui ſulphur mercurii arſenicale incuſant, & in ejus malignitate fundant ſalivationem, mihi videntur aut obſcurum per æque obſcurum, aut nihil penitus explicare: Quid enim malignitas arſenicalis aliud vult, quam mercurium æque ac arſenicum nobis veneuum eſſe, ac peſſimorum ſymptomatum autorem, quod hiſtoriam redolet, aut ſi quid aliud per id intellectum volunt, oſtendant primo, quid ſulphur arſenicale rei ſit, & in quo illa cum mercurio analogia a parte rei conſiſtat. Ingenuus magis eſt ſupra laudatus Charras, dum omnes hos affectus proprietati innatæ ac omnino peculiari mercurii attribuit: Neutrum enim magis naturam mercurii explicat, quam ſi quærenti, cur electrum paleas attrahat? Reſponderem, vim magneticam electro ineſſe, aut hanc vim electro naturalem eſſe, neuter enim quærenti ſatisfaceret.

THESIS X.

Mobilitas, volubilitas & fugitiva mercurii natura, cujus etiam in partium ſuarum ſeparatione tenaciſſimus eſt, ſcriptoribus anſam dedit, ut particulis ejus rotundam ac ſphæricam nativam figuram tribuerint. *Nic. de Blegny obſ. in luem vener. cap.* 5. Seu illum conſtare ex minimis globulis indefinitæ tenuitatis, qui continuo ab æthere rotentur, circumvolvantur ac in perpetuo detineantur motu ac fluore. *Car. de Maets prodrom. chym. ration. cap.* 3. Quibus microſcopicæ adſtipulantur obſervationes. Ingenioſe eo modo protei hujus mirandi phœnomena explicantur, fateor, & religioni foret ab ea recedere ſententia, niſi me quædam morarentur dubia. Quod enim quovis modo diſperſus in globulos continuo coëat majores modo, modo minores; tales etiam oculus microſcopio armatus in præparatis deprehendat, penes me non concludit, minima mercurii corpuſcula hujus figuræ eſſe: forent enim eadem conſequentia aquæ particulæ ſphæricæ, cum guttulæ quælibet in aëre pendulæ & deciduæ, aut in planis, quorum poros ſubingredi nequeunt, commorantes tales ſint. Tales forent aëris particulæ bullæ: enim, dum pro Toricelli experimento anguſtioris diametri tubus repletur, quæ per craſſum mercurii corpus aſcendunt, aut etiam dum in vacuo Boyleano aqua ab aëre depuratur, totæ rotundæ & ſpæricæ ſunt. Tales forent olei particulæ: Oleum enim aquæ miſtum ſi concutiatur, in ſphærulas minores & minores, quæ mutuo ſuo congreſſu majorem ſed pa-

riter rotundam conſtituunt guttam, divellitur. Tales forent vitri particulæ, cujus guttæ vel ideo celebres, quod arte facta microſcopia multis paraſangis poſt ſe relinquant. Talis omnium ſpirituum corroſivorum figura foret: Ex deciduis enim ex roſtro retortæ in recipiens vas guttis componuntur. Omnium vero philoſophorum conſenſus eſt, omnium horum particulas ratione figuræ toto cœlo variare, quod etiam ex effectu non difficulter collegeris. Nec argumenti a mobilitate, volubilitate, & fugitiva mercurii natura ducti major vis mihi eſſe videtur, cum talia aër & aqua ſint, & minoris aut majoris ſaltem ratione different, quod tamen neutiquam rem variat. Inquiet igitur nonnemo, ſi mercurius nec calidus, nec frigidus eſt, nec tota ſubſtantia, nec occulta qualitate agit; nec acidum, nec alcali; nec terra ſulphurea & ſubtilis; nec ſulphur arſenicale; nec propria & innata facultate hoc agit, nec ex globulis conſtat, igitur obtinebit illud antiquum:

> *Queckſilber iſt* Mercurius.
> *Ein wunderlicher* Spiritus,
> *Der nicht erhärt't in Feuers-Gluth,*
> *Gar mancher ſich des wundern thut.*

Reſque redibit ad ultimum illud, neſcio. Vanus forem, ſi me funditus tot ſubactorum ingeniorum fundamenta ſubruiſſe vel ſaltem præſumerem, quin potius, ſicubi lapſus fuero, judicii imbecillitatem deprecor, nulloque labore, ut in viam reducar, patiar. Veniam tamen mihi exoro, ut eadem, qua alii, libertate uſus, quid ſentiam, promere liceat.

THESIS XI.

Cum Renatus des Cartes *principiorum philoſophiæ parte quarta* §. 58. ad contemplationem terræ interioris, quam tanquam e materia orientem, ſpectaverat, acceſſiſſet, ita ſcribit: *Verum infra iſtam ſuperficiem partes corporis C minus arcte ſibi mutuo adhærent; ac etiam forte in quadam ab ipſa diſtantia, multæ ſimul ſunt congregatæ, quæ figuras habent tam teretes, & tam læves, ut quamvis ob gravitatem ſuam ſibi mutuo incumbant, nec, quemadmodum aquæ partes, globulos ſecundi elementi undique circa ſe fluere permittant, facile tamen agitentur, tum a minutioribus ex iſtis globulis, qui nonnulla etiam ſpatia inter ipſas inveniunt, tum præcipue a materia primi elementi, quæ omnes anguſtiſſimos angulos ibi relictos replet. Atque ideo liquorem componunt valde ponderoſum & minime pellucidum, ejuſmodi eſt argentum vivum.* Hujus occaſione cogitare occepi, mercurium ab aqua vulgari non alia re, quam particularum gravitate diſcrepare, atque ad illius differentiam aquam mineralem, licet vulgaris illa regno minerali etiam annumeranda ſit, appellari poſſe; in quo tanto magis confirmabar, quanto magis advertebam, inter utriuſque phænomena magnam eſſe affinitatem. Niſi enim mercurii particulæ

culæ (*Vide ſis Ren. des Cartes meteora cap.* 3. e quo de natura aquæ loquendi & ratiocinandi modos, ut mercurio applicem, & dictis veritatem conciliem, mutuor) longæ, læves, flexiles & lubricæ eſſent, æque facile, aut difficile illi eſſet, in quotlibet & cujuslibet figuræ partes dividi, atque ideo vel non tam libere, quam ſolet, illaberetur corporibus, quorum meatus ſatis laxi ſunt, ut plumbum, ſtannum, aurum; vel etiam quodammodo in ea penetraret, quæ arctiores illos habent, ut ferrum & vitrum. Deinde niſi mercurii partes eam haberent figuram, non tam facile ex poris aliorum corporum, quos inſederunt, calore expellerentur. Hinc eſt, quod molliter ſupra linguæ nervos fluitantes & ſemper in latera jacentes, ob facilitatem, qua flectuntur, vix guſtu ſentiri poſſint. Subtiliſſimæ particulæ, vel a ſola primi elementi materia, vel etiam minutiſſimis globulis commotæ, in metallorum poros adactæ, & in illorum minima ubivis impingentes, ſi obvient, quæ minus quieſcant, quam ipſæ moveantur, eas loco pellunt, texturamque metalli deſtruunt; aut ſi in quiete magis illa perſeverent, compage ſervata retroaguntur. Addantur mercurio corpora, quæ figuræ & magnitudinis ratione poros ejus ſubingredi valeant, qualia a poſteriori ſalia acida eſſe deprehendimus; hæc intra poros ſuperficietenus ob particularum gravitatem recepta, præbebunt occaſionem partibus mercurii, quæ a motu non ceſſant, illa interlabendi, & ſe ipſis inſtar annullorum circumvolvendi, horumque ſpiculis irretita a materia ſubtili, ob ſuperficierum inæqualitatem particularumque pondus, moveri nequeunt, ſed cum iis in ſolidum ac durum corpus concreſcunt. Cujus ſalia cum a minimis mercurii particulis, & hæ viciſſim a ſalibus ſint diſcontinuatæ, ſpiculis ſuis, ſpiniſve horrida, jam minimos, quod antea non poterant, ſubeunt poros, & vel illos ex parte obſtruendo pariunt inflammationes, vel ſubtiliſſimas fibras diſcindendo corrodunt, adeoque corroſivi naturam induunt combinata, utut ſingula ſeorſim tale non ſint, quale quid in mercurio ſublimato obſervare eſt. Involvantur rigida iſta tela ſalium pluribus mercurialibus annulis, ſuperficies aſpera lævigabitur, acumina recondentur, mercuriuſque ex corroſivo fiet dulcis; ſi nempe commixtio non ſuperficiaria, ſit ſed debita induſtria, bina nimirum vel trina ſublimatione fiat. Sublimatione inquam, cujus ope ſalia cæteroquin fixa ad aliquam uſque altitudinem, mercurio juncta, attolluntur, cujus contrarium in partibus aquæ contingit; quæ totæ relictis ſalibus avolant. Quod non tantum accidit, quia illis majores ſunt & ponderoſiores, ſed etiam, quia cum longæ ſint & rectæ, non diu in aëre librari poſſunt, ſive ulterius aſcenſuræ, ſive deſcenſuræ, quin altera earum extremitas deorſum pendeat, atque ita terræ ad perpendiculum immineat. Sive enim ad aſcendendum facilius, ſive ad deſcendendum aërem hoc ſitu, quam ullo alio, ſecant. Hoc non eodem modo fiet, ſi aquæ mercurius ſubſtituatur, licet enim ratione ſalium tunc nulla fiat mutatio, mercuriales tamen particulæ illis ſalium jam præponderant, adeoque illas impulſæ calore aliquouſque ſurſum pellunt, donec nempe vires ſalium ad deſ-

deſcendendum illis mercurii ad aſcendendum æquivaleant: tunc enim hærent, & in unum coeunt corpus, in quo ſalium ſitum perpendicularem ex ſtriis manifeſte legas. Ex dictis abunde colliges, facile ab his, ſimilibuſve mercurium denuo ſeparari, ſi modo cauſa acceſſerit, quæ paululum ſalium ſpicula diſcontinuet: limatura nempe martis, vel ſimile quid, partim ut liberiori ignis actioni mercuriales expoſitæ particulæ, quod illis ob lubricitatem facile eſt, ab iis ſecedant, partim ut eadem ſalium ſpicula in poros martis, calcis vivæ, cinerum clavellatorum recepta graviora facta ab iis aliquouſque attolli nequeant, tunc in vapores ſolutæ, in fundo recipientis collectæ, priſtinam formam induent. Perinde ut aqua marina, dum arenas permeat, dulceſcit, quod partes ſalis inflexibiles, non ut pares aquæ dulcis, per exiguos iſtos anfractus, qui circa ſabuli grana reperiuntur, labi poſſint; aut eadem in recens à D. Robert Fitz Gerald, equite inventa machina & dulcis & ſaluberrima fit. Mercurii etiam ſuperficies, ut & aliorum omnium liquorum, perpetuo æqualis & maxime lævis eſt, quia partes quædam illius inter ſe uniformi gaudent motu; partes quoque aëris, vel aquæ illam tangentes, pari inter ſe agitatione feruntur: At mercurii partes alia ratione & menſura agitantur, quam aëris &c. & præterea materia ſubtilis partibus aëris circumfuſa, longe aliter movetur, quam ea, quæ mercurii partes interfluit. Atque hinc ſuperficies utriuſque politur, plane eodem modo, ac ſi duo corpora attererentur, niſi quod longe facilius, ac fere in eodem inſtanti hic lævigatio fiat, propter partium, quæ in liquidis ſunt, mobilitatem. Atque ex eadem cauſa mercurius in ſphærulam glomeratur. Qui proinde mercurium figere allaborat, idem agit, ac ſi aquam igni admoveret, & evaporationem ejus inhibere vellet.

THESIS XII.

Hujus indolis particulæ, quas ſine requie ſubtiliſſimus commovet æther, quovis modo corpori admotæ ejus ſubtiliſſimos poros, & neſcio, quos non mæandros, ſubeunt faciliime; accedente corporis calore in indefinitum diſcontinuatæ & in halitum reſolutæ, nihil relinquunt inacceſſum, nec viarum terminis coërcentur, quin etiam exterius admoti auri poros ſubintrant, ſuo livore conſpicuæ; quicquid humorum vel ſanguinis alicubi latet, illorum ſalibus circumvolvuntur, quibus cum vel inſenſibiliter tranſpirant; vel in ventriculum & inteſtina depoſitæ vomitus, diarrhœaſque excitant; vel per diureſin ejiciuntur; vel alias in corpore tragœdias ludunt, quæ cum penſi noſtri non ſint, qui ſalivationem excitent, ſolum videbo. Mercurii particulæ ſanguinis & humorum ſalia cum attingunt, iis circumvolvuntur una cum aqueis, a quibus hactenus ſuſtentatæ fuere, cumque iis ordinario fluento abreptæ omnes corporis alluunt partes, quas vel inſalutatas relinquunt, vel ex poris ſibi congruis, ſi tales invenerint, elabuntur, & hoc quidem ſolito facilius, quod gra-

vi-

vibus onuſta ſalia particulis, multo ægrius a fluido deferantur, parumque abſit, quin oneri ſuccumbant, niſi a perennibus fermentationibus & jugi corporum calore adjuvarentur. Cum tali diſpoſitione ad glandulas ſalivæ ſecretioni dicatas, *theſi* 2. recenſitas, accedit ſanguis, in quarum poris promptiſſime ſerum, his ſalibus fœtum, ſequeſtratur, & fauces ſaliva irrigantur. Non quod ad has glandulas primario feratur, ſed quod hic loci ſucceſſive accedens ſanguis hanc ſalium ſaburram deponat, tandemque omnis ſucceſſive ſuo appulſu depureтur. Nec ſola ſalia cum aqua e ſanguine ſolito majori copia hic ſecedunt, ſed multa inſuper viſciditas evacuatur, partim quod illi tranſmittendæ glandularum pori aſſueti ſint, partim quod a ſalibus mercurio onuſtis, adeoque gravioribus, diſcontinuatæ & e latibulis pulſæ una abripiantur. Hæc prima ſalivationis origo, indies tamen illa augetur, quod ſua acrimonia partes faucium lædat, obſtruat, inflammet, inde, per quas redire ſolebat, viæ obſtruuntur partim, partim lenes excitantur convulſiones, quæ ſeri præcipitationem urgent, excretionem facilitant, movent & promovent. Quo ipſo ſui generis æther per poros humoris iſtius oberrans vorticem deſcribit, & congeneres omnes particulas alias, forſan præter lapſuras, ſecum rapit, omnibuſque modis ſalivæ proventum auget.

THESIS XIII.

Fatalis omnium remediorum generoſorum ſors ſalivationem etiam mercurialem manet, ut nempe laudetur ab his, culpetur ab illis, pro utriſque experientiæ militant non paucæ. Et quamvis a priori ratiocinando aliquid determinare poſſimus, quoties tamen experientiæ non congruunt ratiocinia, juſtus metus eſt, in iis paralogiſmum latere. Quantum igitur chartarum anguſtia patitur, in quibus profuerit, vel nocuerit ſcrutabor, num certi quid determinari poſſit, viſurus. In genere quidem *in morbis inveteratis & rebellibus, & ubi cauſa lenta eſt latens in ipſis partium internodiis*, teſte Zypæo *fundam. phyſ. anat. pag.* 356. convenit, cui *Wedelius*, *eam prodeſſe*, inquiens, *in morbis rebellibus, & ex vitio ſeri oriundis, in Amœnit. mat. med. pag.* 465. *&c.* adſtipulatur. Ac ſpecialiora hæc reſtringit *F. de le Boe Sylvius* ſcribens: *Et poſſet, imo deberet, in aliorum quoque affectuum rebellium curatione ſimiliter excitari, in ſcabie puta fœda & ordinariis medicamentis haud cedente; aliiſque affectibus ab humore glutinoſo & acri, ſanguini permiſto, & partibus pleriſque intime admiſto pendentibus. Method. med. lib.* 2. *cap.* 13. §. 16. *de hydrope* §. 171. 322. 323. Licet C Calderæ de Heredia hydrargyrum incertum & periculoſum ſit remedium, ſe tamen illud in omnis generis ſerpente ſcabie ſicca, ad lichenas, impetigines, pſoram & lepram & affectus perquam rebelles magno fructu uſurpaſſe *Illuſtrat. & obſerv. med.* 9. fatetur. Ulcerum ſordidorum efficaciſſimum curativum ait *J. H. Cardilucius in officin. ſanit. cap.* 303. Horum

ut & luis venereæ eſſe alexipharmacum vult *Ambroſ. Paræus lib.* 21. *cap.* 45. Nec ulli affectui rite ac certe curando magis quam lui venereæ competit ſalivatio, quapropter curationem ipſius per ſalivationem cæteris præfert, utpote cum talis ſit, quæ non facile ullum recidivæ metum poſt ſe relinquat. *F. de le Boe Sylvius prax. med. app. tract.* 3. §. 304. In malo hypochondriaco & melancholia laudat *Rolfinck. in meth. Gen. p.* 510. Nec ſcorbutus illam reſpuit, uti videre eſt in *M. A. N C. Dec.* 2. *a.* 3. *obſ.* 173. Debili & emarcidæ ſcorbuticæ plurimum levaminis ſalivatione attulit *Thomas Willis Pathol. Cerebr. cap.* 1. Sputum oris copioſe & diu perſiſtens quoſdam inſanos perfecte curavit *Th. Willis path. part.* 2. *cap.* 12. *Idem* cum in epilepſia cathardica & ſpecifica aliquandiu tentata prorſus in caſſum cedunt, ad magnum hoc remedium deveniri debere vult. *pathol. cerebr. cap.* 3. In cæteris etiam convulſionum ſpeciebus paſſim commendari legas. Pertinaciſſimam colicam leni excitato ptyaliſmo ſæpius radicitus ſublatam ex obſervatione *Williſii pathol. part.* 2. *cap.* 15. conſtat. Huc loci quodammodo quadrat, quæ in Ephemeridibus Germanicis exſtat obſervatio de mercurii crudi uſu in colica ſpaſmodica, a fæcum duritie oriunda, quando ingeſtæ mercurii unciæ quatuor ad ſeptimum diem in corpore latuere, quæ quinto ab aſſumtione die lenem, abſque corroſione partium oris internarum, ſalivationem excitarunt, & ſeptimo demum die cum excrementis egreſſæ levamen attulerunt. *Dec.* 2. *an.* 5. *obſ.* 231. Nec metus ſit genere nervoſo affecto illam obeſſe: ſæpe enim laudatus Williſius propria & quorundam aliorum medicorum experientia ſatis comprobatum habet paralyticos quoſdam ea ſanatos. *Path. part.* 2. *c.* 9. Cephalæam gravem & miſerrime affligentem per inunctionem curari expertus eſt *Rolfinck. ord. & meth. med. ſpec. comm. lib.* 2. *ſ.* 2. *art.* 1. *part.* 3. *c.* 26. *p.* 164. Podagricorum cruciatus ſuſtuliſſe ait *Wedelius de facultat. med. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 12. Franciſcus de le Boe Sylvius non negat, in quibuſdam pituita multa eaque viſcida gravatis arthriticis utilem quandoque extra paroxyſmum fore ſalivationem *prax. med. append. tract.* 8. §. 176. Medicorum ſic dicta ſcandala domat, hydropem intellige & quartanam. A quo tempore virgo illuſtris ſalivare cœpit, paroxyſmis ſtatim caruit *Th. Willis de Febr. cap.* 6. Idem vide ſis apud *Ballonium lib.* 2. *epidem. & Eph. p.* 131. Hydropica ſcorbutico-cachectica quatuordecim dierum ſalivatione in totum ab utroque moleſtiſſimo malo liberata, & perfecte ſanitati reſtituta eſt *M. A. N. C. dec.* 2. *an.* 3. *obſ.* 173. *& dec.* 2. *an.* 4 *obſ.* 36. Hocque reſpectu ſine dubio *J. B. Helmont.* mercurium, præcipitatum ait curare omnem hydropem, non quatenus purget, ſed in quantum materialiter tranſiens per inteſtina reſolvat extravenatum cruorem *Ignotus hydrops.* §. 39. Rarum eſt nimiæ pinguedinis cauſam per eandem abigi, fecit tamen id tribunus mercurio dulci, ad eam ejus doſin aſcendens, ut apertis gingivarum laxitatibus non perfunctorius conſecutus ſit ptyaliſmus, & terque quaterque ſibi gravem, aliis inviſam, pinguedinem exſpuit, apud *D. Olaum Borrichium act. Haſn. vol.* 1. *obſ.* 74. Ex *Alex.*

Traj,

Traj. Petronii lib. 5. de morb. Gallico. cap. 1. libri ſui primi obſervationem 399. deſumpſit *Th. Schenckius*, qui ſuffuſionem denſiſſimam, ante luem veneream contractam, hydrargyri inunctione diſſolvit; hancque reliquis remediis non conferentibus morbo prope ad deſperationem verſo, ad experimentum reduci mereri ſcribit *L. Riverius prax. med. lib. 2. cap. 5.* Ophthalmiam deſperatam inunctione ſuſtulit *Am. Luſitanus.* In plica Polonica præter Herculem Saxoniam illam eſſe certiſſimum remedium & infallibiliter curare, ſe pro certo ſcire, & ſæpiſſime probaſſe ſcribit *D. M. Bernhard a Bernitz M. A. N. C. dec. 1. an. 2. obſ. 52.* Imo eo tandem res redit, ut præſtantiſſimis antiloimicis annumeretur mercurius, & per ſe magnum & multorum contagioſorum morborum dicatur remedium. Teſtes invocant incolas Gorlizienſes, in quorum montibus effoditur, utpote penes quos peſtis nunquam graſſetur *Claud. Deodatus panth. hygiaſt. lib. 3. pag. 96.*

Thesis XIV.

Hydrargyrum omnis inſipientiæ aſylum, omnis temeritatis refugium, cujus venenum illi ſolum effugiant, quorum vires conclamatam violentiam ferre poſſint, graphice ſcribit *Caſp. Cald. de Heredia in trib. med. pag.* 103. In cutaneis affectibus inefficaciam ſalivationis mercurialis expertus eſt Williſius, qui impetiginem illuſtris virginis ea quidem oppugnavit, non vero expugnavit, quin morbus ille, licet exactam victus rationem habuerit, ſenſim repullulaverit, & licet eundem ſputationis & ſudationis curſum per bimeſtre ſpatium repetierit, ut recuperare valetudinem fuerit viſa, intra ſeſquimenſem tamen a medicina finita majorem quam antea totius corporis deſœdationem acciverit. Obſervavit idem in vitiligine alba alium quendam tertia vice moleſtiſſimum id remedii genus ſubiiſſe, & licet affectus abigi viſus fuerit, rediiſſe & durante patientis vita tyrannidem ſuam exercuiſſe *Pharm. rat. part. 2. ſect. 3. cap. 7.* Nec paucos inveneris, qui illum in lue venerea damnant; *Sylvaticus* luis hujus eſſentiæ adverſari negavit; *Ulricus ab Hutten* auxilium paucorum dierum; Aquilanus ſophiſticam curationem eſſe; *Montanus* reprimere quidem morbum, ſed ita, ut deterior recrudeſcat; *Fernelius*, ſymptomata, radice neglecta, auferre; *Faventinus* mendacem & periculoſam eſſe; *Tomitanus* aperte damnat; quos omnes longa ſerie recenſitos videas apud *D. Sennertum Tom. 3. lib. 6. part. 4. cap.* 21. Binos ſe vidiſſe ſcribit Fernelius, quorum alter poſt alipticam & hydrargyri inunctionem exacto decennio, alter vero biennio, recidivam paſſi ſunt *Lib. de Lue ven. c.* 7. In eo magis confirmantur, quod ſæpe illa lues fruſtra hydrargyro tentetur *River. obſ. cent. 4. obſ.* 29. Imo ſepties etiam hydrargoſin paſſus ſarſaparillæ decocto fuerit reſtitutus *T. Schenck. obſ. med. lib. 6. obſ. 1. de lue venerea.* Et quidem tanto magis in lue venerea abhorrebant, quod illam comitentur convulſiones, ſpaſmi artuum atque ſuffocationes *L. River. cent. 1. obſ.* 77. Quartana tantum abeſt ut a ſalivatione fuerit curata, quin potius, cum

ejus nullum amplius in corpore veſtigium deprehenderetur, excitato ptyaliſmo ex inopinato rediit *Th. Barthol. act. Haffn. med. vol.* 5. *obſ.* 66. Hypochondriacus unctus in remedio mortem invenit *M. A. N. C. dec.* 1. *an.* 1. *obſ.* 80. In arthritide inunctionis tam infauſtus exitus fuit, ut æger triſti ſpectaculo vitam miſere amiſerit *M. A. N. C. dec.* 2. *an.* 4. *obſ.* 120. Non ſine commiſeratione leguntur, quæ refert *G. Fabr. Hildanus* de puero duodecim annorum, qui cum ſalivatione non ſine vitæ periculo defunctus eſſet, ab eo tempore collum undique nodis & ſcrophulis ſcatuit; defluxiones ad oculos adeo copioſe paſſus, ut ſiniſtri oculi uſum amiſerit, & dextro nihil diſcernere potuerit, ex aure materia ichoroſa & purulenta cum auditus depravatione deſtillaverit, & ulcera ad dextrum oculum & os jugale manaverint. *obſ. chir. cent.* 5. *obſ.* 92. In antiqua cephalea, morbo non ſanato, cæcitatem intuliſſe refert *Th. Willis part.* 2. *pathol. cap.* 2. Quale quid ſe etiam vidiſſe teſtatur *C. Cald. de Hered. trib. med. obſ. p.* 103. Vetulam cachecticam & ad hydropem inclinantem cerato ex argento vivo circa nucham appoſito, cum aſthmatica eſſet, ſuffocatam refert *P. Foreſtus obſ.* 4. *lib.* 30. Utque tandem ex antiloimicorum, ſeu bezoardicorum numero expungerent, plurimis inſtructi ſunt, ſed triſtibus, experientiis; impræſentiarum illa Bartholini ſufficiat, ubi ex febre ardente & maligna decumbentis pulſibus utriuſque carpi alligatus mercurius, ut nempe calorem febrilem exſtingueret, illum ante exactas viginti quatuor horas ita exſtinxit, ut æger in libitinæ rationes fuerit tranſcriptus. *Act. Haffn. vol.* 5. *obſ.* 52.

THESIS XV.

Quantum felici reſtitutione deſperatorum erigitur animus, tantum tot infelices eventus eum percellunt, in bivio conſtitutus quo ſe flectat neſcius ad ratiociniorum anchoram confugere oportet, ut, ponderatis rite omnibus, tutus in medio incedat. Qui affectibus ſanguini & humoribus acribus ac glutinoſis originem debent, mercurium expoſcunt: cum enim ille omnes corporis mæandros pererret & nihil inacceſſum relinquat, ubiubi hæſerint acres & viſcidi humores, quaſcunque in quibuſcunque partibus fecerint obſtructiones, corroſiones, tubercula, œdemata, ſcirrhos, cancros, arthritides, ad ſingula accedit; vias, quas reperit oppeſſulatas, reſerat; tenaces, ſi quæ motui ejus reſtiterint, particulas diſrumpit; ſalibus ſe aſſociat, quibus armatus reliquam pituitam incidit, attenuat, reliquaque ſalia a compedibus liberat & quæ effecerunt ulcera & corroſiones, iis purgat, quo facto humoribus ſuus reſtituit circulus; ſpiritibus animalibus ſuus in membra influxus & membris motus; de tenſione ſua remittunt fibræ cum doloris levamine; domantur rebelles affectus, inveterati e ſede ſua ejiciuntur. Quæ lepræ & pſoræ virulentia omnibus medicamentis major eſt, hujus cedit vigori, cum enim ſalibus corroſivis in his humores cum ſanguine abundent, quæ in partibus ſolidis hærendo,

Digitized by Google

rendo, qua molliores carnis, tendinum, nervorum; qua ſolidiores oſſium fibras corrodendo, triſtes ludunt tragœdias. Huic Herculi, ſi mercurium exceperis, nihil clavam extorquebit: quoad minima enim diſcontinuatus ſalia iſta loco pellet, ſuo fluento ſecum abripiet, nec minima illorum miaſmata ſeu fermenti reliquias, relinquet, ſed a præſenti partes liberabit incommodo & redituri affectus nullum relinquet metum. Pari modo in lue venerea, malo hypochondriaco, ſcorbuto, ſcabie ac ſimilibus morbis operatur: Licet enim in impetigine inefficacem; in lue venerea fallacem, imo periculoſam; in hypochondriaco malo lethalem, in arthritide triſtem paſſim deprehenderunt, hæc tamen non obſtant. Quod enim quandoque ſine ſolatio fuerit, eo ipſo e remediorum cenſu excludi nequit: vix enim ullum, credo, fore remedium, cui talis ſit prærogativa. Recruduerunt etiam morbi, qui ſanati viſi ſunt, & aliquoties reiteratam eluſerunt curam. Sed hoc cauſæ morbificæ tribueris pertinaciæ, vel quod remedii hujus uſum non diu ſatis continuaveris: Licet enim remediorum ultimum & ſummum ſit, non tamen omni exceptione majus eſt, quin vel difficultates reperiat inſuperabiles, vel ante perfectam ſanitatem conſecutam intermiſſum recidivæ ſemina relinquat. Infauſti, fateor caſus, ſunt theſi antecedenti commemorati, ſed imperitiæ medicantis imputandi, qui vel nimis ſubito humores commoverunt, non attendendo vires ægri, vim ſalium corroſivam, eorumque copiam, humoris viſcoſitatem, obſtructionum pertinaciam, nervorum teneritudinem, corporis texturam, fermentationum robur vel debilitatem: hæc enim omnia ad bilancem ponderanda, ne de vita æger, de fama & bona conſcientia medicus periclitentur.

THESIS XVI.

Morbi, qui obſtructionibus a pituita ſine acredine originem debent, inter quos recenſeas licet leucophlegmatiam hydropem, paralyſin, dolorem capitis frigidum, œdemata, tumorum nonnulla genera, hiſque ſimiles vix reſiſtent: dum enim pituitoſas particulas ſola ſua gravitate, licet ſemper in corpore offendat ſalia, quibus onuſtus id facilius exequitur, divellit, ab invicem ſejungit, & ab iis factas in partibus ſolidis obſtructiones deobſtruit, quidni leucophlegmatiam, anaſarcam curabit, & ab iis ſuppreſſos menſes ducet? ab infarctu ſeroſa liberando vaſa, hydropem; nervos, paralyſin, cerebri poros, cephalæam, &c. oppugnabit? Quin imo ſin amauroſi laborans, licet cæteroquin ſaniſſimus, hanc ſubiret, de reſtituendo viſu non deſperarem: cum enim illa fiat a minima quadam circumſtantia, qua nervus opticus a pituita obſeſſus eſt, mercurius vero minima pervadat, ſperandum fore, ut nervus opticus ab eo liberetur, præprimis cum *Th. Bartholinus epiſt. medic. cent.* 4. *epiſt.* 92. referat, diuturnam cæcitatem centurionis Batteville plene ſublatam fuiſſe ptarmico mercuriali ad granum unum, per nares quotidie aſſumto. Nec abſterrere debet, quod cæcitatem quandoque intulerit, cum enim jam dum cæcus ſit, hoc paſſu illi pejus ac-

cidere nil poteſt, Cum etiam nervi optici obſtructio a minimis ſæpe dependeat circumſtantiis, æque fortuito fieri atque auferri poteſt. Ab exhibito ſudorifero virum, viſu cæteroquin valentem, Dominus Præſes gutta ſerena correptum vidit, ſed unicus hic fortuitus & infelix eventus mille num nos commodis, quæ a ſudoriferis habemus, privabit? Non certe.

Thesis XVII.

Morbis, quos fomes accendit, optatum ab ea ſpondeo ſucceſſum, nempe epilepſiis, febribus, morbiſve periodicis. Toties illi invadunt, quoties fermentum latibulo ſuo egreſſum humoribus maſſæve ſanguineæ miſtum cum iis luctatur. Vix itaque aliter his morbis opitulabimur, quam illud ejiciendo. Præſtant id ſæpe ſæpius vomitoria, ſi in ventriculo vel ei vicinis partibus is reperiatur; præſtant id ſæpe ſæpius ſudorifera, licet in remotiorum partium dummodo non nimis pertinaciter occluſis tubulis ſtagnet, quo ſine utplurimum reiterare opus eſt. Sed iſte focus quandoque eſt adeo remotus, & ab inſultu diaphoreticorum tam bene munitus, ut illorum impetus fruſtraneus ſit. Has difficultates ſuperabit facile mercurius, & ſonticos hos morbos tollet. Non nego quidem & febres inde ortas eſſe, non quod illas produxerit, ſed quod fomitem, quales ſine dubio plures ſemper in noſtro ſunt corpore, recluſerit, qui ab animi paſſionibus, aliiſve pari facilitate aperiri potuiſſent.

Thesis XVIII.

In modo recenſitis & congeneribus morbis, cum rebelles fuerint, ad ptyaliſmum mercurialem confugiendum eſſe reor. Sunt vero non pauciores, in quibus ab eo penitus abſtinendum. Peſti, febribus malignis, ardentibus, omnibus inflammationum ſpeciebus, hæmorrhagiis quibuſvis, dyſenteriis & aliis, quæ longa ſerie recenſere facile foret, exitialis eſt. Cum enim mixtura ſanguinis jam dum turbata eſt, eam magis turbabit: cum ille nimium commotus e vaſculorum orificiis exſudat, aut effluit, ab hoc magis concitatur morbique in pejus vergunt. Sed obiter hæc innuiſſe ſufficiat; ex dictis enim liquere putem, in quibus morbis ab eo aliquid ſperandum ſit, reliqua prudentis medici judicio committo.

Thesis XIX.

Provocata ſalivatione cum tot ſonticorum morborum averruncus mercurius eſſet, qua arte id fieret commodiſſime cogitatum eſt. Mercurii vim ex eo colligebant, quod operarii in mercurii fodinis fiant brevi paralytici & moriantur hectici, imo tam pleni fiant mercurio, ut ſi fruſtum æris ori imponant, aut digitis fricent, id, ac ſi mercurio fricatum eſſet, inſtar argen-

genti album reddant; Illi etiam, qui Venetiis in ſuperficie averſa ſpeculorum illinenda operantur, apoplexiæ obnoxi ſint *Act. Anglic.* 1665. *menſ. April.* Alii etiam a ſolo unguenti vapore paſſi ſint, ſalivationem, alii mirum debilitati *Guilh. Fabric. Hildan. obſ. chirurg.* 98. & 99. Adeoque videbant, mercurium, ſive extrinſecus corpori admotum, ſive intro ſumptum, eandem ludere fabulam, unde in alios identidem atque alios illum applicandi incidere modos. Placet aliis crudus, præparatum eligunt alii. In genere duobus modis adhibetur, vel enim per os introſumitur, aut per univerſos corporis poros ſubintrat. Foris corpori per cingulum, epithemata, emplaſtra, ſuffumigia & unguenta admovetur.

Thesis XX.

Cingulum quod attinet, pannum duos digitos tranſverſos latum mercurio crudo & axungia porcina vulgari modo extincto imbuunt, nudis lumbis induunt,& per tres circiter hebdomadas dies noctesque geſtant: aut etiam mercurium crudum ſaliva extinguunt, albumine ovi excipiunt, goſſypio inducunt, corio inſuunt, inde zonam, vel armillas conficiunt, atque tamdiu geſtant, donec ſufficiens ſalivatio ſuperveniat: Exemplum vide ſis apud *G. F. Hildanum obſ. chir. cent.* 5. *obſ.* 93. Commodum fateor mercurium applicandi genus, quod negotia ſolita pertractandi libertas ægris concedatur, & ſi obſervata infra memoranda victus ratione, corpore rite præparato exerceatur, non video, quid reliqui ſalivationem excitandi modi præ hac habeant prærogativæ; totius nempe rei cardo in extrinſeca mercurii applicatione verſatur. Inter medicamenta monſtroſa ob triſtia exempla referri non neſcio, ſed non video alios ſalivandi modos eſſe tutiores, cum omnium Practicorum querelæ aliud loquantur. Sciſcitarer, cur inunctio, quam omnes fere commendant, huic prævaleret, niſi quod inunctione ipſi corpori magis ſubitaneo progreſſu mercurius applicetur, qui in zona aſſervatus & pedetentim & tardiſſime humoribus miſcetur?

Thesis XXI.

Lavatoria aliis arrident, cum nempe liquore aliquo dilutus mercurius extrinſecus adhibetur, aut linteamina, aqua mercurii madefacta, forma epithematis imponuntur, aut panno huic intincto madeſiunt tibiæ illinunturque a genu deorſum, & brachia a cubito antrorſum repetitis vicibus juxta focum vel fornacem, mane nonnunquam & veſperi, perſeverando ad decem uſque dies, donec ſputationis ſigna appareant. Cumque mercurius ſublimatus in aqua commodiſſime ſolvatur, ejus uncia una cum aquæ vel ſimplicis, vel deſtillatarum libris duabus, pro ratione operationis tamen mercurii quantitatem minuendo augendove, miſcent bulliendo & uſui reſervant, quibus alii ceruſſam, lithargyrium, alumen, arſenicum, euphorbium;

bium, chalcantum, addunt, ut aqua fiat acrior, cutem adurat, veſicas excitet *Fel Platerus Prax. Tom.* 3. *cap.* 4. *pag.* 452. Ptyaliſmi provocatio cum unicus ſcopus ſit, quid ad eum ceruſſa, lithargyrium, alumen contribuere valeant, non video. Ad acrium & corroſivorum mentionem horreo, quæ cutem excoriando afflicto alias ſuperaddunt afflictiones, & ſi poros ſubierint, ſali acri corroſivo, quem educere mens eſt, novas ſuppetias ferunt, & vel hoc nomine à lavatoriis abſtinerem, ſi vel ex ſolo mercurio ſublimato compoſita forent, cum ipſe extrinſecus cutem inflammet, ac ſalia corroſiva intro rapiendo, utut ſalivare faciat, ſimul de novo corpus lædat.

Thesis XXII.

In officinis emplaſtrum Vigonis de ranis cum mercurio in ſimiles uſus proſtat. Quod emplaſtrum, ſive illud ut à Vigone profectum, ſive ut à Zwelffero correctum conſiderem, farrago eſt multorum ingredientium ad noſtrum ſcopum penitus inutilium. Durioris enim conſiſtentiæ eſt, quam ut mercurius à compedibus, quibus detinetur, ſe liberare facile poſſit. Olea vero & pinguedines pretium potius augent, ſola ſatius erit terebinthina; certa poros obſtruet; euphorbium cutim rubefaciet. Si tamen emplaſtrum deſideret delicatulus, ex mercurii uncia una cum ſemiſſe, terebinthinæ unciis duabus ac libris duabus emplaſtri de meliloto, mucaginum &c. parari poterit. Alutis inducta emplaſtra manibus, pedibus, ſpinæ longitudini omnibuſque iis locis, quibus unguenta inunguntur, imponantur, continuo dies noctesque geſtentur, tertio quartove renoventur. Interea ſæpius ſudet æger, tamdiu continuando, donec ſigna ſalivationis appareant. Minus moleſtum hoc remedii genus eſt, ſed quia tardiſſimæ operationis eſt, & vix unquam ſalivationem, aut non ſufficientem, movet, in deſuetudinem abiit, cum morbo impar & ipſa diutina geſtatione ſatis moleſtum ſit.

Thesis XXIII.

Suffumigiis ſalivæ fluxum excitaturi, ægri corpore præparato, illum nonnulli ovis ſorbilibus, offis in vino generoſo, aut aliis alimentis, antequam ſuffumigia recipiat, nutriunt; alii jejunum ventriculum requirunt. Quo facto parvum cubiculum inſigniter calefaciunt, ſuffumigiis igni impoſitis fumum excitant, quem æger non toto ſolum corpore, ſed ore & naribus excipere debet. Nonnulli ſuffumigii tempore aliquem ore continere jubent ſyrupum, v. gr. roſaceum, aut aureos nummos; illum, ut medicamenti malitiam obtundat; hos, quia peculiari vi argentum vivum illis adhæreat *H. Fabritius ab Aquapendente*, *Medic. Pract. Lib.* 3. *Cap.* 35. Solium ſeu labrum eo fine alii parant, vel ſtramineo fornice tectum, vel tentorio

torio ex pannis concinnato, vel quovis alio modo ita paratum, ut circa collum accurate claudi queat. In hoc ſedens æger fumum excipit toto corpore, facie excepta; in hoc tabernaculo moram trahit æger, donec fumum viribus non labentibus perferre potis eſt. Alii prope caminum fumigant, ne fumus diutule includatur, ſed mox per caminum egrediatur, ægerque liberius exſpiret. Alii in lectum collocant ægrum, qui fumum in vaſe, quod exacte claudi poteſt, extra lectum poſito excitatum per canalem ab eo vaſe ſub ſtragulis ad ipſum uſque tranſeuntem corpore nudo excipit, & illic occluſum retinet, capite interim è lecto prominente & ſub finem ſolum reducto & aliquandiu retento *Felix Plater. Prax. Tom.* 3. *Cap.* 4. *pagin.* 450. Dum hæc fiunt, ſollicitè providendum, ne æger animo deficiat, illud enim ſi animadvertatur, confeſtim eximendus & idoneis medicamentis refocillandus. Fumus ita injecta continuo alia & alia materia per horam, aut minus, habita vitium ratione continuetur, tunc æger linteis involutus in proximum lectum, vel etiam muſæum deportetur & in eo, abſterſo ſudore, quieſcat, & ab omni aëre frigidiore ſibi caveat. Hoc nonnulli indies bis, alii ſemel tantum, vel debiliore ægro alternis diebus, imo per aliquot dies ceſſando, modò continuatis, modo interpolatis vicibus, donec exſpuitio cum aliis ſymptomatibus plura prohibeat, reiterant. Suffitus excitari poteſt ſola cinnabari factitia, ejus ſingulis vicibus drachmam unam injectione in prunas conſumendo. Ut tetrum, quem ſpirat incenſa cinnabaris, odorem corrigant, ſuaveolentium addunt pulveres, nempe maſtichis, olibani, ſtoracis calamitæ, radicis iridis, caryophyllorum, cinnamomi, nucis moſchatæ. v. gr. Rec. cinnab. unc. dimid. oliban. benzoin, maſtich. ãã drachm. vj. M. F. *pulvis* pro 4. vicibus; aut eadem cum terebinthina, ſtyrace liquida, vel tragacantho poſſunt formari in trochiſcos, aut etiam mercurius crudus cum terebinthina, ſimilibuſve odoratis, in trochiſcos redigi poteſt. Doſin mercurii facile colliges, dummodo memineris ex una parte ſulphuris & tribus mercurii cinnabarim confici. Hunc proceſſum laudari & vituperari animadvertas; aitque *N. Blegny Obſerv. in luem vener. cap.* 3. ſe experientia duce hanc deterrimam eſſe, indeque maximum dependere periculum, deprehendiſſe. Quamvis enim miſturam mercurii & humorum unice intendamus, illaque hoc modo prompte fiat, ab ea tamen potius abſtinerem, cum ſubito nimis fiat. Mercurius enim in motum actus omnia corporis interiora ſtatim pererrat, quod ſi ſucceſſive fiat, tutius multo eſt, unde non mirum inter ſuffiendum ægros animo linqui. Nullatenus etiam probo, ſi mercurii emendatio quæratur per ſublimati corroſivi, arſenici &c. admiſtionem, perniticſa enim venena ſunt. Non latuit hoc *Franc. de le Boe Sylvium,* qui quamvis ſuffumigia probet, quod fumo ad interioria corporis penetrante humores ubivis exiſtentes pituitoſi & glutinoſi acreſque paulatim ſolvantur & ad fluxum deducantur, præ hac univerſali tamen particularem, quæ fit fumo ſolo ore per infundibulum excepto, tanquam omnium tutiſſimam & in affectibus non nimis inveteratis aptiſſimam,

mam, laudat. Cum ſic paulatim excitetur ſalivatio moderata ſine ſuffocationis metu, & tantum ſalivæ ſingulis vicibus educatur quantum commode fert æger & ægri, æſtatis tempore domo egredi poſſint, ut vix, nec niſi à peritis, deprehendi queat *De Meth. Med. Lib.* 2. *cap.* 12. §. 30. *&c.* Nullus inficior, ita ſalivationem commode excitari, ſed mercurius illam in humoribus partium circum jacentium excitat, nec videtur ad remotiores pertingere, alias enim non tam facile ceſſaret. Inſpirando quidem ſanguini etiam miſcetur in ipſis pulmonibus, & cum eo ad artus pergit & humores; mallem tamen ego non adeo ſubito cor ingredi, lædit enim ſanguinis fermentationes, unde plurima incommoda. Subnaſcitur mihi ſuſpicio, quaſi ſalivæ effluxum primario intenderent, quem tamen ſaltem pro ſigno habeo, glutinoſos & corroſivos humores à mercurio oppugnari & educi, & mihi perinde eſt, qua ratione illi educantur, dummodo educantur. Retulit Dn. Præſes, ſe præſidiario militi cuidam lue venerea laboranti plurimas mercurii dulcis drachmas non interrupta ſerie exhibuiſſe, qui cum calido fornaci perpetuus aſſideret, ab eo nullum alium ſenſit effectum, nempe nec ſalivationem conſuetam, nec dentium vacillationem notabilem, nec nauſeam, nec diarrhæam, nec ſimile quid eorum, quæ contingere ſolent, niſi quod continuo ſudaret, & ita totus ſanatus eſt. Imo ſe ſæpius obſervaſſe, durante copioſiſſimo ſalivæ effluxu etiam ſpontaneos & copioſos ſudores e corpore manaſſe, & iis in locis, quos antea dolores pertentarant, frigidioris auræ exitum per diem unum, vel alterum ſenſiſſe ægros. Adeo ut, licet conſequens ſalivatio ſit ordinarium, ſalivatio tamen, qua ſalivatio non intendatur, vel curet, perinde atque e camino egrediens fumus ſignum eſt ignis in foco & quidem ordinarium, illum tamen nunquam intendunt focarii, & licet illum in camino excitarent, non tamen inde focus luculenter arderet, vel caro aſſaretur.

Thesis XXIV.

Tot encomiis Neapolitana unguenta extolluntur, ut multi, ne dicam plurimi, reliquis & recenſitis, & recenſendis modis ea præferant. Hinc factum, ut licet ſolus mercurius non ſolum principem inter ingredientia obtineat locum, verum ſolus ſit, qui noſtræ intentioni ſatisfaciat, tamen propter inſignem ejus, quam metuunt, malitiam alia addant, v. gr. Rec. argent. vivi unc. vj. olei veteris & de junipero āā. unc. jv. pingued. anatis, canis, ſuis āā. unc. j. ſem. M. omnia, agitentur diligentiſſime & ſerventur. Rec. rad. althææ, lilior. alb. ſerpentariæ āā. unc. ji. olei veteris unc. jv. decoquantur ad conſumtionem olei contundantur, & adde olei nardini, maſtichini, laurini āā. unc. ji. thuris, maſtichis, myrrhæ, lithargyr. āā. unc. ſem. miſturæ ſuperioris unc. vj. M. F. unguentum *H. F. ab Aquapendente Prax. Med. lib.* 3. *cap.* 35. Ut vis venenata melius infringatur, addunt theriacam, vel mithridatium. Si dolores capitis & oſſium

oſſium juncti ſunt, olea, irinum, cheirinum, vulpinum, lumbricorum & pulveres radic. ireos, hermodactyli & euphorbii, vel cum prioribus commutant, vel etiam iis addunt. Et ut penetrationem juvent, oleum ſpicæ, ſtoracem calamitam, & liquidam terebinthinam & petrolæum addunt. Ut nervis proſpiciant, ſucci rutæ, ebuli, ſalviæ oleis prædictis incoquuntur. Si cum puſtulis & ulceribus ſe prodat hæc lues, ſiccantia vel addunt, vel aliis ſubſtituunt, olea nempe de lateribus & hyperici, myrrham, ceruſſam, cineres ſarmentorum, eoque in caſu ſuccos fumariæ, lapathi, bryoniæ in oleis coquunt: addunt nonnulli æris æruginem. Horum omnium loco aliquando unguenta dialthææ, martiatum, arregon, agrippæ, enulatum &c. uſitata pro diverſis intentionibus, iis eadem proportione mercurium immiſcendo, præſcribunt. Vid. *Fel. Plater Prax. Tom.* 3. *c.* 4. *p.* 442. Et his & illis, qui medicamenta partes roborantia & quæ partes magis læſas & principales reſpiciant, nempe qui articulis laborantibus, ivam; ſi hepar, hepatica; ſi ventriculus, ſtomachica addunt, optime reſpondet *D. Sennertus*, *Prax. Tom.* 3. *lib.* 6. *part.* 4. *cap.* 21. Quod ſi præcipue ſalivationem & per ſputum evacuationem intendamus, operoſa tali compoſitione opus non eſſe, cum etiam hydrargyrus in minima redactus promptiſſime penetret; nec opus habere juvantibus, cum nulla ſint, quæ ille multis paraſangis poſt ſe non relinquat. Vix denique ſibi perſuadet, quod medicamenta extra inuncta ad ventriculum & hepar penetrent, eaque roborent. Quibus ſi inſuper addidero Zwelfferi in unguentum mercuriale animadverſiones, nempe adjecta mercurii vim tantopere infringere, nervoſque & membra roborare, difficilius probari, quam credi poſſe; cachinno dignam eſſe, roborando nervos & membra mercurii conamini ſimul reſiſtere & velle, ut ad partes penetret & noxia ex iis pellat; nec eſſe, ut credimus, craſſa illa & unctuoſa una cum mercurio penetrare, ſemperque illi adeſſe, ut malignitatem infringant. Multa potius obeſſe, quam prodeſſe; lithargyrium, cera, ceruſſa, gummata, mucilaginoſa, mel poros corporis potius occludant, obſtruant cutemque viſciditate & lentore imbuant *Johan Zwelfferus Animadverſ. in Pharmac. Auguſtanam Claſſ.* 17. *pag.* 351. Salivatio ſcopus eſt, ideo mercurio utimur, ad ejus ſubtilitatem accedit nihil quod ſtimulos eſſe poſſit, & ideo ſaltem in unguentum redigitur, ut corpori illini poſſit. Simplicius multo ſubſtituit *N. Blegny in Obſ. in Luem Vener. cap.* 3. §. 4. Recip. mercurii unc. jv. terebinth. unc. ij. ol. laur. unc. j. croci drach. ij. ungu. roſac. lb. j. ſemis. M. Sed cum ſimpliciſſima ſufficiat compoſitio, eligi poſſet *Hier. Mercurialis Med. Pract. tract. de Morbo Gallico cap.* 6. Rec. Argenti vivi lb. ſemis. butyri, aut axung. porcinæ q. s. ad inſpiſſandum & extinguendum mercurium. Ut ingrato odori conſulerem, ſolummodo mercurium in unguento roſato, vel pomato diſcontinuarem. Circa proportionem mercurii & unguenti, ſi dubius hæreas, non mirabor. In unguento Auguſtanorum mercurii ad reliqua proportio eſt, ut 6. ad 19. ſeu 1. ad 3. fere: in correcto Zwelfferi ut 1. ad 12.

In illo Aquapendentis præterpropter, ut 1. ad 3. In illo Blegny ut 1. ad 6. E Mercuriali nulla apparet proportio. Quantitatem in hisce recte diſtribuendis hanc fere obſervandam vult, ut mercurii unc. ij. cum axungiæ lb. j. quæ proportio eſt 1. ad 6. excipiantur, hancque eſſe mediam mercurii quantitatem, quam & augere vel minuere pro ratione conſtitutionis atque operationis modo licebit, ait ſæpe laudatus *l. c. Platerus*; quo modo recenſitas proportiones ſine labore conciliabis, res etiam magis verſatur in quantitate unguenti, quod ſingulis vicibus inſumitur. Sennertus toto inunctionis tempore ultra unc. vij. inſumi non vult, cum totidem in robuſtiſſimis ſufficiant, in debilibus unc. iij. jv. v. ſufficere, & quod propius rem ferit, ſingulis vicibus unc. ij. vel iij. unguenti uſurpandas, ſeu pro ſingulis doſibus ſcrup. ij. adſumendos, ex quo colligo, illum mercurii ad unguentum proportionem velle, ut 1. ad 24. In pueris autem tenerioribus pro ſingulis locis unguenti quantitatem lentis magnitudine ſufficere. Blegny unguenti ſui in primam inunctionem unc. ij in ſecundam unc. jv. adeoque prima inunctione fere drachm. iij. altera drachm. vj. inſumit. Nimiam feſtinationem fraudulenta vetat operatio, ultra drachmam unam igitur ſingulis inunctionibus non adſcenderem, ſæpius potius ungerem, cum cito ſolum, ſed etiam tuto cuſare debeamus, cumque illi tres ſufficiant inunctiones, illas toties reiterarem, donec optatus ſucceſſus adſit. Tali unguento tibias & femora, brachia uſque ad homoplatas ægri propè ignem luculentum, vel prope fornacem inungerem, vel ſemel, vel bis de die, vel etiam alternis diebus. Paucam in initio inſtituerem inunctionem, & ad omnes in corpore obvenientes mutationes attenderem, ægri corpore ad ſudorem ſemper compoſito. Sin futuræ ſalivationis ſigna non compareant, plurimi ad ſpinam dorſi cervicem uſque aſcendunt, fortiter etiam emunctoria in inguine & ſub axillis fricant, ita continuando, donec incipiant intumeſcere gingivæ atque angi & ardere fauces cum fœtore anhelitus: cum enim tunc in procinctu fit ſalivatio, ab ulteriori inunctione abſtinendum, ne æger ſuffocetur. Nec huic praxi repugno, mallem tamen unicam doſin mercurii ſublimati dulcis exhibere, quam ſpinam inungere, feliciſſime enim inunctioni opitulatur. Inunctus æger ſtatim ſtragulis operiatur lenem exſpectando ſudorem. Ita enim citius humores viſcidi ſolvuntur & mercurius promptius in corpus adigitur. Mercurii crudi loco unguentis addunt nonnulli cinnabarim factitiam, alii mercurium ſublimatum; & de mercurio præcipitato in ingenti abſceſſu abdominis notat *Guil. Fabr. Hildanus*, illum tantum ſalivationem excitaſſe, ut plerumque una die aliquot libras pituitæ rejecerit. *Obſ. Chir. cent.* 5. *obſ.* 114. Simile quid notavit Dn. Præſes in Friſia Orientali, cum in dolore hæmorrhoidum unguento inditus eſſet ſublimatus dulcis, incipiens vero cum mobilitate dentium & oris fœtore ſalivatio ulteriorem inunctionem prohibeat. A ſublimato tamen abſtinerem, quod vis ejus corroſiva & cuti & interaneis ſuſpecta & nullius uſus ſit.

THE-

Digitized by Google

THESIS X.X V.

His modis fere ſalivæ fontes recluduntur extrinſecus, verum ſi ore ſumatur, diſpar ratio eſt, ſive vivus, ſive varie præparatus ſit. Vivum recipiunt pillulæ Barbaroſſæ aliarumque pillularum formulæ, quas vivus ingreditur multis purgantibus ſtipatus, uti videre poſſumus apud Platerum: Cum tamen animus purgare non ſit, quin potius omnem, quoad fieri poteſt, alvi fluxum præcavere conveniat, & ſolus mercurius agenda agere debeat, ſimpliciſſimum adhibendi modum eligerem. Illius nempe grana ſex vel octo cum terebinthina pauca in pillulas redigendo, vel cum ſaccharo in pulverem conterendo. Cum tamen hactenus adeo receptum hoc non ſit, & minori famæ periculo præparatus idem efficiat, eo potius uterer. Salivationem ſequentibus inſtituit modis *Excell. Dolæus*, Conſiliarius ac Archiater Haſſo-Caſſellanus, vir multos & inſignes titulos promeritus *in Encyclopædia Medico-Pract. lib.* 3. *cap.* 15. Rec. Turpeth. miner. à gr. iij. ad v. mercurii dulc. gr. vj. M. F. pulvis, per aliquot dies, donec ſalivatiu ſubſecutura prævideatur, repetendus: Vel Rec. mercurii vitæ gr. ij. mercurii dulc. gr. vj. M. F. pulvis, vel cum conſerva aliqua bolus. Solent hoc in caſu turpethum minerale, mercurius ſublimatus, mercurius præcipitatus propinari, Celeberrimo tamen Dolæo aſſentior, qui ſalivationem mercurio dulci multo tutius ſe excitare affirmat. Hæc enim talia ſunt, quæ alvum vehementer commovent, ventriculum invertunt, & convulſionibus aliiſve facile anſam præbent; omnium horum mitiſſimus eſt mercurius dulcis, cujus inſignem quantitatem ſine noxa facile aſſumſeris. Non ita diu eſt, cum Dn. Præſes ſalivationem mercurio dulci procuraret, primo die mercurii dulc. gr. xjv. in quadam conſerva; ſecundo gr. xv. tertio ſcr. j quarto gr. xxvj. Tunc demum æruginoſum percipiebat ſaporem, lingua ab uno latere parum dolebat, ſubinde ſputabat, anima fœtere incipiebat; quinto nil ſumebat; ſexto cum hæc omnia remitterent, ſcrupulum unum ſumebat ſat copioſe; quartarium, ſeu menſuram ſalivæ ſe rejeciſſe putabat, gingivæ ſucceſſive intumeſcebant, ſapor æruginoſus in putridum degenerabat, urina ardebat & erat turbida. His ad duodecimum diem durantibus, aliis nempe evaneſcentibus, aliis recrudeſcentibus ſymptomatibus, ut fieri aſſolet, auram frigidam ex omnibus membris egredi dicebat, toto corpore ſudabat, ſputum erat acre & ſalſum nec hactenus alvus reſponderat; decimo octavo die menſes fluebant, ſapor æruginoſus redibat, dolores arduum remittebant, ſed dentes vacillare incipiebant. Ad diem trigeſimum uſque ſalivabat, totoque morbi decurſu aliquot phlegmatum libras rejiciebat. Magni itaque Sennerti verba, *loco ſæpius citato*, mea facio: *Omnino tutius eſt, in hoc morbo ea medicamenta mercurialia exhibere, quæ non ſumma violentia, nec tanto periculo alvum movent, continuato tamen uſu ſputationem vocant. Satius* enim *Fr. de le Boe Sylvius* ſcribit, *in ſalivatione movenda*

vendi lentius, adeoque cautius procedere, quam nimium feſtinando non quidem cæcos catulos parere, eſt ægris ſanitatis reſtitutionem expectantibus mortem accerſere, atque ſic eos necare, qui debebant ſervari & reſtaurari. de Meth. Med. l. 2. c. 13. §. 44.

Thesis XXVI.

Nil ſupereſt, niſi ut verbo addam, quid ante ſalivationem, quid ea durante, & quid ea peracta agendum ſit. Ante ſalivationem probe attendendum, ne morbus ſit nimis parvus, vel magnus. Si enim minoribus affectibus generoſo hoc remedio obviam ire vellemus, commodum forſan remedii tolerantiam non adæquaret, ſimiles illi, qui, ut unicum rebellem in ordinem redigat, militum legionem convocaret. Si nimis inveteratus & magnus fuerit morbus, illa non exſtirpabitur, utut enim generoſiſſimum ſit remedium, non tamen omnium morborum rhizotomus eſt, & proſtant ſatis multa exempla aliquoties ſine felici ſucceſſu illam fuiſſe reiteratam, quæ lege ſis apud *Laz. Riverium Cent.* 4. *Obſ.* 29. *Thom. Schenck. Obſ. Med. lib.* 6. *de Luis venereæ curatione Obſ.* 1. *Guilh. Fab. Hildanum Obſ. Chir. Cent.* 5. *Obſ.* 115. *&c.* Corporis deinde diſpoſitio bene perpendenda, ut nempe remedio ſuſtinendo par ſit, quod à ſolius Medici judicio dependet: At nullas enim erroris expertes regulas variarum corporis conſtitutionum diſcrepantias vel maxime avara cura redigere poſſumus. Illorum enim quæ latent, pariter atque illorum quæ patent, ſine numero numerus eſt, minimaque ſæpe circumſtantia totam variat rem. Conſtent proinde vires, nec multis vitioſis humoribus corpus ſcateat, aut ſi tale ſit, ſufficiens humorum præparatio ſalivationi præmittatur. Fiat id quoque in omnibus, cum vix corpus cacochymiæ expers reperiatur, hoc tamen diſcrimine, ut præparationi vel diutius, vel brevius incumbamus: Bibat eo fine decoctum ex lignis & radicibus ligneſcentibus. Deinde præparatis humoribus humorum ſaburra commodo purgante educatur; interpoſito uno, alterove die, ut vires melius conſtent, omine fauſto curæ initium fiat. Per totum ſalivationis decurſum, qui triginta dierum ſpatio, ſi doloſæ curationis metum effugere velis, terminatur, victum tenuem cum ſcriptoribus commendare de neceſſitate non eſt: quippe faucium, linguæ gingivarumque tumor ac dentium vacillatio præter juſcula vix aliquid admittunt. Cereviſiæ tenuis & calidiuſculæ aut ſaltem tepidæ loco decoctum radic. ſarſaparillæ & chinæ cum paſſulis propinetur, aut alternatim bibantur. Ulcera oris linguæque ambitum occupantia quotidianis gargariſmis eluantur, ne ſordes fauces occludant. Gargariſmi tales ſint, qui horum acrimoniam temperent & ulcera mundent. Simplex aqua ferrata, aut hordeata, quam ſyrupus de roſis ſiccis ingreditur, aut lac dulce, ſufficit; vix tamen ab aliquo tantum, quantum a decocto raparum, ſolamen ſentiunt. Si carnes fungoſæ luxurient, ſpiritu vini, aut unguento Ægyptiaco, aut ſimili alio, abſuman-

ſumantur &c. Tormina ventris ſi acriora invaſerint, anodyna & lenientia enemata injiciantur. De alvo adſtricta ne nimis ſollicitus ſis: niſi enim ſymptomata urſerint, ante decimum quintum diem enemate ſollicitanda non eſt. Si alvi ſequatur fluor, ſolet is pauco tempore durare nullamque medelam poſcit: cum enim hæc & ſimilia ab efficacia mercurii expectanda, ſollicitus non debet eſſe Medicus, ut iis ſtatim obviam eat, niſi magnitudo ſymptomatum & vires ægri contrarium injungant. Cum per menſem circiter duraverit ſalivatio, quicquid reſtat mercurii, exterminandum eſt. Per menſem dico, non quod ab hoc dierum numero recedere fas non ſit, aliquando enim cum reſtitutione ægri tribus ſeptimanis abſolvitur, ſed raro omnis morborum malitia ante id tempus expellitur. Unde non mirum eſt, tot paſſim ſalivationis etiam iteratæ aliquoties in caſſum apud Obſervatores proſtare exempla. Adeoque medicus ſemper morbi radices, ægri conſtitutionem & ſalivationis factæ vim ponderare debet: Licet enim ſalivatio ultra dictum terminum extendatur, nec tamen ſufficiens phlegmatum quantitas rejiceretur, tunc ſalivationi paucorum dierum ſaltem par eſſet. Quinimo notari velim verba *Thom. Bartholini*, cum ſcribit: *Reperio, in climate noſtro non ſufficere iis, qui lue venerea luunt ſtultitiam ſuam, ptyaliſmum ad tres hebdomadas & poſtea ad alias tres decoctum lignorum, ſed ſi malum inveteravit, requiri ptyaliſmum ad ſex, jam ad octo integras hebdomadas, imo in quibuſdam vel ad decem ante decoctorum uſum, quod niſi obſervet Chiron, indubitabilem ante lapſum ſex menſium inſtare recidivam. Act. Haſn. vol. 5. obſ. 52.* Licet enim copia materiæ determinari nequeat, ſed illa à morbo & ægrorum temperamento pendeat, adeoque res tota judicio, attentioni ſedulæ & experientiæ conſummatæ Medici committenda ſit, in genere tamen dixiſſe ſufficere poterit, ſi ſingulis diebus à duabus ad quatuor libris ptyaliſmo phlegmata excludantur, ſupra memorato dierum numero curam abſolutum iri. Licet enim ſymptomata cum ſalivatione remiſerint, exinde non concludendum, morbum eſſe eradicatum, ſed mercurii vim jam ſuperatam eſſe, adeoque de novo mercurialibus ſalivationem prorogandam. Caveas etiam durante ſalivatione illam gargariſmis adſtringentibus impedire, illud enim impune nunquam facies. Deſinit ita paulatim ſalivæ fluxus, decocto igitur chinæ & ſarſaparillæ ſudores provocentur, ut omnis expellatur; ſubinde itidem ex ſalibus & mineralibus fiant ſudorifera, quibus & folia auri ipſumque aurum fulminans commode addideris. Idem agas ad minimum integro octiduo; tandemque tuo functus officio ægrum incolumem dimittas.

F I N I S.

XXVII.

CHRISTIANI RÖPER

ET

ABRAHAMI FLAMINII GASTONIS,

DE

SALIVATIONE CRITICA IN MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS.

Halæ 22 Auguſt. 1702.

Digitized by Google

SEcretionis & excretionis negotium in corpore humano omne ſanitatis ac vitæ punctum abſolvere; illudque à putredine ac ſui ipſius interitu conſervare, nemo ut opinor, ibit inficias: ſunt autem illa inſtrumenta ac organa colatoria, quæ inſerviunt his operationibus peragendis varii generis & pro peculiari ac varia diſpoſitione & figuratione varias humorum ſpecies ſegregant. Eandem autem hic examinare, variaſque autorum controverſias circa hanc rem ad nauſeam uſque hactenus reciproce ventilatas dirimere atque revellere, res erit difficilioris negotii, quod nec inſtituti noſtri eſt. Sufficit, prout omnia in machina noſtra, ita & hæc mechanico modo fieri, licet eundem adeo exactius ac certius deſcribere nequeamus, cum res ſit puris ſpeculationibus ac rationibus veroſimilioribus fundata atque ſubjecta. Memoratu autem dignum eſt, naturam non modo in ſtatu naturali, ubi vita ac ſanitas viget, ſequeſtrare inutiles æque ac utiles humores, ut illi ceu in idonei machinæ interitum minitantes eliminentur, hos vero ad uſus ſuos utiliter accommodare queat, ſed & in ſtatu præternaturali præcipue abſolvat ſuam victoriam mediantibus ſecretionibus & excretionibus; ita maxime omnium febres & alii morbi acuti de tali genere ſunt, ubi eas nunc urina copioſa, nunc ſudore uberiori, mox dejectione fæcum alvinarum præcipue bilioſarum frequentiori, mox ſalivæ fluxu largiori pro varia ægri naturali humorum conſtitutione ac diſpoſitione terminari in praxi obſervabis. Ex quibus pronum eſt intelligere, naturam nullo habito reſpectu non modo ſuccos inutiles, ſed & bonos (in ſtatu naturali qui boni & utiles ſunt) neceſſitate exigente & aliis viis interclufis foras proſcribere, quo ſibi ſuiſque actionibus continuandis bene conſulere queat: eſt una ex illis excretionibus criticis ſalivæ fluxus uberior, quem non tam in morbis acutis quam chronicis practici hactenus ſufficienter annotarunt. Ingenue tamen nobis fatendum eſt, parce admodum à ſcriptoribus, ſi ſpectes ejus originem & progreſſum, fuiſſe tractatum, nec plenius ac exacte ſatis, ut meretur, rem tetigiſſe, ſed ſuperficiali labore properante calamo fluxum hunc in morbis reliquiſſe: idcirco nos in præſentia ſalivationem criticam, quæ ſine adminiculo & adjutorio medici, ſed ſola naturæ αὐτοκρατία perficitur, ſub examen vocabimus. Extra dubitationis aleam poſitum eſt, evacuationem hanc tum ratione diagnoſeos, tum prognoſeos maximi eſſe momenti, qua de re *vid. Diſſertat. Excell. Hoffmanni Præceptoris nunquam pænitendi de ſalivæ neceſſaria inſpectione ad conſervandam & reſtaurandam ſanitatem.*

Dignam itaque rem judicavimus, quæ majori cura & induſtria excutiatur, quam in nos ſuſcipimus quidem, non autem ob ingenii imbecillitatem exacte ſatis, prout res & thema poſtulant, pertractari à nobis poſſe lubenter profitemur. Interim, quantum ex praxi prælibare partim

 pro-

propria partim aliorum nobis hactenus licuit divina favente gratia ex conceſſione gratioſiſſima ampliſſimæ facultatis medicæ non litigandi ac cavillandi, ſed veritatem tantummodo inveſtigandi animo proponemus; quam ut inveniamus, faxit ille, qui ſolus eſt via & veritas in divinis æque ac naturalibus, dirigatque eo conatus noſtros atque labores, ut proſperos ſucceſſus nanciſcantur in Sui Divini Nominis gloriam proximique emolumentum.

CAPUT PRIMUM.

Salivæ fluxum oſtendit in ſtatu naturali.

Antequam ipſam rem, qua diſſertatio noſtra eſt inſignita, pertractandam ac inveſtigandam ſuſcipiamus, operæ fore pretium arbitrati ſumus, ut in limine nonnihil, quantum & paginæ ac temporis ſpatium capiet, de ſalivæ conſtitutione ac fluxu naturali præmittamus, id eſt, phyſiologice breviter ſtrictimque ſalivam, à qua vox ſalivatio, (quam Græci πτυελισμὸν ut apud Aëtium, aut πτυαλισμὸν, ut Galenus & Hippocrates in prorrhetic. oſtenderunt, appellant,) ſive ut clarius mentem aperiam, frequens & immoderata ſalivæ rejectio nuncupatur, examini ſubjiciamus.

Salivam humorem eſſe lymphaticum valde penetrantem ſegregatum à ſanguine arterioſo ancillantibus glandulis conglomeratis hunc in finem in ore & faucibus conſtitutis, notiſſimum eſt: lympham eſſe ex eo comprobatur, quod fluidiſſima eſt, & evaporatione ſuper ignem facta nullam in vaſe poſt ſe relinquit gelatinam prout ſerum ſanguinis aſſolet, provida forſitan natura hunc in finem hanc ipſam puram ac limpidam voluit, ut libera ſic à partibus iſtis nutritiis gelatinoſis eo melius cibis in ventriculo reſolvendis viribus ſit ſufficientibus inſtructa, quo purius enim eſt menſtruum, uti ex chymicis notum eſt, eo citius, eo celerius atque commodius peragitur reſolutio & diſunio ſolvendi corporis. Rejicitur ordinario mediante exſpuitione tenax ac lenta, quem tamen lentorem concipit ex diutina ſtagnatione intra fauces, recens enim ſeparata fluida eſt, uti exemplo ſuo comprobant apophlegmatizantia, quæ continua irritatione ac vellicatione puram ac fluidam inſtar aquæ limpidam ſalivam eliciunt, imo nonnunquam in morbis, qui terminantur, inſtar aquæ limpidiſſimæ veluti ex fonte ſaliente petitæ rejicitur.

Notabili penetrantia ac ſpirituoſitate eſſe ſtipatam ſalivam, experimentum Excell. Hoffmanni. phyſicum nos convincit, quo liquidum hoc vacuo impoſitum omni aëre externo abſumpto notabilem ebullitionem à ſpiritualis ſubtilis aëreo-athereæ ſubſtantiæ in eo hoſpitantis expanſione curioſi

rioſi ſpectatoris oculis exhibet, æque ac cernitur in ſpiritu vini, aliiſque liquoribus ſpirituoſis: prætereo intricatum iſtud ac fere inveſtigabile alchymicorum inſtitutum, quo ex ſaliva menſtruum univerſale ad recludenda metalla ſibi comparare ſtudent, unde quoque ad ſolutionem auri ab illis curioſis quæſitoribus adhibetur: ob maximam etiam penetrantiam tumoribus glandularum inſignis magnitudinis, ſcrophulis, aliiſque glandularum pertinacibus obſtipationibus reſolvendis medetur, neque ſolum in his commendatiſſima habetur, verum & in ſerpigine, ſcabie: præſentiſſimam autem ejus inunctionem opem tuliſſe in lippitudine oculorum & ophthalmia, exempla circumforaneorum & pſeudo medicorum comprobant, qui ſalivâ ore ſuo exceptâ ægrotorum oculos laborantes inungunt: ipſiſſimis meis oculis videre mihi contigit *Halberſtadii*, ubi vetula quædam medicinam hanc ſordidam at utiliſſimam omiſſis medicamentis omnibus in dictis affectibus magna nominis celebratione & multorum invidia facit. Neque etiam ſine optato eventu ſubſequente canes vulnerati lingua ſalivali madore imbuta vulnera lambere videmus, quippe conſolidationem eorum brevi temporis ſpatio experiuntur.

Ad ejus uſum phyſico-medicum hactenus commemorata pertinere videntur, quem tamen inferius recenſere nobiſcum conſtituimus. Nunc e re fore ducimus, ut ejus principia & elementa, quibus eſt conflata, indagemus. Equidem non ignoro, plurimos autores in diverſas abire ſententias, nec bene convenire in conſtituendis ejus partibus. Qui hanc ipſam ex aqueis & acidis particulis conſtare arbitrantur, valde mihi videntur hallucinari, cum nullum in hoc humido naturaliter conſtituto acidum reperire eſt, id quod vel ex eo liqueſcit, quod nullum ſaporem acidiuſculum præ ſe fert; deinde cum nullo alcalinæ indolis corpore effervescentiam init; tum quod nullus per analyſin chymicam acidus ſpiritus elici & acquiri poteſt, denique cum nullum in ſanguine naturaliter conſtituto purum acidum atteſtantibus ſapore, deſtillatione, & aliis innumeris experimentis ſtatui poſſit nec debeat, neque ſaliva, quæ ſoboles eſt ſanguinis, hoc impræpnata eſſe poteſt: quam in ſententiæ partem accedit quoque *vir ingenii acerrimi Dn. Craan in œconom. animal. p.* 3. Quando ibi ſcribit: ſalivæ conſtitutio talis eſt, qualis ipſius ſanguinis, ex quo ſecernitur: nec demum natura in regno animali producit acidum, neque etiam veſtigium acidi puri ſenſui manifeſtum in totius machinæ ſuccis deprehendimus, excepta ventriculi cavitate, quæ nonnunquam reliquiis ciborum reſolutorum vel potulentorum acorem cum tempore contrahentium ſcatet, eæ tamen ceu inutiles ſucci per alvum eliminantur, reliqua portio chyloſa à bilis alcalina ſulphurea oleoſa ſubſtantiam adeo immutatur, non ut effervescentiam chylo immixta juxta *Helmontium & Sylvium* ſiſtat, ſed crudus chylus ſanguini nondum commiſcibilis intra inteſtina attenuetur, craſſities ac viſciditas diſſolvatur, ac bile adeo commixta balſamicus humor ac ſanguini congruus evadat;

imo poſito hoc acidum per vias lacteas ſanguini commiſceri : ſciendum hinc, illud mediante attritivo continuo inteſtino ſanguinis motu ita dividi, attenuari ac atteri, ut tranſmutatum acidum naturam ac ſtatum ſalis vel neutri vel volatilis aſſumere neceſſe habeat. Alii alia experimenta inſtituerunt ad indagandam ſalivæ indolem, uti videre eſt *apud Antonium de Heide obſerv. med.* 88. *imo Tacken. Sylv. Helmont.*

Proximiora elementa ipſius cognoviſſe nobis ſufficiat, quæ ſunt ſpirituoſa, à quibus ſuam activitatem ac penetrantiam mutuatur, quorum etiam præſentiam nervorum illi ramuli arterias in glandulas ſalivales comitantes ſufficienter arguunt : alterum quod ipſum ingreditur principium eſt aqueum, & tertium denique ſalinum, quod ſenſibus quidem manifeſtum non eſt, ſub principio tamen aqueo adeo eſt involutum, ut dignoſci nequeat, analyſi tamen chymicæ ſubjecta ſaliva illud ſal præbet, uti id ſufficienter commonſtrat *Clar. Ortlob œconom. animal. p.* 38. Evidens, inquit, ſane eſt ratio, quod abundantia aquearum ſalinas percipere nobis non concedat, quatenus ex uncia ſalivæ ultra grana tria vel quatuor ſalis raro obtineri ſoleant, atque aqueæ ſic fere quingentis excedant. Elementa hæc adeo intime ſunt mixta, ut neutrum alteri prævaleat, ſed homogeneitatis naturam præ ſe ferat.

Fontes ejus, quod concernit, ſunt glandulæ dictæ ſalivales, quæ mechanico modo conſtructæ ſalivam à ſanguine arterioſo eo à natura appulſo filtrant atque colant, quam ſeparatam plurima exigua vaſcula atque ramuſculi coaleſcentes in unum canalem excipiunt, orique infundunt : recenſionem atque inveſtigationem harum glandularum merito hic omittimus, has qui examinare intendit, adeat anatomicorum & phyſiologorum libros, qui accurate eos deſcripſerunt : illud tamen curioſum eſt, nec ſilentio prætereundum, totam faucium & oris regionem tunica glanduloſa tectam eſſe, cujus glandulæ miliares ac fere innumerabiles ſæpe acervatim per modum racemi conſpiciuntur, haud abſimiles ratione magnitudinis & figuræ inteſtinorum tenuium glandulis in ipſorum tunica glanduloſa hinc inde conſpicuis, hæ glandulæ, humore ſalivali ſub unaquaque linguæ & oris agitatione effuſo, illud madore & rore imbuunt, ut maſticatio, ſapor & alii uſus inde exſurgant.

Provida natura ejuſque autor ac artifex ſapientiſſimus Deus tanta in copia ſenſum pene effugientia ſecretoria non appoſuiſſet, niſi vitæ ac conſervationi corporis humani à putredine inſigni ſint emolumento, quippe retenta ea, quæ ſanguinis ac humorum aliam craſin, mixturam, motum introducere accommodata ſunt, non poſſunt non ejus circulum naturalem deſtruere, pervertere, actioneſque corporis debilitare, ut ſic vita ac ſanitas in periculo verſetur. Sunt autem ſecretoria alia, quæ noxium ac prorſus inutilem; alia quæ utilem ac corpori ſumme neceſſarium humorem ſanguini denuo affundendum ſeparant : ex quorum claſſe ſunt bi-

bilis, ſaliva, ſuccus pancreaticus &c. quibus etiam vitiatis vel quantitate vel qualitate, mox inſigne decrementum ſanitas nanciſcitur.

Ex hiſce breviter dictis facile liquet, merum eſſe veterum commentum, ubi ſalivam pro excremento ſive inutili humore venditarunt, quid eſſet impedimento, quo minus alimenta & chylum ipſis mixta excrementitiis ſordibus imbuat? Adeo ſollicita eſt natura de ejus proventu, ut nullam in corpore partem reperias, quæ tot ac tam variis fontibus ac ductibus partim in ore partim extra illud collocatis dotata atque nobilitata eſt, ceu hicce campus, ut hæc eam potius ſervari quam rejici debere indicent; bruta demiſſo capite incedentia, infantes imo dormientes ipſam dimittere in ſinum ventriculi quotidie videmus.

Maſticationi itaque digeſtioni ac chylificationi plurimum videtur inſervire. Simul ac enim appetitus urget, in copia glandulæ ceu promus ſalivæ condus ipſam ſtillant grata titillatione, ac leniori alimentorum compreſſione accedente buccarum & reliquarum partium muſculoſarum volutatione, dentiumque attritione & maſticatione cum cibis ſolidioribus non modo maſſa fluidam pene ac mollem induit naturam, verum, etiam comminutione iſta majores ſuperficies minoreſque moles alimenta acquirunt, ut eo melius à ventriculo digeri, chylificari, nec difficultates ac moleſtias ipſi creare poſſint.

Ex his nunc facile apparet, quamobrem ii præ reliquis ad cacochymiam, malum hypochondriacum, ejuſque ſobolem ſcorbutum, colicas flatulentas diſponantur, qui plenis buccis cibos devorare, nec tempus debitum iis maſticandis ac ſalivæ miſcendis impendere aſſolent, unde non poteſt non ventriculus ſalivali latice ceu penetranti menſtruo deſtitutus cibos intactos relinquere, propterea propriam luentes pœnam conqueruntur, *es liege ihnen ſo hart im magen als ein ſtein*, imo cruditates in primis viis collectæ alvum adſtrictam, plethoram morboſam, febres intermittentes diuturnas ingenerare idoneæ ſunt multiplici experientia teſte; ita ut ob inenarrabile fere maſticationis negotium non inepte à ſapientiſſimis veteribus jam tritum fuerit proverbium, maſticationem negligentes odiſſe animam ſuam: qualis enim chylus, cujus laudabilis conſtitutio ac craſis plurimum à ſaliva dependet, talis ſanguis, qualis hujus mixtio, tales ſpiritus, animus, ejuſque functiones.

Totam itaque oris regionem humectando, ſitim continuam ſedando ac reſtringendo, maſticationem in ore juvando, chylificationem in ventriculo & inteſtinis cæteris paribus continuando & abſolvendo, ſaporemque efficiendo, inſignes machinæ afferre utilitates imo adhuc incognitas, nemo, credo, niſi rerum medico-phyſicarum ignarus, amplius in dubium vocabit.

CAPUT II.

Diverſas ſalivæ fluxus P. N. ſpecies exhibet.

COnſiderata ſie velut e longinquo ſalivæ origine & natura, operæ pretium fore exiſtimavimus, largioris ejus profluvii ſpecies breviter ſtrictimque & quod ſcopus & vires permittunt, publicæ luci exponere.

Merito quidem & compendio ſumta ſalivatio diſtinguitur in naturalem ſive ſpontaneam & artificialem ſive medicam: hæc duas rurſus involvit ſubdiviſiones, vel particularem vel univerſalem: particularis ea eſt, quæ mediantibus apophlegmatizantibus & maſticatoriis perficitur & adornatur, dum ea ſale quodam volatili plus minus aeri glandulas palati & faucium ſtimulant, ſtimulando conſtringunt, pituitam viſcidam colliquant & expurgant, uti ſunt radices pyrethri, angelicæ, maſtix, nicotiana, cubebæ, ſem. ſinap. ſtaphid. agr. nigell. zingiber. ſalvia, myrrha &c.

In uſum trahitur hæc ſalivationis ſpecies, ubi contagii ſerpentis indicium eſt, quo tempore præſervationis gratia adminiſtratur. Notorium enim eſt, quam facillime ſeſe aſſociet ac commiſceat miaſma malignum ſalivali humori, qui contaminatus demiſſus ad ventriculum varias pro varia ſubjecti, quod corripit, conſtitutione miſeras ludere tragœdias aptus natus eſt, ne itaque violentas has actiones ineat, merito foras mediantibus dictis remediis & ſubſequenti ſalivatione proſcribitur: vid. hac de re *M. N. C. D. I. A. IX. & X.* Nec adeo male congruit hæc ſalivationis ſpecies, ubi craſſus pituitoſus ſalſus teſte ſternutatione humor non modo caput opplet, verum etiam dentes moleſtiſſimis ac fere intolerabilibus afficit doloribus, uno verbo, in catarrhoſis affectionibus & defluxionibus feri copioſi, cui intra poros glandularum ſubſiſtenti propter viſcoſitatem & lentorem exitus eſt occluſus, ibi medicamina hæc propter motum, quem impertiunt nervis & fibrillis, fortiorem, conſtrictorium, faciliorem ipſi fœnerantur tranſitum.

Univerſalis ea appellatur, quæ per medicamenta heroica fortiora, metallica, mercurialia, antimonialia &c. provocatur, ubi hæc totam maſſam ſanguineam & partes ſolidas intimius penetrant, & per ſputum ex toto corpore per arterias & ductus oris ſalivales ſine tuſſi & ſcreatu humores morboſos ejiciunt. Utuntur hac in morbis chronicis lymphæ viſciditatem atque coagulum pertinaceſque glandularum infarctus pro fundamento agnoſcentibus, qui non facile obſecundant lenioribus Galenicis remediis, niſi fuerint deſumta ex remediorum modo dictorum claſſe. Dicta curandi methodus nunc per pillulas mercuriales, ubi fomes materiæ non adeo altas adhuc egit radices, nunc ſub ſuffimigii, nunc ſub unguenti forma, ubi fere malum eſt conclamatum, adminiſtratur, qua de re

re verboſius differentes autores inſpicias. Non autem ſolum hoc remedii genus inſignis efficaciæ deprehenditur in lue gallica, prout hactenus creditum eſt, verum etiam ejus uſum in pluribus aliis affectibus gravibus à pituita glutinoſa humoribuſque aliis eidem immerſis & implicatis prodeuntibus *Sylv. method. med. l.* 2. *c.* 12. §. 2. 12. *de hydrope.* §. 171. §. 322. §. 323. In morbis rebellibus & inveteratis ex vitio ſeri graviori oriundis *Wedelius Amœnit. mater. med. p.* 465. & 470. *it. Zypæus fundam. phyſ. anatom. p.* 385. laudant. Dolendum tamen ſane eſt, quod, prout in omni re facile abuſum obſerves, in hunc uſque diem tantum invaluerit, ut remedium univerſale præſertim apud lippos & tonſores audiatur atque exiſtimetur, procul habita diſtinctione naturæ, morborum, eorumque cauſarum ac concomitantium ſymptomatum de internarum partium prava diſpoſitione nunquam non teſtantium, ita ut hac ratione nunc in ſalutem ægri, natura robore ſufficienti ac viribus inſtructa, vergat, nunc in præſens mortis periculum temerarie adhibitis his medicamentis æger præcipitetur, uti exempla & obſervationes docent. Commendatiſſima utique judicatur ſalivatio mercurialis, ſi cum prudentia tractetur & adminiſtretur, probe perpenſis & collatis omnibus circumſtantiis.

Obiter hæc tetigiſſe, rei ratio poſtulabat, impoſterum fortaſſis, ſi Deus vitam & vires largietur, exactius ac verboſius remedium hoc heroicum pro viribus ingenii tradere conſtituimus.

Invitis quoque nobis nonnunquam oboritur ſalivatio, ubi quidem medici ſcopus & intentio non eſt ſalivam ciendi, ſed tantum illi malo, cui ſub varia forma mercurialia applicantur, medendi fine, unde per accidens & indirecte illa contingit, ubi corpus noſtrum diſpoſitum ſuſcipit ea in ſinum, & nunc ſalutariter, ubi corpus eſt phlegmaticum impuris ſuccis repletum, nunc ſymptomatice, ubi viſcera ſunt depravata, largius hujus liquoris profluvium excitat. Ita, ut rem exemplis illuſtremus, *Bartholinus cent.* 3. *hiſtor.* 19, ex imprudenti cinguli mercurialis applicatione obſervavit hunc fluxum, idem ex nimia mercurii præcipitati pulveris in ſordida in genu ac circa talos ulcera inſperſione *Schenckius obſerv. med. de præcipitato obſerv.* 2. factum commemorat. Nec adeo rara ſunt exempla, ubi in ſcabie ex cinguli mercurialis applicatione non modo ſalivalis fluxus fuit obortus, verum quoque inſuper mercurius cum alvi fecibus fuit rejectus. Identidem nuperrime mihi retulit *Honoratiſſ. Dn. Parens*, memorabilem caſum, qui in puero 12. annorum contigit. Huic oborta eſt hernia inteſtinalis; debitis deinde remediis malo oppoſitis paulo poſt pruritu inſigni & fere inextinguibili circa genitalia vexatur, quem ſedare frequentius fricando digitorum ungulis neceſſe habuit, depoſitis faſciis, quæ inteſtinorum refrenandorum fine erant applicata, ingens pediculorum copia in conſpectum prodit, ad quos fugandos denuo applicatis faſciis unguenti pediculorum, ſive mercurialis parca quantitas inungitur, necantur ad unum omnes; at paulo poſt tanto ſalivæ profluvio æger cor-

ripitur, ac ſi mercurium ſine ſalivandi intro ſumſiſſet, cum tumoribus glandularum colli ac ulcuſculis fauces occupantibus: debite tamen adhibitis remediis externis & internis ægre quidem ac ſumma cum moleſtia, ſed penitus tamen reſtitutus ab hoc ſymptomate moleſto liberatus eſt æger. Eadem ſymptomatum facie ſplendet hiſtoria, quæ recenſetur *in M. N. C. D. I. A. VIII.* ut & obſervationes *à B. Stiſſero in laborator. chym. ſpec.* 2. annotatæ, ibi inter alia vir quidam cachecticus à filiolo incurio, quem ſibi in lecto ex amore propius ad latera admoverat, ingentem pediculorum numerum per contactum iſtum ſibi acquiſivit, pro arcendis autem his cum cingulo hydrargyro & pomi aſſi mixtura inuncto circa nudum abdomen uteretur, paucis diebus poſt ptyaliſmo correptus eſt. Medicus accedens deponere cingulum jubet, & adverſus inflammationem oris periculoſiſſimam & jam incipientem gangrænam, (quam ſibi contraxerat ex imperito & imprudenti medico, qui antea vocatus erat ſcorbutum oris ratus volatiliaque adhibens) præſcribit neceſſaria ſummo cum effectu. Salivatio autem nullo modo coërceri potuit, quin per duodecim hebomadas tantam ægro moleſtiam exhibuerat, ut fractis viribus & corpore enervato denique animam exſpiraret. Ex qua hiſtoria ſymptomaticam ſalivationem fuiſſe patet, adeoque cautiſſime mercandum eſſe cum mercurialibus in his ſubjectis: deſtructis enim à tono & ad putredinem inclinantibus viſceribus, & viribus deficientibus non poteſt non mercurius, qui vires & viſcera non labefactata, ſed ſana requirit & ſupponit in corpore, iſtiuſmodi ludere tragœdias.

Accidit quoque hæc ſalivationis ſpecies nonnunquam iis, qui mercurium in igne tractare ſolent, ubi ille ſe inſinuans mediante fumo, qui albus conſpicitur, moleſtam ciere ſalivationem ſolet. Aurifabri, ubi ſuſpicionem mercurii in corpore latentis habent, balneo uti ſolent, quod remedii genus quoque commendat *Riverius cent.* 2. *obſerv.* 91. alii alia in uſum trahunt remedia. Coincidit quoque hic hiſtoria illa, quam allegat *Stiſſerus l. c. p.* 20. ubi Gallica mulier thermometra, baroſcopia & ſimilia ſane egregia parare gnara, ſæpius argento vivo utitur, quod fervente aqua loco calidæ lavabat, primum epilepticis inſultibus corripitur, ut in terram projecta fuerit cum omnimoda mentis & loquelæ abolitione. Succedit demum ptyaliſmus adeo crudelis, ut loco ſalivæ interdum ſanguis ex ore efflueret, qui ægram periodice affligebat. Reſtituta tamen debita curandi methodo hanc artem deſeruit, & alium victum quærere coacta fuit.

At vero modo recenſitis ſalivationum ſpeciebus diutius inhærere haud fas erit; rei ratio exigebat, quantum pagina permiſit, eas delineare, ideoque, cum potius à cauſis externis, remediis, quæ partim ſcopo & intentione ſalivandi adhibentur, partim per accidens invito medico & ægroto in medium producuntur ptyaliſmi, à me ſub limam jam non vocabuntur, ſed potius altera ſpecies, quæ ſine exhibitione & applicatione

mer-

mercurii partim criſis naturæ eſt, partim ſymptoma morbi conſtituit. Potuiſſent quidem dictæ ſpecies fuſius enarrari, & quamplurimis deſumptis ex variis hinc inde exſtantibus autoribus exemplis illuſtrari; ſed brevitatis rationem habentes ad hanc, quam modo diximus, ſpontaneam, quæ frequentius in praxi medica occurrit, animum advertimus, adeo quidem ut rem exemplis & rationibus ſimus illuſtraturi, ſubjunctis iis, quæ tum ad prognoſin, tum ad diagnoſin morbi ſpectant, annexa quoque, quantum pagina fert, brevi ac ſuccincta medendi methodo.

CAPUT III.

Salivationis criticæ originem & naturam perſcrutatur.

Hiſce nunc perſpectis preſſo pede inſequimur evacuationis noſtræ negotium, quod critica illa & ſymptomatica ſalivatio eſt. Placet autem hic loci differentiam illam ſalivationis criticæ & ſymptomaticæ paulo uberius, quod ad ſcopum noſtrum multum confert, recenſere.

Notum quam quod notiſſimum eſt in foro medico, ſalutarem evacuationem humoris, circa quem eliminandum occupata eſt natura in ſtatu morbi, ſemper ſupponere vigorem ejus, ſufficientibus ab debellandam & expugnandam materiam morbificam viribus inſtructæ, cujus etiam reſpectu natura morborum debellatrix paſſim nuncupatur, & quidem ſpeciatim non modo ab *Hippocrate*, *6. Epidem.* naturas eſſe morborum medicatrices; ſed *Galenus* quoque *in Commentar. ad hunc ipſum textum*; omnia facere ſalutis hominum cauſa, interpretatur. Et *libr.* 1. *de natur. facult.* Naturam, ait, ſuis viribus uſam, quæ noxia ſint, expellere, quæ utilia, uſui ſervare. *Vid.* quoque *Valleriola* in opere ſuo erudito *obſerv. libr.* 1. *obſ.* 4. *p. m.* 36. & *libr.* 2. *obſ.* 6. *p. m.* 136. Cauſam hujus criticæ evacuationis penitius evolvere, non fert noſtrum inſtitutum, ſufficit, Deum à ſeculis totam machinam ex variis partibus & ſolidis & fluidis in hunc finem conformaſſe, diſpoſuiſſe, ut non modo in ſtatu ſano ea, quæ deſtruere eam, evertere & proſternere apta nata ſunt, ſed etiam in ſtatu præternaturali, ubi heterogenea multifaria & adhuc plura incognita, ſive ſunt quantitate ſive qualitate infeſta, mediante ſecretionis & excretionis negotio foras proſcribat: *vid. diſſert. Celeberr. Hoffmanni de natur. morbor. medicatr.*

Factam vero fuiſſe ſalutarem evacuationem ex eo manifeſtum fit, quod morbus notabile decrementum, natura vero incrementum ſumat: ſi ſecus id contigerit, neutiquam ſalutaris, ſed ſymptomatica ad ægri interitum & naturæ proſtrationem vergens ſalutari meretur. Patet autem id ipſum, quandocunque facta alteratione actuali evacuatoria actiones tam vitales

Digitized by Google

quam animales indies augmentum capiunt, activioremque ac habitualem, ut ita dicam, vigorem reſumunt, materia morbifica jamtum expulſa, id eſt, cum mens antea turbata vagabunda delirans, tranquilla & pacata redditur, ut ex his etiam pateat, quomodo animus ejuſque actiones à corpore male diſpoſito ceu indiſſolubili vinculo vitioque correpto poſſit etiam immutari, alterari, qua de re *vid. diſſert. Extell. Hoffmanni de animo ſanitatis & morborum fabro.* Deinde, cum pulſus antea debilis celer inæqualis præternaturalis, fortior æqualior ac magis naturalis evadit, qui robur fibrarum cordis & influxum in eis ſpirituum vegetiorem indicat. Tum etiam, quando urina antea tenuis limpida ſedimentum deponit. Hæc omnia collective ſumta de natura victori teſtantur, eamque cum morbo rediiſſe in gratiam. Ex hiſce dictis pronum eſt intelligere, quid per ſymptomaticam intelligere velimus, nimirum eam quæ in morbis chronicis mali eſt judicii, in acutis autem plane omnem convaleſcentiæ ſpem tollit, exſuperante materia morbifica & proſtrata natura, adeo quidem, ut ſingulis momentis mortem ægroti fores pulſare metuamus. Naſcitur hæc ex intrinſeca nata malignitate, ſive ſecundum veteres putredine, quæ in lentiori progreſſivo circulari motu & putredinoſa diſſolutione particularum ſanguinem conſtituentium conſiſtit. Opponitur hæc criticæ, quemadmodum enim illa robur naturæ ſufficiens ſupponit, actioneſque tum animales tum vitales debitum officium machinæ præſtare indicat, ita ſymptomatica naturam deſtructam, debilitatam, victam, actus organicos ſive mechanicos vitales debilitatos, motum ſanguinis & ſpirituum languidum, imo etiam fibras à tono ſuo debito & naturali dehiſcentes notat, animo tunc, qui vagabundus ac delirans erat, de momento in momentum majus deliramentum increſcit, pulſus debilis remanens, ita ut medicus ipſius conſtitutionem & naturam expiſcaturus eum vix ſentiat, partes extremæ frigore corripi ſenſibili incipiunt, convulſiones denique mortem mox ſubſequuturam prænunciant.

Accedimus nunc ad noſtram excretionem, leviores tamen in limine ſalivæ fluxus ſiſtere expedit.

Silentio prætérimus illas fluxiones, quas natura in ſtatu naturali ſub appetitus varia conſtitutione inſtituit, ex phyſiologicis etiam ſuperius adductis innoteſcit, inque propatulo eſt, avide aliquid appetentibus copioſius in os ſalivam exſilire, quæ phænomena pure mechanica eſſe, nemo niſi mechanicarum legum naturalium in corpore humano ignarus inficias ibit. Summus enim artifex fluidum hoc inſeruit machinæ, ut exigente neceſſitate & deficientibus alimentis, ratione ſui penetrantis ſalſuginoſi principii orificium ventriculi plexu nervorum inſignium gaudens irritet, vellicet, quo ſenſu facto non modo idea appetitus in animo excitatur, ſed & copioſius ſalivam ex ductibus ſuis, in quibus ceu promus condus latitat, eliminat, ut maſticatio & reſolutio ciborum eo facilius perfici queat; hocque fit per conſenſum, dum enim nervi ac fibrillæ ventriculi

ſpaſ-

Digitized by Google

ſpaſmodice convelluntur, ſimul motus ille contractorius faucium nervis ac fibris communicatur. Ex dictis quoque facile deduci poteſt ratio, quare ſub nauſea & inſtante vomitu fluat abundantius ſaliva ex ore, quam etiam *Hippocrates* & *Galenus* præcedere tradiderunt: item cur in ardore ventriculi ſive Soda, *Sod*, tenuis ſaliva in os excurrat, præcedente quodam moleſto preſſorio & tenſorio ſenſu in ventriculo perceptibili & veluti leniori conſtrictione per œſophagum ad fauces uſque aſcendente. Eandem quoque ſuppeditamus cauſam in illo ptyaliſmo, qui cruditati ventriculi accidit, qua de re *vid. Bröen. animadverſ. in Prax. Craanii p. m.* 260. Formalem hanc cauſam quoque ſalivæ illa copioſior in os effuſio ſufficienter indigitat, quæ in cardialgia, dolore ventriculi moleſtiſſimo acuto attenditur. His omnibus & quæ à nobis propter brevitatem, cui ſtudere fas eſt, omittuntur, ſalivationum ſpeciebus facili labore mederi poſſumus: cum enim materiæ peccantis in ventriculo & primis viis ſuſpicio ſubſit, optime medela per corrigentia vel per evacuantia aut ἄνω vel κάτω inſtituitur; ſin cauſa formalis motus irregularis conſuetudinalis ex alia parte vitii ita huc trajecta, antiſpaſmodica & proba diæta obſervata imo cauſa fundamentalis ſublata omne abſolvent punctum.

Frequens eſt hypochondriacorum ſymptoma, quod uberrime ſaliva in fauces & os confluens ptyaliſmum excitet, ut hypochondriaci & melancholici hinc ſputatores audiant vid. *Sylv. prax. medic. append. tract.* 7. §. 189. *it. Sydenh. l. a. p.* 500. Multum periculi alere ſolet, vires corporis mirum imminuendo. Expedit autem reique ratio poſtulat, ut ſymptomatis hujus naturam & originem indagaturi, prius, quantum in tranſitu licebit, mali hypochondriaci genium perſcrutemur, ut eo facilius ætiologiam ſymptomatum, adeoque etiam ptyaliſmi inquirere atque deducere valeamus. Rectiſſime autem affectio hæc morbis ſpaſmodicis à recentioribus annumeratur, qui quidem, ſi cauſam ſpectes, remotam, vitæ ſedentariæ, otio, cæteris paribus multum imo plurimum debet, quare etiam illis familiaris eſt, qui vitam ſedentariam amantes chartis ſolent impalleſcere, ut ideo quoque rectiſſime præcipuus ſtudioſorum morbus appellari ſoleat. Propter motus autem & exercitii debiti intermiſſionem non modo in & exſpiratio, qua mediante ſanguis intra pulmones cum aëre ſubtiliori elaſtico mixtus attenuatur, dividitur, aptuſque ad actiones corporis obeundas redditur, negligitur, verum etiam motus diaphragmatis lentius procedit, unde, cum ancillante hoc motu intra vaſa abdominis ſanguis contentus in circulatione promovetur, ille ipſe in progreſſu ſuo debito ac naturali impeditur, ac teſtudineo gradu procedit, ſuccedit poſtea ſucceſceſſiva ſtagnatio, eoque ipſo dilatatio ſeu expanſio juſto amplior venæ portæ ramorum, quæ deinde ulterioribus & mox ſubſequentibus preſſo pede crudelibus ſymptomatibus provocandis in viſceribus abdominis fores pandit apertiſſimas, quæ ſunt dolores gravativi & pungitivi in hypochondriis, flatulentiæ, alvus adſtricta, ructus, præcordiorum anguſtiæ, ubi

 diu

diu durat malum, vertigo, capitis dolores, fixa phantaſmata, ſomnus turbulentus & frequens ſalivæ ejectio ſeſe aſſociant.

Suppoſitis his ſymptoma noſtrum non adeo difficile erit explicatu, ſi attendimus congeſtiones, ſtagnationes craſſi cruoris dilatationeſque vaſorum, quibus ſpaſmi ſeu dolores gravativi oppreſſorii ſuccedunt, qui etiam irregularium iſtorum motuum huc illuc greſſus ſuos dirigentium nunc in infimo ventre flatulentiam & innumerorum aliorum, nunc in medio ventre anxietatum, ſtrangulationum, ſuffocationum, mox in capite dolorum, vertiginis, melancholiæ, ſomni turbulenti cauſam formalem ac genuinam conſtituunt, ut ſic primaria cauſa congeſtio ſanguinis impuri immobilis, ſecundaria autem & formalis ſpaſmi iſti ſeu inordinatus fluidi nervei motus ſit. Saliva autem in hiſce ſubjectis copioſior juſto ſecedit duplici ratione ac modo, primo quod ſpaſmodice vaſis in abdomine contractis ſanguis ad ſuperiores partes pellatur, ubi ſtagnans vel lentius progrediens plus ſolito ſeparatur ſaliva, deinde quod per ſe ſanguis hypochondriacorum lentius circulum ſuum abſolvens ſalivæ copioſius in ore colligendæ occaſionem præbere poſſit, licet etiam ſpaſmi non ſint præſentes, quod ex malignis & acutis morbis evidenter conſtare poteſt. Urina clara limpida copioſa argumentum erit pro ſeceſſione ſeri & lentius circulante ſanguine, imo ſudores nocturni hypochondriacorum *vid. Syd. p.* 499. & 501. Rectiſſime hinc ſentire videtur *Celeberr. atque experient. Sydenh. l. c. p.* 500. ubi de malo hypochondriaco ejuſque frequenti ſymptomate ptyaliſmo diſſerit, quod ille à ſpiritibus ſanguinem ita inquietantibus pendeat, cum ad multas ſeptimanas ſalivam exſpuant tenuem perinde, ac ſi unguento mercuriali fuerint ægri delibuti, durante enim hoc turbido ſanguinis ſtatu, in quo excretionibus ad naturæ methodum exigendis impar is eſt, ſerum motum hunc inverſum non jam in renes pro lege naturæ exoneratur, ſed per arteriarum extremitates in glandulas deponitur, & per ductus ſalivales ſalivæ forma prodit. Malum hoc hypochondriacis valde moleſtum eſt, ſed nec minus mali judicii. Cum enim laudabili hoc more ſanguis defraudatur per ſe jam ad putredinem diſpoſitus, non poſſunt non mala inde propullulare pejoris indolis, imo etiam virium ingens ac notabile detrimentum. Subſcribit huic ſententiæ *Celeberr. Noſt. Hoffmannus in citat. diſſert. de ſalivæ neceſſ. inſpect. p.* 10. §. 6. Nihil frequentius inquit, occurrit in praxi, quam quod hypochondriaci, melancholici, phthiſici quotidie ſalivam exſpuant largiſſimam, ita ut indeſinenti ſputatione illa loca, ubi ſubſiſtunt, fordidiſſime commaculent, & ſi materiam per os excretam curioſitatis ergo colligere velimus, intra unius horæ ſpatium (præſertim ſi jejuni fuerint ægroti) unciam unam & ultra habere poſſimus. Quæ nimia excretio nobis ſignificat ſanguinem humido ſuo defraudari, & ſic remanere in vaſis ſuis craſſum fluiditate ac tenuitate debita orbatum. Ex craſſitie autem ſanguinis non poſſunt non ejus ſtaſes, viſcerum infarctus, colatoriorum obſtructiones, ſecretionum & ex-

excretionum naturalium imminutiones (quæ ſingula multorum & graviſſimorum malorum cauſa & origo ſunt) proficiſci.

Progenies mali hypochondriaci ſcorbutus ut plurimum eſt, qui ſanguinem immobilem acrem impurum propter colatoria & emunctoria corporis obſtructa pro cauſa habet: quemadmodum autem in malo hypochondriaco ptyaliſmus non adeo frequens eſt, neque etiam fœtida ſaliva una cum ulcuſculis mali moris occupantibus rejicitur, ſed tenax viſcida lenta ſine fœtore & ulceribus oris, ita certe in ſcorbuto ſymptoma adeo malignæ indolis eſt, ut etiam cum hoc ſigno & ſymptomate cum lue venerea quandoque colludat. Comitem vero habet gingivarum tumorem, putredinem & laxitatem leviori attactu inter edendum vel loquendum nunc purum ſanguinem, nunc ſalivam fœtidam ſtillantium. In cauſa eſt, ut diximus, non modo mala diatheſis & dyſcraſia ſeri ſanguinis, quæ partes has teneras mediante motu ſanguinis alluens acredine ſua ac putrilagine inficit, verum etiam exinde pronatus gingivarum tumor, fibrarum laxitas, quam ſemper humorum abundantia ſequitur, ubi laxatio fibrarum contingit; unde non poteſt non copioſior, quam par eſt, ſalivæ putridæ ac fœtidæ propter ſtaſin redditæ proventus fieri. Cauſas vitioſæ hujus qualitatis in ſanguine recenſere inutile exiſtimamus, genuinas autem ac maxime omnium probabiles ingenioſe ſuggerit *Excell. Hoffmannus in diſſert. de generatione ſalium morboſorum in corpore humano.*

Salivationes hæ difficulter vel plane non medicamentis etiam optimis cedunt, cum licet inhibitus ſit fluxus; ſemper tamen de novo repullulat, & moleſtias ægrotis non mediocres creat. Lubet hanc in rem in præſenti adducere ſingularem obſervationem, quam *Suaviſſimus Frater J. N. Röper Med. D. & Practicus Halberſtad.* annotatam in praxi ex patria tranſmiſit, ſimul à me petens, ut hiſce ſimul diſſertationem meam illuſtrarem.

Vir L. annorum ſanguineo cholericus diætæ lautæ & vinoſæ cum vita ſedentaria deditus corripitur arthritide vaga ſcorbutica, in hanc modo corporis partem modo in aliam ſæviente, qua profligata per debita medicamenta liber ab his crudelibus paroxyſmis per aliquot annorum decurſum vixit. Ante annum & quod excurrit penis circumferentiam ejuſque glandem aliquot ulcuſcula miris doloribus ipſum torquentia, & ſerum ichoroſum fœtidum ſtillantia occupant. Accedit & chorda *dictus cordée*, ejuſmodi affectus, quo mitum extenſa & incurvata inſtar chordæ conſpicitur urethra, conjunctus cum dolore exquiſitiſſimo. Conſulit medicum, qui malo huic medetur per debita medicamina prius evacuantia, poſtea balſamica roborantia, relinquit tamen affectus ſedatus dolores, quos in pedibus & cruribus ſenſit, trahuntur in uſum decocta lignorum cum regimine ſudorifero, interpolata tinctura antimonii acri cum eſſentia anodyna maritata, ita & hi evaneſcunt. At vero elapſis aliquot diebus in adeo atrox ac fortiſſimum ſalivæ incidit profluvium, ut ſalvis adhuc quidem gingivis tubercula ſive apthæ oris in lingua & palato apparerent cum inſigni ardore

&

Digitized by Google

& dolore, qui ægrum valde cruciabant: & notabile fuit, quod ductus ſalivales Nuckiani tam ampli fuerint, ut pennam anſerinam admiſerint, copioſam ſalivam eructantes. Revocantur denuo in uſum decocta lignorum ut & pilulæ antiſcorbuticæ, & eſſentiæ ejuſdem valoris cum regimine diætetico, alvus per debita laxantia aperta ſervatur, vena quoque in brachio ſecatur, ſed omnia in caſſum, ut medicus ad pertinaciter perſeverantem fluxum compeſcendum anodyna in uſum trahere coactus fuerit, quod & præſtitit floribus ſulphuris cum laudano opiato remixtis ſummo cum levamine adhibita ſimul cura diætetica, per decem ſeptimanas inducias fert fluxus, qui his elapſis periodice revertitur, cum denuo inordinatæ ac leviori diætæ ſeſe mancipaſſet, leniori tamen gradu, in quo antea erat conſtitutum malum, adhibetur iterum interne tinctura antimonii & externe mucilago ſem. cydoniorum cum aqua & julebo roſarum ut & oleo amygd. d. item emulſio ex ſem. 4. frigid. & amygd. ſed nullum inde percipit levamen. Cura martialis methodice adhibita nihil profuit: ſputatio circa tempus veſpertinum & inter edendum (cujus phænomeni rationem inferius ætiologia ſuppeditabit,) uberior ac frequentior eſt quam de die. Medicus acidulas Egrenſes ſuaſit, quid inde levaminis ſit percepturus æger, tempus edocebit. Notatu dignum inſuper eſt, ægrum jam tractionibus ſpaſmodicis ab auribus ad thoracis regionem uſque ſeſe extendentibus moleſte divexari, quas a nulla alia cauſa derivandas eſſe auguror, quam à copioſiori iſta collectione ſanguinis & ſalivæ, quæ diſtendendo vaſa in conſenſum trahit partes adjacentes præſertim propter communicationem nervorum recurrentium faucium & pectoris officio ancillantium.

Diſcimus ex morbi hiſtoria, quam difficilis labor ſit, ſerum morbificum ab illa parte, ad quam ſemel illud amandare per conſuetudinem ſolita eſt natura, divertere. Fluxum autem hunc obortum fuiſſe à retropulſa arthritide quacunque etiam occaſione facta, ex eo manifeſtum fit, quod ceſſante & evaneſcente fluxu ſalivæ ingruant dolores arthritici, & contra: ſimilem obſervationem vide *in diſſertat. Excell. Hoffmanni de podagra retrocedente*, §. 2. *p.* 10. *it. apud Dravizium von Scharbock.* In ancipiti caſu medens verſatur, ubi enim revocatur podagra & fluxus ſiſtitur, periculum eſſet, ne denuo, ſedata podagra, ex leviori & inordinata diæta vel alia quacunque cauſa atrociora ſymptomata, quæ retroceſſioni podagræ ſubſequi ſolent, uti hiſtoriæ paſſim docent, ægrum torqueant, quæ quaſi auctis viribus & majori violentia recurrunt. Quem eventum autem morbus ſit ſortiturus, avide ſcire cupimus. Similes hiſtorias annotatas vidi apud *Eugalenum*, *practicum*, *præcipue quod ſcorbutum concernit*, *celeberrimum æque ac feliciſſimum.* Obſervationes hic breviter ſtrictiſſimque allegare, e re ſore ducimus. Prima hiſtoria ita ſeſe habet. Fæmina ann. 42. alioqui forma præſtanti; duriori ac craſſiori victui præter conſuetudinem indulgens ex retentione menſium per biennium laborat ſub-

ſe-

ſequente paulo poſt omnium fere membrorum inuſitato languore conjuncto cum ſputatione humoris modo inſipidi, modo ſalſi, modo fœtidi, ſemper autem aquei & viſcoſi: hæc malum hoc ægre ferens utitur medico doctiſſimo quidem, ſed circa hunc morbum minus exercitato. Cujus rei cauſa nihil commodi ex methodica ejus curatione percepit. Quo factum, ut relicto eo ad empiricum & impoſtorem confugeret, qui acrioribus medicamentis fluxum ſiſtere intendens eo rem brevi perduxit, ut rupta vena poſt aliquot ſanguinis rejectiones, ſubito & præter ſuam haud dubie opinionem ſanguine intra fauces hærente ſuffocaretur, præcedentibus anxietatibus præcordialibus. Vocati etiam, pergit, nos fuimus, qui mali cauſam cum ex urinis & crurum affectione, tum a pulſu & cæteris, quæ præceſſerant, ſymptomatibus cognovimus. Scholion ex hiſtoria recenſita hoc elicimus, ne ab acribus & calidis fluxus ille irritetur, ſubſequuntur inde correſpondente conſtitutione ſanguinis & habitu corporis propter ſpaſmos, quos concitant ejuſmodi medicamina, ac conſequenter regurgitationes & irregulares humorum motiones ad alias partes, diſtenſiones earum imo rupturas vaſorum, prout hic accidit. *vid. autor. cit. obſerv. 68.*

Ex ipſa hac ſputatione quidam laborabat nobilitate clarus, qui quoque idem malum cum urinis nigris & ſubfuſcis paſſus eſt, & pulſu adeo parvo ac debili, ut vix digitis perciperetur. Vixerat hic in perpetuis crapulis & ex ferculorum non optimorum ſemper varietate multos crudos congeſſerat humores, pravos & corruptos. Eadem methodus curandi profuit.

Idem malum quoque eſt expertus Vir LXarius, cum omnimoda nervoſi generis debilitate, paulatim magis magiſque vires & incrementum ſumente. Huic pulſus valde parvus erat, appetitus tamen conſtans.

Dolendum ſane eſt apud *Eugalenum*, quod medendi methodum concernit, qua uſus eſt felici ſucceſſu in ſcorbuto, ejuſque crudelibus ac omnem medici opem non raro eludentibus ſymptomatibus, altum ſilentium reperiri, unde merito in ipſum his erumpit verbis *Möllenbroccius in Tractat. de Arthritid. vaga ſcorbutica p. m.* 14. Meruiſſet, *inquit*, pyramidem *Eugalenus*, niſi curationem obticuiſſet.

Scorbuticum autem malum ſub hoc morbi ſymptomate ptyaliſmo ſubeſſe, patefaciunt urinæ craſſæ & ſubfuſcæ, aut craſſæ & rubræ; quibus pulſus ſubſcribit parvus debilis & inæqualis, languorque membrorum.

Veteres cauſam continuæ ſcorbuticorum ſalivæ & ſputi rejectionis adſcribebant vaporibus ex ventriculo elevatis, obortis partim ex depravata digeſtione & cibis corruptis, & ſecundum ductum membranæ œſophagum inveſtientis in os evectis, partim quod ex liene male conſtituto & pituitam copioſam generante hanc in ventriculum plus ſolito effundat, Vid. *Sennert. L. III. Prax. P. V. S.* 11. *c.* 4. *p.* 592. At vero hallucinantur veteres, cum cauſas horum effectuum clariores & magis perſpicuas recentiores nobis ſuppeditent, cujus etiam ſupra jam mentionem injecimus. Ptyaliſmus autem ſcorbuticorum & hypochondriacorum gradu tantum diſ-

ferunt, in illis in majori gradu eſt conſtitutus propter majorem ſanguinis dyſcraſiam & ſpaſmos vehementiores; in his autem in minori. Maxime autem inter edendum & circa tempus nocturnum uberior ſalivæ fluxus attenditur, quod ſub maſticatione, volutatione linguæ & ſubſequente gingivarum laxarum compreſſione non poteſt non humor ille plus juſto producere cum dolore, nocturno autem tempore, quod tunc atmoſphæra compreſſior, lentior circulatio ſanguinis, unde facilior ſalivæ & ſeri a ſanguine contingere poteſt ſeceſſio. vid. *Sennert. l. a.* obſervavi, *inquit*, in viro, qui inter edendum continuo & copioſiſſime exſpuebat. Affectum ſalivatorium recenſet etiam *Hagendornius hiſtor. medic. phyſ. Cent. I. hiſtor.* 72. Conqueſtus aliquis eſt de languore, anorexia, febricula, per dies non ita multos fatigantibus, cum addito, ſe hac ſorte contentum, non adeo pertimeſcere prædicta ſymptomata, modo non tam ſalivæ copioſæ ex ore effluxu moleſtaretur, & tantum non viribus inde orbaretur. Pergit, ſalivationem hanc id quoque comitari infortunium, quod tota oris fauciumque regio ſalivæ acrimonia ſit eroſa, & cum dolore non exiguo conjuncta. Referri curat pariter, hoc ſalivationis genus interdiu ſibi magis quam noctu infeſtum eſſe, ubi corpus ſudore copioſo diffluens ſalivationi habenas quaſi injicere ſolet. Igitur adornata juxta medendi leges cura, intra menſis ſpatium effectum eſt, ut à moleſtiſſimo hoc ſymptomate poſtea incolumis viveret. *Confer. Thom. Bartholinus cent.* 3. *hiſtor.* 77. *p. m.* 152. quo refert quendam ſemper à paſtu ptyaliſmo fuiſſe conflictatum.

Medendi methodum moleſti hujus ſymptomatis quod concernit, oleum & operam medicos perdidiſſe exiſtimamus, ubi ſymptomati tantummodo mederi, nec radicem ac fundamentum mali exſtirpare ſimul animum advertant, quæ in tota maſſa ſanguinea depravata peregrina mixtione ac dyſcraſia conſiſtit: cujus autem medelam, quæ nimis generalis eſt, merito hic reticemus, ablegamus autem lectorem ad eos auctores, qui plenis ac copioſis verbis hujus medelam tradiderunt. Expedit tamen, ut, cum ægris ſcorbuticis propter conjunctam gingivarum exulcerationem & laxitatem, ita, ut à cibis aſſumendis non levem abhorreſcentiam teſte *Sennert. l. c.* capiant, magnæ moleſtiæ ſit, allevamentum ſuppeditemus, quod peragitur gargariſmatibus, quæ leviter balſamica ſua virtute roborando, partim etiam diſcutiendo operantur, & hujus generis ſunt ea, quæ parantur ex herba ſalviæ, prunell. fl. roſar. rubr. balauſt. ficubus, paſſulis, quibus addi poſſunt ſyrupus diamoron & acidularii ſpiritus vitrioli debita quantitate. Dici vix poteſt quantum emolumentum tam in laxitate gingivarum, quam in nimia humiditate abſumenda præſtet ſpiritus vitrioli debite & recenter applicatus.

Non poſſum hac occaſione reticere ſingulare quoddam remedium, quod à *Venerando Dn. Parente* ad nimiam humiditatem orbandam, tonum gingivarum reſtituendum & roborandum inſignis efficaciæ hactenus in quam plu-

plurimis ſubjectis ſcorbuticis externe adhibitum, fuit deprehenſum; conſit autem illud ex vino rubro, viridi æris, aqua plantaginis & ſalviæ, quam aquam mediante penicillo ex linteo carpto confecto ægri gingivis frequentius de die ſibi applicant, cita, tuta, ac compendioſa via ægris allevamentum afferendo ſymptoma moleſtum exſtirpat: nec tantummodo in crebrioribus ſputationibus, verum & ubi gingivæ ſanguinem inſtar loturæ carnis ichoroſum fœtidum ſtillant, ac inter edendum ægros divexant, exſpectationi ſatisfacit: Quin etiam affectui huic medetur tinctura ſingularis, cujus compoſitionem vidi apud *Deckerum in not. ad prax. med. Barbett. de ſcorbuto p. m.* 151.

Ubi fluxus criticus eſt in ſcorbuto, neutiquam dicta remedia adhibere convenit, ſed interne danda ſunt lenia diaphoretica, diuretica, qualia ſunt tinctura antimonii rite præparata, decocta lignorum, & præcipitantia cum nitro remixta, quod miram vim anodynam poſſidet, externe demulcentia gargariſmata ex mucilag. ſem. cydon. cum aqua roſar. & oleo amygd. dulc. quæ ſimul ancillante natura omne abſolvent punctum.

Diæta magnum imo maximum ad ſanandum malum ſcorbuticum contribuit: quemadmodum enim levior vita, craſſior ac durior victus; imo aer peregrinus impuris heterogeneis atomis ſtipatus impuritates ſanguini introducunt, animumque hebetem reddunt, & morbos chronicos, uti jamdudum *Herodotus* olim notavit, corpori ingenerant: ita certe inedia, quæ plus præſtat quam generoſiſſima pharmaca, quæque methodus antiquis & ſapientiſſimis ſanandi morbos ſolennis fuit, ad depellendum, cæteris paribus, hunc morbum præſtat, qua de re vid. *Diſſert. excellent. Hoffmanni de inedia magnorum morborum remedio*, nec minus aëris craſſi in purum ſerenum ruralem mutatio in curando hoc morbo ejuſque ſymptomatibus paucis coadhibitis remediis inſignis erit uſus, quoniam ſub itineribus & mutationibus locorum animo exiſtente libero ab officiis & tranquillo ſpirituaſcentia ſanguinis motuſque humorum blande promovetur, unde ſecretionis & excretionis negotium melius procedit.

Quæ nonnunquam phthiſicos corripit ſalivatio, merito pro ſymptomatica habenda ſemper venit, quanquam rariſſima criticæ proſtent exempla, quæque nonniſi ſub initium morbi viſuntur, ubi reliqua lethalia ſymptomata defluvium nim. pilorum, alvi copioſa dejectio, ſputatio viſcidi glutinoſi humoris per tuſſim, ſudores nocturni, atrophia, facies hippocratica, febris lenta & quæ ſunt reliqua, procul ſunt, prout enim illa ſymptomata prorſus deſtructum ſanguinem, naturam debilitatam indicant, ita illorum abſentia & oborta ſalivatio cæteris paribus naturam ſufficientia virium motricium inſtructam eſſe, ſive ut veteres exiſtimabant, vim expultricem adhuc in vigore debito conſiſtere ſignificant. Recenſetur ejuſmodi ſalivatio critica *in Eph. Germ. N. C. D. II. A. I. p.* 131. *obſ.* 172. Quod ſi vero dicendum quod res eſt; neutiquam hæc ſalivatio pro critica eſt ha-

benda. Quando enim inſpicimus intimius hanc hiſtoriam, ſymptomaticam ipſam pronuntiare convenit: criſis enim naturæ jam facta erat; ita autem verba ſonant: *Interim die ſeptimo morbi febre hactenus ſaltim ſymptomatica aliquoties iterata alvi dejectione critice ſoluta, penitus ceſſante.* Paulo poſt tamen tanta ſalivatione fuit correpta ægrota, ut inde ob nimiam limpidæ & ſalivoſæ materiæ copiam reſolutionis virium metum injeciſſet, & medicus incraſſantibus & conſtringentibus fluxum ſiſtere opus habuerit. Si non fuiſſet ſymptomatica, ſed critica, certe fluxus non tantus fuiſſet, ut virium decrementum introduxiſſet corpori, imo nec medicus opus habuiſſet incraſſantibus uti. Nec primum quidem eſt exemplum, ubi poſt ejuſmodi deſtillationes ſalivæ largiores in phthiſes conſummatas & ſumme periculoſas inciderint ægri, qua de re obſervatores conſule. Nec minus hiſtoria illa, quam *Hagendorn hiſt. medico-phyſic.* 85. *cent.* 1. *annotavit* nobis ſublevat, ubi fœmina phthiſi incipienti laborans præter opinionem aquam limpidiſſimam veluti ex fonte ſaliente petitam, fauceſque continuo occupantem rejicit, ut hinc eandem ſalivatione mercuriali uſam eſſe putaret medicus, & lingua & fauces eroſæ viderentur. Paucis uſa medicinis, ſed os colluebat gargariſmate idoneo. Quo facto viribus exhauſtis vitæ clauſulam fecit. Ratio hujus fluxus ſalivalis illum latere haud poteſt, qui leges hydraulicas probe cognitas habet atque perſpectas. Cum enim phthiſis morbus ſit pro fundamento pulmones a ſanguine ſtagnante & impeditius circulante infarctos agnoſcens, hinc ſanguis ibidem regurgitans atque repreſſus vias quærit alias, & ſegregata lympha acris nunc diarrhœam, nunc urinæ fluxum copioſiorem, mox ſudorem, mox in diſpoſitis ſalivationem excitat,

Ad ſymptomaticarum claſſem referendæ quoque ſunt eæ ſalivationes, quarum hinc inde in angina, faucium vitiis, œſophagi & ventriculi inflammationibus in practicorum libris proſtantibus mentio fit, imo quotidiana etiam experientia teſte, exceſſivus hic & abundantior ſalivæ fluxus merito periculoſum anginæ ſymptoma audit, teſtaturque de maligna & acutiori quadam febre inflammatoria, quæ quidem ceu conatus ac molimen naturæ ad ſtagnantem ſanguinis portionem avertendam, per corporis habitum tenuiorem materiam ſanguineam factam eliminandam, & putredinem interturbandam junctis viribus intendit: At vero quoniam largior ſanguinis copia ibi ſtagnans alluentem ſanguinem & febrilem motum propter vias interclufas non admittit, imo etiam natura ex iteratis iſtis & fruſtra tentatis moliminibus mirum debilitatur, unde ſeceſſio iſta ſalivalis humoris a ſanguine ſubſiſtente craſſiori facto regionem oris & faucium copioſo humido obſidet, ut licet gargariſmatibus congruis, quæ nonnunquam admitti non poſſunt, viæ iſtæ a ſalivæ copia liberentur, de novo tamen propullulet, mortem brevi ſubſequuturam non raro prænuncians. Anginæ ejuſmodi feroci ſuperveniſſe ſalivationem *Helmontius lat. human. neglig.* §. 25. teſtatur.

Spu-

Sputatio hæc frequentior ac largior eſt in illa anginæ ſpecie, ubi dolor & rubor abeſt, vel ſi quis offenditur, levior tumor potius ſeroſus tum internas faucium partes occupat, & in quibuſdam ſatis latum ambitum tenet, qui cum copioſa pituitæ in os congeſtione aliquot intra dies finitur. Confer. hanc in rem Joubert. *oper. latin. tom.* 1. *p.* 357. it. Riverius *prax. medicin. l.* 6. *c.* 7. *p.* 204. it. Hercul. Saxon. *prælect. pract. part.* 1. *c.* 19. *de Angina.* Ejuſdem valoris eſt illa excretio ſalivalis, quæ inflammationibus œſophagi & ventriculi contingit, quæ quidem fluxio non tam primario congeſtioni ſanguinis circa illas partes tunicis glandulosis & majoribus quoque glandulis refertas, quam vi legum mechanicarum huic preſſo pede inſequenti febri ſpaſmis doloriticis aſcribenda eſt, *vid. celeb. Stahlii patroni atque præceptoris omni obſerv. cultu proſequendi elegantiſſima diſſertatio de* Αυτοκρατία *naturæ*, unde ægroti etiam de inſigni ardore & dolore circa ventriculi regionem conqueruntur. Oris & faucium inflammationibus accidiſſe ptyaliſmum *Rondeletius in method. curand. morb. l.* 2. notavit, quando ſcribit, ob id non mirum, ſi partibus oris inflammationem patientibus, aut exaliquo affectu præter naturam calentibus, hujuſmodi ſymptomata ſæpe ſuccedant, & ſi id non ſolius caloris ratione, verum etiam doloris aut partis affectæ natura efficiatur. Dolentium enim & imbecillarum partium natura eſt, aut ad ſe fluxiones attrahere, aut decumbentes in ſe recipere, largas quidem, ubi corpora plena ſunt & excrementis ſcatentia, *& paulo poſt*, Non paucis viſa eſt argenti vivi ſive inunctio ſive intro aſſumptio, dum ſua tenuitate fluxiones in os concitat, frequentis oris exſpuitionis cauſam attuliſſe. Aliis vero luis venereæ labes cum abſque alia manifeſta occaſione contabeſcere ſimul corpus atrophia, caputque dolere circa aures & maxime noctu magis quam interdiu torqueri conſpicitur. *Vid quoque hac de re P. Foreſt. obſerv. & curat. medicinal. l.* 14. in quo hinc inde natos ptyaliſmos in oris & faucium ægritudinibus reperies. Circa curationem hujus ſymptomatis monendum illud eſt, ne in exceſſu dentur ſacharata, ſyrupi, quibus medicorum intentiones vulgariter fundari ſolent, quippe ſalivæ viſcidiorem qualitatem conciliando enormior ſtagnatio ſitiſque moleſtior, quæ per ſe maxime urget, metuenda, potius res peragenda per temperantia diluentia gargariſmata, interne diaphoretica leniora anodyna, ita, quin res proſperum eventum ſit ſortitura, nulli dubitamus. In inflammationibus autem œſophagi & ventriculi ubi accidit ſputatio, non ad ſymptoma, ſed ad cauſam morbi, id eſt inflammationem & ſtagnationem ſanguinis ſeceſſionem ſeri ſalivalem cauſantem eſt reſpiciendum, quæ diaphoreticis & antiſpaſmodicis propellitur, qua de re vide auctores practicos.

Hiſce nunc perſpectis, tranſitum facimus ad eam ſalivationem, qua critice terminari ſolent morbi acuti, rarius chronici, de quibus tamen *Steno de glandulis oris* §. 24. ſcribit, ſputatori melancholico frequenter tumuiſſe genas, ſed indolenter, illumque tumorem nonnunquam ſalivatione

ſolutum, itemque *Sylvius de Lue venerea* §. 312. & *de hydrope* §. 324. meminit, eas ſcilicet cum notabili ægrorum commodo, & liberatione a morbis chronicis accidere. Ex acutis præcipue ſunt febris tertiana quotidiana, quartana, variolæ, quibus accedit illa frequens ſputatio, quæ certa anni tempeſtate contingere ſolet. Seorſim & ſingulatim examinabimus dictas morborum criſes.

Nihil autem eſt frequentius, quam quod autumnali vel vernali quoque tempore perſeverante diu tempeſtate humida præcedentibus ſiccis calidis ac frigidis ventis homines plurimi in ejuſmodi excretionem ſalivalis humoris incidant bono omine. Cum enim ſub præcedente tempeſtate multi humores in corpore erant generati, nec ſufficienter per habitum corporis ob poros anguſtiores & conſtrictiores eliminari poterant, hinc ſuperveniente auſtro vel zephyro fibras corporis relaxando, & conſequenter motum circularem humorum impeditiorem reddendo, reſolvuntur, extricantur copioſæ humiditates critice & ſalutariter. Exinde quoque ratio dari facile poteſt, quare tunc temporis capitis dolores gravativi, odontalgiæ, otalgiæ diarhææ, anxietates præcordiorum, tuſſes, rheumatiſmi, catarrhi ſimul hominem truculenter divexent, præſertim ubi impura ſunt corpora, cachectica vel ſcorbutica, quibus truculentiora ſunt dicta ſymptomata, quæ critice ptyaliſmo terminantur: ita annotavit *Steno l. a.* quod tumores genarum, ut & glandularum auriculas circumjacentium & glandularum colli indolentes a frigore autumnali vel etiam verno excitati, & paucas intra horas in immanem molem excreſcentes nonnunquam multa ſpuitione ſublati fuerint.

Ipſe *Hippocrates* fluxionem hanc ſuo jam tempore frequentius obſervavit. Imo quoque *P. Foreſtus l. c. obſerv.* 23. *p. m.* 455. id ipſum innuit, ubi ſcribit: anno 1465. menſe Octobri Novembri ac Decembri, cum longo tempore conſtitutio auſtrina permaneret, plurimi non ſolum in oculorum affectus ex defluxione inciderunt, verum etiam in ptyaliſmum ob capitis humiditatem per modum catarrhi perpetuo in os fluentem, & *paulo poſt in ſcholiis*, vere ipſo fluere continenter, ſi æſtas ſiccior ſeptentrionalis, ac autumnus fuerit pluvioſus & auſtrinus, in provinciis vero tepidioribus ad auſtrum vergentibus hieme ſequente is fluor infeſtat: ita & ætate *Benedicti Veronenſis Medici inſignis ut refert L.* 4. *c.* 18. hujuſmodi deſtillationes graves periculoſæ cum acuta febre omnem Italiæ oram infeſtarunt, ex quodam cœleſti influxu, ita ut quamplurimi caderent: ſic etiam in hac auſtrina conſtitutione ptyaliſmi valde moleſti fiebant ore ſemper ſaliva repleta. Meretur quoque legi *Rondeletius in method. curand. morb. l.* 2. *it. Solenandr. conſil. medicinal.* 5. & 11. *ut & ephemerid. celeberr. Hoffmann. ann.* 1700.

Notari præ cæteris meretur, quod hoc tempore, ubi catarrhi ac defluxiones ingruere ſolent, ſimul dentium dolores truculenti ac vehementiſſimi ſint, atrociaque intolerabili ægrum infeſtant, qui accedente tumore

more genarum ab affluxu humorum excitato, tandem bono eventu copioſa tenuis limpidæ ſalivæ exſpuitione terminantur, vehementiores tamen ac frequentiores eveniunt dolores fœminis habitus corporis laxioris ſanguinei, texturæ ſenſibilioris ſpaſmodicis tractionibus præ aliis ſubjectis valde aſſuetis, ſcorbuticis, in quibus ſimul adeſt graviſſimus dolor in nucha, qui ſe propagat ad aurem, parotidem, totamque maxillam cum inflatione ac rubore, arteriarum temporalium pulſatione, ſomno inquieto vel plane nullo, & demum perpetuo defluente ſaliva natura morbum ſolvit.

Pronum erit ex dictis intelligere, quomodo ratione curationis ſit procedendum. Peſſime faciunt medentes illi affectui huic medelam allaturi propinando interne opiata, conſtringentia; externe vero gargariſmatibus conſtringentibus acidis vel collutionibus frigidis rem peragere tentant, quid aliud agunt, quam quod ignorantiam ſuam palam fateantur, nec leges microcoſmicas cognitas ac perſpectas habeant, imo experientia multiplici teſte miſeros ægrotos in indelebilia fere mala imo mortis periculum præcipitent, dum ſalutarem hanc & criticam evacuationem ſiſtendo, naturæque intentionem bonam inhibendo, ſerumque copioſum humoribus vitalibus quantitate & qualitate infeſtum, quod proſcriptum ſemel eſt, repellendo, graviſſimas cephalalgias, dentium dolores atrociores, anxietates præcordiales, paralyſes, vertigines, ſingultus, diarrhœas cum graviſſimis torminibus & anguſtiis reſpirandi moleſtiſſimis, conjunctas, quæ ægrotum, ſi ſenſibilioris eſt texturæ in crebriorem lipothymiam conjiciunt, corpori introducunt. Omiſſis itaque iis naturam in criſi turbantibus ſubſtitui talia poſſunt, quæ demulcent, diſcutiunt, ac leniori roboratione in fibras relaxatas operantur, interne diaphoretica roborantia ſerum fluxile reddentia, uti ſunt infuſ. h. Thee, veronicæ, biſmalvæ, betonicæ &c. Nec incommode in uſum trahuntur leniora laxantia ex foliis ſennæ, tartaro tartariſato, manna, rhabarbaro, quæ mucum inteſtinorum tunicas obſidentem diluunt, & ſerum copioſum ſimul eliminant.

Accedimus nunc ad iſtam criſin, qua terminari non raro ſolent febres tum acutæ continuæ tum intermittentes, imo inflammatoriæ. Maxime omnium autem notari meretur, quod ad fluxum hunc inclinent ii, qui ſunt phlegmatici, melancholici, ſcorbutici, hypochondriaci, qui prout in ſtatu naturali copioſius humidum per ſalivales glandulas excernunt, ita in præternaturali ordinis & loci amans illuc amandat ſuperfluum, ubi id convenientius invenit, ſeque ab hoſtili materia liberat: ut rem exemplis clarioribus & magis in ſenſus craſſiſſime incidentibus illuſtremus, notorium eſt, quod, cum ſanguinei narium hæmorrhagiis, ubi de cætero ſani ſunt, utplurimum aſſueti ſint, morbo correpti acuto eadem terminentur affectiones, ut menſium, hæmorrhoidum & alvi fluxum ſive diarrhœam taceam. In quibuſcunque itaque hæc excretio contingit, ibi

Digitized by Google

ibi ſemper phlegmaticæ texturæ ſuſpicio eſſe poteſt. Memoratu autem illud dignum eſt, quod non modo conamine naturæ ſive ſponte exſpuitio hæc ſalivalis oboriatur, verum etiam à medicamentis interne exhibitis antifebrili ſpecifica virtute pollentibus obſervatus ſit fluxus, id quod maxime notari volo circa exhibitionem famoſi iſtius medicamenti antifebrilis corticis chinæ chinæ, cujus efficacia in debellandis febribus rite & debito tempore exhibiti hactenus ſatis ſufficienterque innotuit: notabile eſt, inquam, experientia teſte, hunc corticem, præmiſſis præmittendis, ſalivæ fluxum copioſiorem ciere, adeo quidem, ut fauces & gingivas imo linguam moleſtis fœtidis ulceribus ac eroſionibus nonnunquam afficiat, ac ſi mercurialia intro fuiſſent aſſumpta.

Sub limam jam non vocabimus verboſius ipſius principia & agendi modum, cum illa ſufficienter ac erudite pro more ſolito demonſtraverit *Celeberr. Hoffmannus in diſſert. de chinachina uſu & abuſu & modo operandi.*

Conſiſtit tamen ejus virtus, uti recte notat *Autor graviſſimus modo citatus*, ſpecifica & ſingularis in debellandis febribus in balſamico iſto leniori adſtrictivo roborante principio, quod non tam à priori ſapore nimirum amaro leniter conſtringente, verum etiam à poſteriori dilucefcit, præpoſtera nempe exhibitione, antequam primæ viæ fuerint correctæ, & à ſordibus bilioſis viſcidis acidis fomitem ac cauſam mali conſtituentibus liberatæ, dum inſequuntur febres diuturnæ, lentæ, tumores viſcerum, hydropes, hecticæ, phthiſes, aliaque indelebilia, inque præſentiſſimum vitæ diſcrimen ægrum præcipitantia mala, non alia ſane ratione ac reliqua manifeſto ſtyptica adſtringentia in febribus adhibita, uti maxime omnium eſt alumen, nux moſchata, liquor martialis, tinctura martis ſolaris, & quæ ſunt reliqua. Beneficio balſamicæ hujus roborantis virtutis in aliis ſudorem copioſius elicuiſſe, in aliis urinam largiorem civiſſe, in aliis alvum ſtimulandi facultatem exeruiſſe, in aliis inſignem ſalivæ fluxum proritaſſe obſervatum eſt: *vid. Sydenh. in opuſc. univ. p. m.* 382. Perſæpe mihi accidit, inquit, ut ab uſu ejus tanquam á catarctico fortiori aſſumpto æger violenter expurgetur; efficaciam ejus per ſudorem *vid. ibid. p. m.* 381. Conferatur quoque *Jones Tractat. de febribus.* Quod autem criticas ſupra dictas excretiones promoveat, ratio eſt, quod principio ſuo balſamico roborante fibras corporis laxiores factas corroboret, motumque tonicum naturalem ac congruum procuret, ita ut ad materiam morbificam eliminandam idoneæ iterum reddantur; roboratis itaque fibris ex certa diſpoſitione ac conſtitutione humorum ac conſuetudine naturali, nunc diarrhœam & ſudorem in bilioſis & cholericis, nunc ſalivæ & urinæ fluxum in ſanguineis phlegmaticis, melancholicis excitat, prout locus erit commodior, & materiæ morbificæ eliminandæ aptus & idoneus.

Recenſitu dignas judicavimus hiſtorias, quas nobiſcum communicavit *Perdilectus frater:* mulier hebræa 26. annorum intemperantiæ mirum quan-

quantum, ut ſolet ejuſmodi populus, dedita, temperamento melancholico-pituitoſo prædita, ſæpius catameniorum fluxum turbatum vel imminutum vel plane ceſſantem experitur, hinc inopinato in horrorem febrilem & ſubſequentem æſtum cum nauſea & vomendi conatu, imo quoque alvi adſtrictione conjunctum incidit, ita ut ultra decem horas paroxyſmus duraverit. Altero die ſalva permanſit a dictis ſymptomatibus, quæ tamen tertio die eadem redeunt atrocia, niſi quod levior fuerit horreſcentia febrilis, æſtus tamen eo vehementior ac intenſior, ita ut delirare incepe erit, unde febrem tertianam ſub his latitare judicatum fuit. Dantur hunc in finem evacuantia ἄνω & κάτω, hiſce peractis & primis viis, quæ ex inordinata diæta ſaburra vitioſorum humorum erant repletæ, expurgatis, exhibentur diaphoretica cum ſalibus digeſtivis remixta, ita paroxyſmus ſtata quidem tempora ac periodos ſuas adhuc ſervare, de atrocia tamen ſua multum remiſiſſe viſus fuit: continuantur dicta remedia; at cum pertinaciam ſuam multoties ac nimium declaraverit recurrentibus ſymptomatibus, ad chinam chin. ceu ſacram anchoram confugiendum eſſe cenſebatur, quæ in forma electuarii cum ſyrupo roſar. rubr. ad modum Sydenhamii præſcribebatur addito oleo caryophillorum & ſale ammoniaco. Febris feliciter profligatur, ita ut typum ſuum ſervare deſierit. At vero præter omnem opinionem tam crudelis oboritur ſalivatio, ut in ſuſpicionem medicus inciderit aſſumptionis internæ mercurialium, vel externæ applicationis unguenti mercurialis, fauces enim, lingua ipſa, ut & gingivæ corroſæ nigroque colore tactæ erant, cum ſalivæ copioſæ excretione. Medicus cohibere ipſum noluit, quod ſæpius hunc obſervaverit in febribus, ideo leniora roborantia externa, & interna diaphoretica cum infuſis calidis in uſum trahuntur, quibus factis ægra ad ſe rediit, & integra jam fruitur ſanitate.

Alia fœmina hebræa 30. ann. ſanguineo-phlegmatica ex ædibus noviter conſtructis quas habitabat, capitis & articulorum ſcorbuticos dolores ſibi contrahit, diæta inordinata accedente, tempore vernali incidit in febrem tertianam, quæ cum pandiculatione, oſcitatione præcedente, ſubſequente horrore, & æſtu totius corporis intenſiori per 20. horas durantibus juncta erat, ex diuturnioribus autem & gravioribus paroxyſmis lipothymia ſimul corripitur. Vena ſecatur; ita lipothymia in paroxyſmo ipſam derelinquit, dantur laxantia cum ſalibus digeſtivis remixta reiteratis vicibus; ſymptomata tamen eodem ſtatu ſtato tempore redeunt ſine lipothymia tamen. Idcirco ad penitus exſtirpandam febrem in uſum vocatur pulvis ex antifebrili Crollii, china chinæ flor. ſalis antimoniati martial. arcan. duplicato cum guttis aliquot caryophil. conflatus, quibus febris quidem evaneſcit; profligata vero illa in ſalivationem conjunctam cum gingivarum intumeſcentia ſine corruptione tamen ulla & dentium vacillatione incidit; methodo in ſuperiori caſu recenſita & hæc moleſta affectio ægram derelinquit, ita ut nec de febre nec doloribus articulorum

ſcorbuticis querelas nobis amplius moverit. In tertiana duplici obortam ſpuitionem vid. apud *Foreſtum l. c. l.* 5. *obſerv.* 4. *de febribus p. m.* 275. *Idem l. c.* 14. *obſerv.* 22. *p. m.* 455. ubi ſalutarem ac criticum hunc fluxum notavit, verba ita ſe habent : ſolet etiam ſaliva copioſe aliquando ex ore fluere, per modum criſis poſt febrem aut morbos acutos : ſicuti evenit Alcmariæ ſocrui meæ fere ſeptuagenariæ. Effluxit enim huic per os, idque per plures dies tam noctu quam die ultro humor ſalivalis tenuis per ſe, ut pannum lineum ſatis magnum neceſſe fuerit ſub ore ponere ad liquorem ſalivalem continuo effluentem excipiendum : hic fluxum noluimus intercipere, cum in ea ita morbi terminari ſolebant, quemadmodum ter in ipſa animadverti.

Nec minus in quotidiana febre largiorem ſpuitionem in fæmina ſucci plena ſanguineo-pituitoſa ſcorbutica annotavi, quæ in primordio veris de doloribus ventriculi, phlogoſibus, anxietate præcordiali, anguſtia reſpirandi ipſam invadentibus conqueritur, urina erat cruda & rubra inſtar ſcorbuticorum ſine ſedimento, ſomnus quoque paucus & turbulentus. Adhibitis debitis remediis antiſebrilibus, quibus etiam china chinæ admixta erat, febre propulſa multum ſalivalis liquoris per os ſputare incipit, qui fluxus per octiduum duravit, uſque dum ſponte ſua deſineret, & ægra reſtitueretur priſtinæ ſanitati. Eandem obſervationem videſis *in M. N. C. D. A. II. p. m.* 258. Febrem ardentem ſalivatione ſpontanea critice terminatam deſcribit *Rolſinkius ord. method. ſpecial. L. III. S. I. cap.* 41. Morbum Hungaricum *Waldſchmidius inſtitut. medic. l.* 3. *cap.* 7. Febrem catarrhalem. *Ephem. Germ. N. C. Dec. II. A. I. obſ.* 122. In febre quartana multoties poſt exhibitionem chinæ obſervavi in praxi clinica apud *Excell. Hoffmannum*, quem etiam notavit *in diſſert. de chin. chin. modo operandi* §. 13. In febre continua epidemica ptyaliſmum ſub finem acceſſiſſe conſignavit *Sydenhamius l. c. p. m.* 201. *Verba ipſius ita ſe habent :* ptyaliſmus quandoque ſatis copioſus ſub finem accedebat, ſi nempe nulla inſignior præceſſerat evacuatio, atque ægro julapia refrigerantia imperata fuerant, quo quidem, ſi neque evacuationibus, neque uſu medicamentorum calidorum fuerit interceptus morbus, ultra ſpem omnem fugam ſibi quærebat. *Vid. id. aut. p. m.* 209.

Conſideratione demum dignus eſt ptyaliſmus variolarum perpetuus fere comes, familiaris autem eſt magis adultis, cum in pueris & infantibus diarrhœa locum ſubſtituat. Magna hujus fluxus habenda eſt ratio, cum critica & ſumme ſalutaris ſit evacuatio in adultis, qui proclives ſunt ad hunc fluxum, quod in iis habitus corporis conſtrictior tenſior ſit, conſequenter neque materia varioloſa commode & ſufficienter eo proſcribi à natura queat, hinc providens natura ablegat illam in alium locum commodiorem & naturæ convenientiorem.

Adeo frequens eſt fluxus in adultis, ut accuratus variolarum ſcriptor *Sydenhamius l. c. p. m.* 168. aſſeruerit, unicum ſe tantum vidiſſe variolis

con-

confluentibus laborantem nulla ſuperveniente ſalivatione. Illa tamen varia eſt pro diverſitate temporum in variolis obſervandorum, imo etiam diſpoſitione humorum, adeo quidem, ut nunc ſalutaris nunc ſymptomatica & periculoſa ſalutari mereatur. Lethalis æſtimatur, ubi nimius obſervatur, (licet enim compeſcatur, periculum eſt, ne talia ſubſequantur ſymptomata, quæ ægroto mortem annunciant:) vel quando die undecimo ſua ſponte deſinit, niſi faciei intumeſcentia adhuc aliquantulum perſiſtens, ac manuum inſigniter jam incipiens ejus vicem ſubeat, neceſſe eſt ut pereat æger, *teſte Sydenhamio*. Rationem in promptu eſſe exiſtimo, quod tumores illi vel ſpem recrudeſcentis ſalivationis exhibeant, & naturæ robur validum eſſe in expellenda materia morbifica varioloſa, vel naturam tumorem hunc manuum ac faciei ſalivationis loco ſubſtituiſſe: manuum vero ac pedum intumeſcentia ceſſans naturam debilitatam indicat, id eſt ſanguinem in ctaſi turbatum, robur fibrarum deſtitutum, quibus poſitis materia varioloſa intus remanens crudeles tragœdias ludere, putredinoſum motum corpori inducere & circa pectoris regionem ſtagnans ſanguis nunc catarrhum ſuffocativum, nunc diarrhæam lethalem gignere poteſt.

Salutaris ac criticus hic fluxus notatur, ubi moderata quantitate ex ore ſtillat, & circa tempus exſiccationis ſponte deſinit. Neceſſarius autem eſt hic fluxus, quod ſerum abundans varioloſis ſalibus cauſticis refertum per habitum corporis copioſiſſimis jam & confluentibus variolis obſeſſum protrudi amplius nequeat: hinc illud per ductus ſalivales exterminat; facile exinde patet ratio, quare tam neceſſarius ſit in adultis fluxus adeoque etiam utilis, unde ***Waldſchmidius*** *l. c.* Nunquam, inquit, vidi ptyaliſmum in variolis funeſtum. it. ***Baglivus*** *de Prax. med. p. m.* 64. qui in variolis maxime ſputant, raro moriuntur, ut facili quoque negotio ſymptomata iſta, quæ fluxui huic intempeſtive cohibito vel medicamentis vel diæta & regimine male obſervatis, imo animi pathematibus, terrore & ira, quibus adultiores gravius obnoxii ſunt, ſubſequuntur, explicari poſſint, cum enim cohibetur fluxus ille, ad cutim & habitum corporis vergens, inflammationes puſtularum majores, anxietates oppreſſorias, imo dolorificas circa præcordia, in capite ſtagnans delirium ſ. phrenitidem, mictus cruentos in renibus, diarrhœas lethales, phthiſes, lentas, hecticas febres corpori ingenerare poteſt, uti exempla paſſim apud autores practicos proſtant.

In cura nihil prorſus tentandum nec ſalivationi illi habenæ ſunt injiciendæ: natura enim ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exſequitur, materiamque debito ordine ac via tum ſecernit, tum etiam expellit, imo etiam retinet & ſibi adaptat, ut noſtra ope, noſtris artificiis atque auxiliis non indigeat, ſuis viribus optime inſtructa, ſuis opibus locuples, ſuo denique ingenio ſatis edocta. *Vid. Sydenh. l. c. p. m.* 178. Remedia nimis calida exulent, cum ea avertendo ſerum ad cutim ſudorem eliciunt & motus fit in contrarium, niſi fuerit fluxus nimius, tunc enim clyſteres optimam opem ferent, probe tamen antea inſpectis circumſtantiis, habitoque temporum

 dif-

diſcrimine. Ubicunque ſalivæ tanta eſt acredo ut fauces erodere, puſtulisque illas afficere incipiat, gargariſma in uſum commode trahi poteſt, quod poteſt eſſe decoctum cornu cervi hordeatum additis paſſulis enucleatis mell. roſar. quod vel in fauces die nocteque ſyringa ſedulo injici, vel ſi vires ægri permittunt, ipſe gargariſare poteſt pro lubitu.

Coronidis loco illud adhuc monere expedit, ut ratione curationis hujus fluxus caute procedat medicus probe diſtinguat morbos in quibus oboritur, nec imprudenter ſymptoma morbi neglecto fundamento tractet: hinc recte *Rondeletius method. curand. morb. l. 2. cap. 7. de Ptyaliſmo*, diligenter, inquit, diſtinguere oportet, ut veram ptyaliſmi cauſam & ſcaturiginem deprehendamus., ſine qua ſupprimendæ copioſioris ſalivæ rationem veram invenire poſſe., ſperandum non eſt. Cum enim in cauſarum morborumque eam excitantium remotione conſiſtat, illud aggredi non ſanato ulcere, quod illam promovebit, inanis eſt laboris.

Plura & exactiora materiæ quidem gravitas requireret, ſed abrumpere jubemur, & hiſce paucis thema noſtrum pro inſtituti noſtri ratione adumbraſſe ſufficiat, plura & politiora deſiderantem ad medicorum practicorum monumenta & volumina amando. Scripſi vena ſimplici, ut potui, lector benevolus æquum ac juſtum, ut ſpero, feret judicium.

Quod reliquum eſt, *Deo T. O. M.* immortales habemus gratias pro exantlatis laboribus. Faxit ille, cedant hi in ipſius gloriam, proximi incolumitatem, & ſtudiorum noſtrorum commendationem!

F I N I S.

SAM.

XXVIII.

SAM. THEOD. QUELMALZ,

DE

PTYALISMO FEBRILI,

PROGRAMMA

Lipſiæ 22 Novemb. 1748.

Digitized by Google

RAriores per ſalivam contingere criſes, neminem medicorum fugit. Scilicet quicunque in ſtatu ſecundum naturam tantis tamque nobilibus excellit virtutibus humor, ut non ſolum manducationis actu cibi partibus ſe interponat, earumque interſtitiis minimis, a calore naturali in motum actus, inſinuet, ſed etiam eaſdem ſolvat, hocque pacto ſolidiora alimenta ad deglutitionem faciliorem præparet, ut inquam, in ventriculum depulſus liquoriſque gaſtrici partem non minimam conſtituens, menſtrui univerſalis alimentorum inſtar, tot diverſiſſimæ naturæ diſſolvendis, digerendis, inque chylum mutandis par ſit, illum ſane haud decebat quiſquiliarum morboſæque ex corpore proſcribendæ materiæ vehiculum agere. Aliud eſto judicium de eo a pulmonibus cum tuſſi rejiciendo ſputo, vel palati ex choanis deſtillante utplurimum pituita, fauciumque ac tonſillarum muco, quippe quæ fluida cuncta ob viſciditatem atque craſſitiem, adeoque ineptitudinem ſimul ad motum velocem, a ſanguine arterioſo ſegregantur, & poſtquam officio ſuo in lubricandis inungendiſque tunicis ac partibus defunctæ ſunt, in affectibus inprimis catharhalibus exturbantur ſaluberrime. Ab his autem longe diverſam partium teneritudinem limpidus ſalivæ ex glandulis ſcaturiens humor præ ſe fert, quippe qui & conſiſtentia, & ſecretionis organo, & qualitatibus ab illis differt maximè. Equidem nulli inficiamur ſalivam tenuitate, imo inſipiditate cum aqua ſimplici prima fronte convenire multum, ut adeo tantam præ hac prærogativam vix mereri videatur. Attamen longe plures magiſque activas tam alcalicas, quam acidas, inque ſalſum volatile converſas oleoſaſque ſubtiles, imo aëreas partes lymphæ huic adhærere, examen chemicum variaque paſſim inſtituta experimenta evincunt. Nec ſpiritus per nervos copioſiſſimos glandulis ſalivalibus communicati ſilentio prætereundi ſunt, quippe qui activitatem ejuſdem maximopere exaltant, quamquam minus cum *Warthonio* facere ſuſtineam, qui in *Adenographia*, per varia allegata phœnomena, ſpiritus hos nerveos reliquam, ab arteriarum ſanguine in glandulis ſecernendam lympham quantitate adeo ſuperare, ut maximam partem hæc illis conſtet, aſſerere haud dubitavit. Utut vero capaciores organorum ſalivam ſeparantium nervi oculis ſe offerant manifeſte, tantaque humoris hujus copia per ptyaliſmum vel ſpontaneum, vel medicamentis excitatum, propellatur, ut vel ipſi nervi non raro admodum exſiccentur; tantum tamen abeſt, ut ejus maximam vel omnem quantitatem fluido huic ſubtiliſſimo adſcribendam eſſe opinemur, ut nervis potius, in hemiplecticis ſubjectis, obſtructis vel quavis ratione ita deſtructis, ut ſuccus nerveus ferri per eos haud valeat, ſalivæ tamen effluxio, & quod mirandum ex affecto largius, quam ex ſano latere promanet. Satis eſt largiorem auræ hujus ſpirituoſæ, ſubtiliſſimæ atque elaſticæ portionem reliquarum ejus partium miſcelam ita intrare, ut non ſolum juſta illius fluidita

dita

ditas atque activitas, ipſeque tubulorum ſalivalium tonus naturalis, ad naturæ convenientem fluxus ejus moderationem utcumque præſtandam rite conſervetur. Tam laudabilis ergo fluidi profuſio largior corporis integritati damnum eſſe allatura ingens, cujus illi partem non minimam luunt, qui tam male propriæ conſulunt ſanitati, ut etſi ſalivæ copia minus urgeat, per ſolam conſuetudinem pravam eam, ceu inutile recrementum frequentiusque rejiciunt, inſimulque veterum cenſuram, qua animam ſuam odiſſe dicuntur, incurrunt. Profecto ab ipſis brutis animantibus, ad ipſum naturæ ductum conſtanter incedentibus, quæ oris hunc ſuccum linguæque cuſtodiunt ſolicite, cautius cum ſaliva mercari diſcere facile poſſent. Proin illa potius emunctoria quotidiana quaſi, quibus valetudinis ſecunda conſervatio perpetuo nititur, vias illas utplurimum ſiſtunt commodiſſimas, per quas nociva, quæ morbum hactenus ſuſtentaverat materies, educeretur. Una igitur cum furfuribus alimentorum fæcibusque alvinis, aut aliis ſeroſis excrementitiis humiditatibus tam per renes, quam corporis habitum externum, & ſenſibilioris ſudoris, & inſenſibili halitus forma indies proſcribendis, illæ etiam morbum inducentes, a viribus vitæ ad expulſionem diſpoſitæ præparatæque partes convenientius quotidieque ejici conſueverunt. Sicubi autem contra hunc conſuetum morem natura alium eligat locum, per quem nocivam ſaburram exturbare moliatur, haud in promtu, ſed magis in obſcuro latitans ratio ſubeſſe videtur. Meditationis idcirco hujus occaſionem nonnulli, prægreſſa æſtate, febribus epidemicis correpti ſubminiſtrant, qui morbi progreſſu, ſymptomatica ſalivæ excretione eademque largiori afficiebantur. Quos inter quendam habitu corporis pleno, nec juſto laxiori, ſpongioſiorique, nec rigidiori præditum, carnoſumque, ætate magis provectum, ſexageſimum nimirum tertium ætatis annum tranſgreſſum, febre tertiana continua, æſtu intenſiſſimo, gravioribusque aliis ſtipata ſymptomatibus affectum referre juvat, qui febre pauliſper ſaltem ab impetu ſuo maximo remittente, appetituque, virtute medicamentorum, vel parte quadam, reſtituta, ſub novi ſemper paroxyſmi initium, tantam ſalivæ quantitatem excernere incipiebat, perque omnem inſultus durationem, de die & nocte, vigiliarum, ſomnique tempore ſerie continua reddebat, ut quod commemoratu digniſſimum deprehendebatur, haud facile ulli unquam ad ptyaliſmum per medicamenta præparato largius ſalivæ profluvium acciderit. Quæque a ſalivationis artificialis excitatione vulgo oriuntur ſymptomata, nec in noſtro, utut mitiora paulo, aberant. Enimvero quæ glandulæ oris atque faucium ornant ſuperficiem una cum labiis atque lingua, ſine tamen dolore notabili, intumeſcebant, ſalivam primo tenuem, ſenſim ſenſimque viſcidiorem, demumque ſpiſſam plorantes. Nec intolerabilis ferme halitus fœtor, ulceroſam quaſi oris putredinem prodens, cum palatum inveſtientis tunicæ, leviori quanquam, eroſione conjunctus diſcrimen in noſtro conſtituebat. Lingua ipſa ceu in aqua, ſaponem ſolutum continente, mirando modo ma-

Digitized by Google

macerata, emollita, ſubalbida inque lateribus puſtulis obſeſſa atque eroſa viſa, loquelam omnino difficiliorem ſpondebat. Qua per plures dies indeſinenter progrediente, non poterat non laſſitudo, præcedentis morbi comes fidelis, augeri, præcordiorumque anxietatibus, gingivarum relaxationibus, dentiumque vacillationibus junctis, imo intercurrentibus aliquoties animi deliquiis, plura ſubinde ſuboriri accidentia. His tam analepticis nutritiis, quam oris collutionibus, aliiſque ex methodo exceptis, ſpes affulgebat fore evacuationis hujus, ſponte natura ſuſceptæ, eventum futurum auſpicatiſſimum, cumque morbi profligatione conjunctum. Verum enim vero tantum aberat ut poſt hebdomadum duarum triumve ſpatium elapſum excretio adducta, pedetentim ceſſans, morbi paroxyſmorumque febrilium, in intermittentium, inprimis febris quartanæ indolem jam vergentium colophonem addiderint, ut potius excretione hac prægreſſa non obſtante, continuaverint jugiter ipſeque ptyaliſmus, in reliquis ſubjectis eo detentis protinus deſinens, in hoc per hebdomadem unam alteramve ſaltem ſubſiſtens, ſub plurium paroxyſmorum inſequentium auſpicium recruduerit, ſicque niſi mere ſymptomaticum, tamen criticum modo imperfectum conſtituerit. Eo vero ſollicitius ſymptomatis hujus rarioris, extraque ordinem conſuetum comparentis cauſam mentis ſevera indagine eruentem operare pretium facturum, confido. Dum autem fluentum hoc ſalivæ, in non nullis cum tertiana continua epidemica hujus anni conflictantibus obvium, citra qualitatem vitioſam, ſine notabilibus oris fauciumque ulceribus, vel ſaltem ſuperficialibus, notatum fuerit, balbutiem ſolum quandam, atque articulate loquendi difficultatem ſecum duxerit, benignum idem nuncupare ſuſtineo. Quodſi nimiæ hujus in glandulis ſalivæ ſecretionis, quæ per ductus, quibus ab eo quem ferunt, humore nomen factum, affatim in os proruit, cauſas diſpiciamus, me, non inani ſuſpicione, culpam in latens quoddam in corpore miaſma malignum rejeciſſe, haud diffiteor, eoque potiori veritatis ſpecie, quo certior mihi conjectura de quodam, ſymptomate hoc correptorum, ſubnaſcebatur, eundem forſitan longis abhinc annis venereum quoddam fermentum ex contagio contraxiſſe, quod tamen medela dextra inſtituta, feliciter extinctum erat. Nec contrarium tamdiu mihi perſuaderi patiebar, donec alios, quod innui, ſubinde invenerim ægros eodem accidente febrili, eoque non exiguo detentos, ab omni interim miaſmatis labe immunes pronunciandos, qui, inquam, me permoverunt mitius paulo de illo judicium ferre. Febres epidemicas univerſalem quandam cauſam, ex aere inprimis, per æſtatem fervidiorem æſtuante petendam agnoſcere extra dubitationis aleam poſitum eſſe reor. Cum vero atmoſphæræ iſtius ea fuerit conſtitutio, ut liberiorem ſemper præſtiterit tranſpirationem, ſeroſumque humorum a ſanguine ſecretorum excretionem nil quicquam fuerit morata, qualis cæteroquin effectus aerem frigidohumidum æſtivum excipere ſolet, vereor ne improportionatus ſit effectus. Quantum jam corporis diſpoſitio mutando

diverſimode ſchemati morbi & ejus ſymptomatibus ſibi vindicet, noto eſt notius. Lymphæ igitur mucoſæ, inſimul acrioris ſalibuſque refertæ in aliis partibus, quacunque ex cauſa, prohibita ſeparatio haud inique accuſanda venit, ut proin, quicquid ejus in ſanguine fuerit retentum, concurrente viſcerum chylopœorum morboſa diatheſi, cum ob conſiſtentiam lentiorem, nec ſudoris, nec lotii forma extra corporis limites proſcribi potuerit, cum cruore arterioſo per arteriæ carotidis ramificationes externas ad ſalivæ hos glanduloſos fontes deductum, ibique ſecretum fuerit. Ut taceam tantam in uno aut altero obtinuiſſe dyſcraſiam ſeroſo ſalinam, eamque acrem, quam vulgari magis titulo cacochymiam humorum ſcorbuticam dixeris, ab abuſu ſalitorum, fumo induratorum aliorumque acrium aromaticorum, quibus nimium delectabatur, non parum auctam, ut iidem poros in corpore felicius perreptare permigrareve queant nullos, atque hos ſalivales. Quotquot ex abdominalium viſcerum colatoriorum vitio, quod plerumque fit, ſimul laborant, ita ut humorum ſeceſſiones impeditius procedant, eadem ſenſim increſcente ſecretionum ſuppreſſione ac morbo, in melancholiam hypochondriacam proni, perque experientiam, ad ſalivæ ex rivulis ſuis effluxionem magis diſpoſiti reperiuntur. Quam rem egregie ptyaliſmus variolis copioſis ac confluentibus oppreſſorum ægrotantium illuſtrat, utpote qui, ob cruſtam a variolis quaſi cuti inductam, turbata prorſus diapnoë, ſalivam copioſe ex fontibus ſuis propullulantem ſæpenumero experiuntur. Nolim inſuper ventriculi ejuſque orificii ſiniſtri ſenſibilioris triſtem ſenſum aut vellicationem roſionemque a liquore gaſtrico, bile cyſtica, ex duodeno in eum regurgitata, humoribus in morbis his acerrimis, aliiſve cruditatibus ſtimulantibus, imo lumbricis, ibi quandoque hoſpitantibus excitatam poſthabere, quippe quæ ſola tam alterando motum periſtalticum, eumque ſurſum verſus proritando par eſt, ut non ſolum quævis ingerenda cum nauſea reſpuantur, ſed ſaliva ipſa, non aliter in oris cavum eructetur perpetuo, ac fortiori exiſtente ſtimulo, vomitus ipſe excitari conſpicitur. Nec tamen arbitrari fas eſt humorem hunc, quo tunc perpetuo irrigatum animadvertimus os, ex ventriculo vel gula ſurſum propelli, limpidus profecto color ſaporque vel nullus, vel pauciſſimus aliud ſentire ſuadet. Scilicet ex iiſdem rivulis glanduliſque, ex quibus alio tempore ſcaturit, ea ipſa quoque cauſa per nauſeam propellitur, quanquam ab ipſa ſuperiori gulæ regione pharyngeque portionem hujus humoris, per conſtrictionem partium ſpaſticam exprimi, expreſſamque ori infundi, præfracte dubitare nolim. Bene interim rariorem hanc excretionis ſpeciem novi, cum tamen allegatæ cauſæ omnium exiſtant frequentiſſimæ. Verum ſi curatius penſitemus, quantis contractionibus univerſæ primæ viæ, nervorum plexus, parteſque fibroſæ, ad quas excurrunt, utplurimum ſimul in chronicis hiſce affectionibus vexentur, quantis turbis flatulentis, imo alvinis pertinacioribus obſtructionibus afficiantur, facilius, ni fallor, modus, quo partium allegatarum ſpaſmodiceæ conſtrictiones ſeroſos humores

res ad ventriculum & inteſtinorum canalem coacervare, hincque inducta fibrarum gaſtricarum atque œſophagi coarctatio ſymptomati anſam præbere valeat. Quo autem liberius mentem meam de eo explicem, non poſſum non pancreati, quod toties per anatomen practicam, in corporibus chronicis morbis extinctis, labefactatum, jam prætumidum, pituitoſoque in ductu ejuſque ramis lateralibus ſero infarctum, jam induratum, ſcirrhoſum, imo cancroſum, jam calculis emiſſarium ejus canalem obturantibus, jam inprimis in ſenibus duritiem cartilagineam induens, jam alia ratione, tamque ægre affectum, ut vel deficiente ejus ſucco atque miſcela cum bile ac chylo, totum digeſtionis opus peſſundetur. Quacunque ergo ratione impediatur, quo minus laudabili ſucco a ſanguine ſecernendo amplius ſufficiat, illeque cum cruore tranſeunte maneat conjunctus, quid impedit, quo minus ad glandulas ſalivales conglomeratas, eadem textura ac fabrica conſtructas, lege circuli appellat, copioſiorisque ibidem ſalivæ ſeceſſionis cauſa exiſtat. Eoque majori cum fundamento hanc amplecti licet ſententiam, cum uterque liquor eandem indolem, eaſdem præ ſe ferat qualitates. Ex quibus eluceſcit, febrilem hanc ſalivationem a partibus maſſæ ſanguineæ ſeroſo-mucido-ſalinis aliiſque heterogeneis, quibus in cæteris colatoriis, per varias cauſas non datum fuit ſecedere, quæque per motus febriles vitæque vires eam conformationem, craſin atque texturam obtinuere, ut per glandularum ſalivæ poros, dicta quantitate penetrare, atque ab his tranſmitti poſſint, derivandam eſſe. Plures ſubinde non raro concurrere rationes, quare indigitatæ lymphæ tantum in oris cot fluat cavum atque inde exundet, lubens largior. Qua occaſione viri ſexagenarii reminiſci juvat, qui cum annis abhinc tribus frigore hyemali exiſtente intenſiſſimo, ſubito apoplexiam pateretur, medicaque opera ocyus priſtinæ reſtitutus eſſet ſanitati, hac ipſa æſtate in eandem febrem tertianam continuam epidemicam incidens, concurrente humorum cachectica pravitate, cum glandularum earum pororum, ductuumque ſalivalium paralytica laxitate denuo revertente leniter, qualibet febrili invaſione ſimilem obtinebat, & quidem ſolum in latere olim affecto, ptyaliſmum, eumque ſat largum. Quod morboſum accidens ſe aliquoties in praxi obtuliſſe, recordor. Mitto externas injurias quæ eandem, ſed ſine febre, concurrentem ſeri hujus excretionem efficiunt, quibus non immerito colli tumores ſtrumoſos a iniſque jugulares venas, aut in alterutro, aut utriſque lateribus comprimentes, ut adeo via ſanguini ex arteriis in venas plus minus denegata, omne, quicquid modo ipſi ineſt, feroſi liquidi per glandularum poros tranſcoletur, annumero. Id quod in maxillæ tam ſuperioris, quam inferioris oſſe dentibuſque carioſis, ingentem atque ad hecticam conſumtionem uſque protractum ptyaliſmum non raro inducentibus, plus vice ſimplici coram ſum intuitus. Etſi igitur largum hoc in febribus hiſce profluvium tamdiu perennans, tantamque humorum ſeroſo mucidorum quantitatem expulerit, quæ humorum maſſam perfecte ſatis depuratam videtur relictura, perfectamque

 quod

quod ſupra innui, ſperare juberet ſanitatem, eoque certius, cum morbi nonnunquam graviſſimi, citra mercurii uſum, per eandem fuerint profligati viam, de qua re *Foreſtus Libr. XIV. Obſ.* 23. quædam literis conſignata reliquit; mirari tamen illi vix ſubit, quare non perfecte morbum ſolverit, ſicque criticæ evacuationis titulum fuerit promeritum, qui vernalium febrium, tanta inprimis vehementia invadentium mores atque pertinaciam, teſte Hippocrate, haud ignorat. Nec tamen omni idem deſtitutum fuiſſe utilitate fatendum eſt, cum genium morbi non obſcure mutaverit, eumque minimum paulo mitiorem reddiderit, in uno & altero jam in tertianam ſimplicem, jam in quartanam vel ſimplicem, vel duplicatam, morbo vergente. Probe interim reſpiciendum eſſe credidi, ne per chylificationi hoc objectum impedimentum, increſcente ſenſim pituita, eoque magis, quo major tenuioris ſeri copia exturbata fuit, atoniæ veterumque ſic dictæ intemperiei frigidæ, præcipue cachexiæ, œdematibus atque hydropi porta pandatur.

Quotus vero eſt quiſque, qui non perſpiciat, quanta circumſpectione inſolitæ hujus evacuationis indoles ſit metienda, ne ullo forte modo ſupprimatur, etſi morbo vincendo impar ſit, ſed inprimis diæteticis ſubſidiis, iiſque leniſſimis reſolventibus, aut attenuantibus humor ita diſponatur, ut ſine viarum partiumque quas attingit, incommodo, vel noxa ad exitum diſponatur, ejuſque finis ſpontaneus placide expectetur.

ELIÆ

XXIX.

ELIÆ CAMERARII

ET

GEORGII TOBIÆ WEISSMANN,

DISP. EXHIBENS CASUM

DE SALIVATIONE

SINE SALIVATIONE.

Tubing 18. Decembr. 1711.

Digitized by Google

L. B. S.

EXhibemus tibi, Lector Benevole, ſalivationem ſine ſalivatione, ægrum ſcilicet venerea labe infectum miſereque tortum, qui moleſtam illam, quæ per ſalivationem dicitur inſtituiturque, ſanationis viam ingreſſus, ſalivæ equidem, quem expetebat fluxum procurare nulla arte valuit, deperditam nihilominus ſanitatem præter ſpem conſecutus pleniſſimam, firmiſſimamque. Non te erudire, ſed prodeſſe diſcentium commodis, ac diſputatorio exercitio materiam ſuppeditare animus nobis eſt. Adſit Deus conatui.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtoriam ſiſtens morbi, methodumque ſanationis, obſervatam in caſu, quem diſputationis fundamentum eſſe voluimus.

ANnorum 25. Juvenis, temperamenti ſanguineo-cholerici, Gonorrhœam triennio abhinc virulentam ex impuro contraxerat concubitu, ſuppreſſit eam citius, quam par erat, remediis adſtringentibus; admiſſos porro errores enataque hinc incommoda occultare diu maluit, quam fateri morbum, donec emergens e ſiniſtro inguine venereus bubo metum ipſi haud levem incuteret; Chirurgi hinc ſemidocti conſilio emollienti emplaſtro adoritur bubonem e latibulis ſuis pedetentim aſſurgentem; ſed nonniſi exili in ſummitate ac ſuperficiario foramine pertuſum, ac pus, parcius tamen juſto fundentem, non audivit chirurgi monitum, protrahendum cataplaſmate bubonem, provocandumque pus pleniori rivo ſuadentis, ſed conſolidationem urgens, facile eam in ulcere haud profundo obtinuit emplaſtris illi ſcopo ſervientibus; cum vero & laſſitudines, & dolores dorſi artuumque acres pateretur, ejuſdem chirurgi ſuaſu, decocto lignorum aliquandiu uſus, largius ſudorem provocando aliquod mali levamen tantiſper ſenſit. Breves vero infidæque induciæ erant, ruebant omnia dehinc in pejus, dyſpnœa, præcordiorum anheloſa conſtrictio, immanes dorſi dolores, miſeræ hinc inſomneſque noctes graviſſime urgebant ægrum, lecti calorem minime ferentem. Is vero, quovis alio morbi genere malens videri ægrotare, quam eo, quo revera tenebatur, medico aliam allegare ſymptomatum originem nitebatur, unde a caſtoreatis, cinnabarinis, nitroſis, anticachecticis aliiſque remediis opis aliquid ſubinde ſenſit; novo tamen brevi ſymptomatum graviſſimorum impetu obrutus in maciem incidit, ſenſim tenſa violentius ſuper oſſium compagem cute, præcordiis fortiter conſtrictis, reſpiratione anheloſa, intolerabili

dolore, nocturno cum primis tempore artus quoque miſere affligente, ut noctes duceret inter ejulatus inſomnes, ſibi aliiſque gravis, lectumque ob incrementa dolorum ac dyſpnœæ fugiens, vitamque trahens miſerrimam. Tum demum medici, venereæ luis occulta molimina dudum allegantis accuſantiſque, conſiliis aſſentiri, culpamque cœpit fateri. Itum igitur eſt ad generoſa remedia, fruſtra dudum tentatis reliquis ac mitioribus, ſectaque vena, & purgante remedio exhibito, duro nodo durus quæſitus eſt cuneus, mercurius ſcilicet, moleſtaque ejus in corporis penetralia inſinuatio, largiſſimum ſalivæ fluxum excitans, ſalivationis, quam vocant, cura. Fumo mercuriali expoſitum fuit corpus (hanc enim methodum chirurgus, cujus utebatur opera, ſolemnem ſibi dicebat,) erant in ædibus iiſdem plures alii eadem labe inquinati, qui fumum bis admittentes largiſſime lentam viſcidamque profundebant fœtenti ex ore pituitam; noſtro vero huic nihil tale accidit, tertia etiam, quartaque vice larga fumigatione admiſſa, adeo ut licet copioſe manante madeſceret ſudore quavis vice, nec ullum tamen vel gingivæ glandularumque intumeſcentium, vel ſalivæ uberius extillantis indicium ſeſe proderet, ſicca potius omnia erant; ſtupens ad iſta, qui nunquam id viderat, chirurgus, conſentiente medico panaceam porro adhibuit mercurialem, ſed ne ſic quidem ſeri fluxus ſucceſſit, tandemque, mercurio bis largiter fuit inunctus, at neutiquam aridæ fauces ſalivam ſtillabant, aliquoties tamen liquida alvus in diarrhœam quaſi ſoluta eſt; juſſit igitur finem iſtorum omnium fieri medicus, tenuemque diætam mutari, ac prodire ſenſim ex carcere exſuccum, exhauſtumque corpus, mercurio haud perfunctorie hactenus triplici hac via imbutum, ſperans, a ſingulari remedii ſucceſſu ſingularem eventum, nec feſellit opinio, brevi homo ad incitas prius redactus vigorem recepit priſtinum, habitum denuo athleticum recuperans, atque ab omni porro ſymptomate infinitiſque, quos perpeſſus antea fuerat, cruciatibus, plane liber valet nunc, vigetque.

CAPUT II.

Mali originem, neglectam repreſſamque gonorrhœam, & ſalivationis methodum modumque conſiderat.

ÆGer, cujus modo hiſtoriam, affectumque & ſanationem expoſuimus, clariſſime exemplo ſuo comprobavit, triſtem frequentiſſime eſſe momentaneæ voluptatis eventum, morbumque adeo tetrum, non aliarum ægritudinum more diuturno exceſſuum errorumque uſu obrepere, ſed plerumque ſubito atque inperceptibili contagio in plurium annorum tædia tranſmitti. Gonorrhœam repreſſit imprudens, frequentiſſimo, in iſto hominum genere, errore. Tædet certe ſub diuturno ac dolorifico ſaniei fluxu

fluxu tot miſeriarum moleſtiarumque eos, qui morbum plerumque ſolicite occultare ſtudent; repreſſionem igitur ejus unice deſiderant, inſano quidem auſu, cum hoſtem ipſa vitæ ſtamina inſidioſe ſubruentem vi intra corporis penetralia retineant. Tædet ipſos dolorum ac moleſtiarum, immanis eſt ſaniei ardor, gonorrhœæ, ſi cordata audiat, cruciatus enormes reformidant, reprimunt ergo fluxum, at quam graves impatientiæ pœnas daturi, teſticulorum tumore ac ſcirrhoſa fere duritie, bubonem horrenda lancinatione, doloribus ὀστεοκόποις, urethræ hyperſarcoſi atque ulcere, glandiſque immanibus fiſſuris, cæteriſque luis tetræ truculentis ſymptomatis imprudentiæ ſuæ ſero ipſos & graviſſime arguentibus. Exemplum hiſtoria noſtra exhibet, quod una tamen docere valeat, non eadem venenum illud ratione in corporis ambitu ſeſe exſerere: ſunt enim in quibus genitales magis invadens occupanſque partes dictas modo ludit tragœdias, frequentique corpus ulcere conſpurcat, corroſivæ quippe, cauſticæque indolis, ipſa tandem oſſa pervadentis erodentiſque; alibi vero ſcenam ſuam in nervorum tendinumque ſyſtemate aperit, varioque in illorum plexibus ſchemate virus ſuum ſimul exſerit atque occultat. Evenit hoc potiſſimum ægro noſtro, quanquam ex utroque aliquid paſſus fuerit. Gonorrhœam intempeſtive adſtringentibus coercuit, diætæ ſimul ſtrenuus contemptor, acris igitur ſanies ſanguinis illata maſſæ, inque nerveos dehinc delata plexus, tot dolorum author extitit, cumque moleſtam ſibi natura robuſtior amoliri atque extrudere maſſam niteretur, ac in inguine tumente glandula buboneque elato exitum pravis pararet ſuccis, etiam hic propellendus omni conatu provocanduſque hoſtis ſtultiſſimo auſu repreſſus eſt, ſuperficiario ſaltem ulcere mox iterum omni niſu ad cicatricem perducto. Priſtinas ergo in nervis ſedes bis jam temerarie repreſſus humor eo gravius repetiit effecitque, ut & dolores æger pateretur in capite, dorſo, artubuſque immanes, nervis ab acrimonia miſere laceſſitis conſtrictiſque partim, ac tenſis, & flectere corpus atque inclinare amplius non valeret, ex eodem fonte conſtrictio pectoris, ſumma laſſitudo, & extrema tandem macies, cum nutritias ſanguinis partes dudum ſubjugaſſet, pervertiſſetque acerrimæ ſaniei virulentum ſtagma, ad nutritionem æque & per capillaria vaſa circulationem longe ineptiſſimum, quo ipſo vigor omnis, & ſpirituum libera in cerebri cortice elaboratio, fons roboris vitalis, non potuit non penitus ſuccumbere atque extingui. Poterant igitur mitigare tantiſper funeſtam malorum ſyndromen nervina, aliaque memorata remedia, at malum tantis firmatum radicibus tollere haud valebant, cum laceſſentis veneni ſubtiliſſima ſpicula intimos fibrillarum receſſus intime pervaſiſſent; nec decoctis lignorum, ſudoribuſque largiter inſtitutis ceſſit morbus, quin majora brevi poſt capiens incrementa ægrum intolerabili cruciatu ad extrema & deſperationem fere adegit, cum moverent equidem, ſed non emoverent ſatis excuterentque, quin potius altius nervorum infigerent intruderentque fibrillis frequentiores iſti ſudores, acres, pungenteſque & viſcidas ſimul lentaſque ſaniei venereæ cor-

poris ſuccos pervadentis moleculas. Properandum igitur, ni ſuccumbere tabi, doloribuſque enormibus debuiſſet æger, ad fortiora erat remedia, quæque penitus ad iſtas veneni moleculas penetrarent accederentque particululis ſuis tenerrimis ac volubilibus, ac vim proin earundem infringerent, ac ſecum eas protruſas involutaſque ex corpore educerent atque eliminarent.

Vocatus itaque in ſubſidium mercurius, ac ſolennis illa tam virulentæ lui eum adhibendi methodus, ſalivationis quam vocant, cura. Hæc dudum merito ſuo celeberrima eſt, aliis quoque hodie affectibus dicata, non pari equidem ſucceſſu, plus in fœda ſcabie, impuroque ſanguine corrigendo promittens, quam quidem in paralyſi præſtitiſſe hactenus obſervare licuit; (an in occulto mammæ canero locum habeat medica nuper conſultatione diſcuſſum meminimus:) ab hoc igitur tam decantanto hodie remedio innumera alia exempla multum, imo opem unicam ſperare jubebant. Eligendus ſaltem erat præſtantior modus, quo deferri in penetralia corporis mercuriales moleculæ poterant. Adhibere hoc remedii genus ſub varia forma ſolent medici ac chirurgi; notiſſimum eſt alios mercurium dulcem, turpethum alios minerale ſeu flavum mercurii, ac paulo violentius præcipitatum auctis ſubinde doſibus exhibere, panaceam alios, quam vocant, mercurialem, quanquam nec illam ſemper adeo fidam lenemque, ac deprædicare eam ſolent; alios alias arcanas ejuſdem remedii præparationes, ſemper tamen mercurius eſt, quocunque ipſum veſtiant circumdentque pallio, a nullo hactenus ſit venia verbo, fixatus; quanquam ſæpiſſime cum fructu interne ſic exhiberi, ac ſalivationem ſalutariter excitare res ſit experientia frequenti firmata. Unguentis permixtum alii mercurium unctione articulorum potiſſimum ac frictione applicant, modo nobis hactenus præcipue ac multo cum fructu probato, ac ſatis, ſi circumſpecte tractetur æger, tuto ſecuroque; adeo ut vel geſtantis utero fœminæ recordemur, quæ felici eum ſucceſſu pertulit, nullo inde in fœtum, ejuſque convenientem geſtationem atque excluſionem incommodo redundante. Quanquam & hic non probandus ſit exceſſus, ac viri nunc cujuſdam exemplum ſubeat mentem, qui toto largiter pluribuſque inunctus vicibus corpore, ulcerato nimium ore & ptyaliſmum patiebatur ultra tres hebdomadas vix coërcendum, & hæmorrhagiam ex putridis gingivis ac hiante fiſſuris ſpurciſſima lingua enormem ac vix coercendam.

Aeger vero noſter aliam primo methodum ſubiit, fumo nempe expoſitus mercuriali. Dandum plerumque aliquid eſt mori chirurgi miniſtrantis, qui uni præ aliis methodo aſſuctus eſſe ſolet, haud temere, ſi cætera ſint paria rejiciendo. Notum alias, quantum noxæ patiantur a mercurii infauſto fumo, cum largius eum inautando argentum hauſerint aurifabri, ac pluſquam ſemel immanes vomitus, horrendas vertigines, atque aliquid apoplexiæ analogum in iis obſervavimus. Verum hic ita halitus e trochiſcis prunis candentibus injectis aſſurgentes a tegumentis coercebantur, ut caput

put ferire, graviuſque afficere haud poſſent. Raro tamen exemplo æger hic & fumigationem hanc, & inunctionem tandem, medioque loco panaceam experiri, utut ſine ſalivatione coactus fuit.

Quærat forſan aliquis, qui fiat, ut qui & ore aſſumtus & inunctione in corpus ſe inſinuans, & halitus forma, per oſcula poroſque cutis ingrediens ſalutarem, ſi rite cætera omnia fiant, ſalivationem, ſine gravibus excitet ſymptomatibus corpuſque a labe immani liberet, eadem halitus forma largius ore hauſtus pernicioſus eſſe queat. Cui ut reſpondeam, prius ſupponenda ſtatuendaque ratio eſt, qua argentum vivum corrigat venenum iſtud ac tetram humorum labem in corpore infecto tam profunde hærentem. Varia variorum audias ratiocinia, quorum illi ſubtilius præ aliis rem deducunt, qui mercurii globulos conſiderant, tanquam alcalium familiæ adſcribendos, quorum vaginulæ, hoc eſt, foramina, queis pertuſi ſint creberrimis, abſcondant ac recipiant in ſe, mitigentque proin & ſimul volubilitate ſua ſecum evehant e corpore acidi venerei cuſpides ſpiculaque; ac eundem omnino foret in ſententiam illam, niſi hæ globulorum mercurialium vaginulæ, hæc eorundem foramina ac cavitates, totaque proin ipſis adſcripta alcalina indoles dubiis expoſita eſſet haud contemnendis. Malim proin credere globulos hos ſumme parvulos, ſumme mobiles volubileſque, ac ſimul ponderoſos, & vi ſuæ figuræ omnibus vaſculorum quorumcunque capillarium mæandris, oſculis, ac cavitatibus congruos, facileque accommodandos, ſuo per illa fluxu ac protruſione cum reliqua humorum pravorum maſſa, viſcidas veneni hujus acris ac lentas moleculas, firmius tunicis vaſculorum adhærentes, ſecum protrudere, abſtergere, ac ad excretionem per glandularum oſcula potenter urgere, ſecumque proin efficaciter eliminare, quæ nullis aliis remediorum particulis, rotunditate quippe iſta ac lubricitate deſtitutis, antea ceſſerant, ſed immota ſua in ſede anguſtiiſque permanſerant. Hoc ſuppoſito perinde erit, quacunque etiam via vel ratione globuli iſti ad receſſus corporis, maſſæque ſanguineæ ac glandularum tubulos pro deturbandis inde acris ſanici moleculis acceſſerint, modo acceſſerint ſub forma habituque globulorum; ſi enim halituum forma os nareſque largius ingrediatur, (ut ad quæſtionem de aurifabris reſpondeamus:) id ab ipſo commodi ſperandum non erit, cum ſpiritus mediantibus nervis faucium nariumque fortius, quam par eſt, indole ſua, ſulphureque juſto liberiore ac quodammodo arſenicali adoriantur turbentque, ac in pulmonum quoque veſiculis ſtricturas ac circulationis impedimenta efficiant. Nec allegaveris jure paritatem fumi mercurialis in caſu noſtro quoque ad corporis ambitum appellentis, ac per cutis poros oſculaque ejus glandularum interiora ſine tali noxa ſubeuntis; neque enim halitus hi adeo immediate ac propinque ſpiritus afficiunt, nec caput ac pulmones petunt, quin potius in cutaneo vaſculorum reticulo a lympha excepti in globularem condenſantur redeuntque formam, atque ſub illa porro, jam innoxiæ, ad glandula-

 rum

rum ac vaſculorum penitiores devolvuntur receſſus ſalivationem excitaturi. Sed cur ad gingivæ fauciumque & linguæ glandulas cumprimis fit larga iſta corrupti infectique phlegmatis præcipitatio, ſalivationis origo, quænam mercurio cum ore ſympathia? Sciendum hic notandumque, ad alias quoque aliarum corporis regionum glandulas ſubinde præcipitari ſerum, ac ſalivationem turbare, quod alvi fluxu, ſi ad inteſtinales ſerum urgeat ejiciatque glandulas mercurius, haud infrequenter accidit; oris vero regionem ejuſque glandulas facilius occupat largior ille fluxus, tum ob harum incredibilem copiam, ac perpetuam hic uſitatamque ſeri effuſionem, tum ob aëris, corruptoris univerſalis, liberum continuumque appulſum, qui anſam appulſu ſuo aſſiduo atque elatere præbeat appellentibus excretiſque cum mercurii globulis ſalium cauſticorum ſpiculis erodendi vicinas partes, ut ſic multiplicatis oſculis, determinatoque huc ſeri a mercurio præcipitati fuſique fluxu largiſſimo, hæc præ aliis via ipſi eliminando congrua ſit, graviterque hinc, vacillantibus dentium ordinibus, ulceratis gingivis, eroſo palato, fiſſa crebris hiatibus lingua, putridaque & acri ſanie effluente afficiatur. Quæ ipſa ulcerum multiplicatio aliis perſuaſit, etiam hoc malum corruptionemque vermium progeniem eſſe, uti verminoſum dudum peſtis contagium quidam medicorum ſuppoſuere. Obſervant vero, mercurium vermibus adverſum eſſe, eoſque necare, quam in rem faciunt Rediana quoque circa anthelminiticorum vim experimenta hic non diſcutienda. Quicquid vero illorum ſit, ſint in ulceribus myriades vermiculorum, non de eorum præſentia quæſtio eſt, id potius quæritur: cauſæ ne an producti rationem habeant, utut enim ex putredine gigni animalculum nullum poſſit, in putredine tamen ea promte excludi, enutriri ac foveri in propatubulo eſt. Hujus vero iſta loci nunc equidem non ſunt.

CAPUT III.

Cur ſalivatio tot modis tentata haud ſucceſſerit, ægro tamen in gratiam cum ſanitate redeunte, inquiritur.

Quidnam vero impedimenti fuit, quo minus ſuccederet ſalivatio? non auſim introitum mercurii ad intima corporis negare, etiamſi enim quis ſuſpicetur fumum non penetraſſe corporis integumenta, ſubſequa tamen inunctio largior debebat introducere potentius volubiles illos globulos, ac aſſumta panacea eos dubio procul ad intima perduxit; nec effectus dubitare nos ſinit, extincto feliciter veneno, exactiſque ex corpore immanibus illis tortoribus ac ſymptomatibus. Ac eo minus modum methodumque licet accuſare, cum plures alii eodem fumo bis ſaltem admiſſo largiſſimam experti ſint ſalivationem. Novum equidem non eſt,

de-

deprehendi ægros, qui ad ſalivationem difficulter perducantur, quorumque ad oris glandulas non ſine molimine divertat ſerum, tandem tamen fluit, utut parcius, refractarius humor concurrentibus cumprimis tot motoribus, per tot vias methodoſque admotis, hic vero nihil quicquam ſucceſſus iſta omnia habuere.

Diætam, methodumque ac victus regimen fruſtra accuſaveris, ſecta fuerat, corpore probe purgato, vena, dulcia plurium dierum balnea, (qui Italorum mos eſt) erant præmiſſa, diæta proba ac tenuis, nec admiſſum aëris ambientis frigus, quod mercurii ſufflaminare effectum potuiſſet; frigus enim ſalivationi ſubjectis maxime noxium; (ut non potuerimus non mirari militem quendam ſub decurſu ſalivationis ſubito delirantem, ſeque in platea in nive volutantem, reductum in lectum nec gravia paſſum ſymptomata, nec a ſalivatione ceſſaſſe, ſed eodem tramite feliciter ad finem perrexiſſe.) Utut igitur maſſam humorum pervaſerit mercurius; ſalivationem tamen excitare haud valuit, tum quod ſiccior arctiorque ſanguinis compages fuſionem lymphæ, quam penitiorem ſalivatio requirit, haud admiſerit, tum potiſſimum, quod individuale hoc venenum, ob ſiccitatem temperamenti adeo corroſivæ depaſcentiſque indolis haud fuerit, nec ſui plane juris, ſed ligatum magis viſcidumque, ac lentum tubulis nervorum impactum; acceſſit forſan idioſyncraſia hominis ſpiſſiore humorum conſiſtentia præditi.

Non tamen effectu exoptato caruit ſicca hæc ſalivatio, evaſit enim æger, liberatuſque ab intolerabili ſimptomatum moleſtia opem nihilominus vimque mercurii ſenſit. Qua vero id factum ratione modoque? Dicam ne ſudore mediante id factum; primi ſane a decocto excitati ſudores ægrum miſeriis obrutum reliquerant. Ac novimus, quam difficile ſit luem ſudoribus curare; ut cum exemplum ſuppetit viri diuturno decoctorum uſu largiſque a ſpiritu vini accenſo ſudoribus ſanati, bubone ſcirrhoſo exciſo, labriſque ejus, ut ſic loquar, lardoſis ac calloſis rubro mercurii præcipitato, domitis; ex adverſo alius viri nunc ſubeat memoria; (ſimilia vero exempla frequentiſſime occurrunt,) qui bis etiam magno cum apparatu ſudorum torturam ſuſtinens, haud tamen niſi ſalivatione ultimato in ſubſidium vocata reſtitui potuit. Nec tamen ultimos illos a decoctis, ſemper una, dum præſtolaretur ſalivationem, hauſtis excitatos ſudores excluſerim ab iſta ſanatione efficienda, multo minus eos, qui tam larga exundatione ſub ipſa fumi mercurialis applicatione manabant, hi enim viſcidum, obſidenſque nervos atque acredine ſua vellicans phlegma, a mercurii globulis ex ſuis latibulis protruſum, nec ob idioſyncraſiam ſubjecti ad ſalivales glandulas ſcatebraſque determinabile, per analogas reticuli cutanei glandulas foras ſecum largiſſimo rivo eduxere, alia ejus parte ex penitioribus plexuum glandularumque interiorum receſſibus excuſſa protruſaque ad glandulas inteſtinales ablegata, indeque ſub largiore illo eodemque fere tempore juvante panacea mer-

curiali oborto alvi fluxu (utut haud frequenti) ejecta. Nec dubitaverim poſſe emotas viſcidæ acrimoniæ emollitaſque mercurii robore particulas morari tantiſper paſſim in emunctoriis corporis; nec uno ac ſenſibili inde impetu ſtatim deturbari, ſed ſenſim poſtea, ſenſimque cum mercurialis magmatis reliquis ipſo naturæ fibrarumque, ſe jam reſtituentium vigore excerni; id quod iis potiſſimum in ſanationibus evenire arbitror, ubi ſine ſenſibili adeo excretione celebrata quorundam remedia atque antidota morbum tam gravem tollere dicuntur. Nec nullæ omnino in ſanando ægro partes fuere tenuiſſimi victus, atque accuratæ diætæ, ſub qua eo facilius fuit globulis mercurialibus excutere ex abditis quibuſque tubulis obſtruentes virulenti humoris moleculas, atque in ſui motus leges eas cogere, ſecumque abripere. Novum igitur largiuſque nutrimentum ingeſtum ventriculo à priſtinis cruditatibus libero, chylum facile ſubminiſtravit novum atque laudabilem, qui ſanguinem à priſtini miaſmate veneni jam expurgatum emundatumque ſubiens illi ſe facile junxit, blandum ejus maſſæ rorem, plenam nutriente gelatina lympham, meliuſque ac purius ſerum reſtituit, quo ipſo motu ſanguinis utroque, jam plene reſtituto floridus color, habitus corporis carnoſus obeſuſque non potuit non ſequi, novæque ægrum vitæ ac ſanitati reſtituere.

CAPUT IV.

Lues an ſine ſalivatione curari queat, diſquiritur, atque an ea plene curetur; quidque de reſiduo in corpore mercurio, facilique in prius malum lapſu ſtatuendum.

SEd quam gratum nunc foret exoptatumque huic hominum generi, ſi inferre hinc legitima liceret firmaque conſequentia: non igitur opus eſſe amplius ad plenam luis ſanationem ſalivatione, poſſeque ſe ſuperſedere terribili medicationis tam operoſæ tamque fœtentis ac ſordidæ incommodo. Abſit vero, ut hoc inde poriſma elicere audeamus. Non ubique ea ratione mercurius vim ſuam exerit. Facilius alios ad ſalivationem urget, nec facile quiſquam ex impuro iſto gurgite enatat ſine mercurio. Novimus quantum quidam ſperent à forti lignorum decoctione, aſſiduoque & admoto calenti ſpirituoſoque halitu extorto per diuturnum temporis ſpatium ſudore, haud negamus multum hac via educi, ſed & id cogimur fateri, multiplici experientia convicti, raro omne id hac methodo educi, quod mali præbet fomitem, niſi ſupervenientes mercurii globuli penitius excutiant ex latibulis tubuliſque acris veneni viſcidiores reliquias. Virum ſupra allegavimus ſudoribus ſanatum, ſed junximus mox alium, facileque plurimos oſtenderemus, qui ad argentum vivum, omnibus fruſtra tentatis,

tis, ſalutariter confugerunt. Quamquam morbi omnino plurimi gradus, quin & auſim dicere ſpecies ſint agnoſcendæ, non eadem ſemper illius vis, non eadem duratio, non ſymptomata eadem, nec eadem firmata radicum profunditate atque intimis impacta medullis. Nec latet nos, quid ſubinde lignorum radicumque decocta diuturno efficiant uſu, quid vel ſola, ſi probæ ſit notæ, ſarſæparillæ radix continuo hauſtu largaque ſorbitione valeat, junctis maxime, dulcis, mitigatique modis variis mercurii, moderatis juſtis gradibus ſuppetiis. Quamquam & hac ratione plerumque lenior ſuccedat ſalivatio, nec facile ſine illa exoptato potiatur res eventu. Quin & iſta facilius videamus ſuccedere, ſi prius ægri ſalivationem at minus plenam, ſemel, iterumve paſſi ſint, cujus exempla non deſunt, lucripetis quandoque chirurgis rem inſufficienter agentibus. Quid quod non deſint, qui adeo ſcatent turgentque miaſmate iſto, ut una ſalivatione abſolvi non queant, ſicciori cumprimis habitu gaudentes, requiri enim ad feliciorem ſanationem aliquam ſeri abundantiam diluendo eliminandoque venereo & acri glutini aptam certiſſimum eſt. Ac militem nuper obſervavimus, qui ſalivatione licet plene abſoluta, aliquot menſibus exactis, novis artuum doloribus, aliiſque indiciis urgentibus, novæ ſe ſalivationi ſubmittere coactus fuit, fluxu largiſſime iterum ſubſequente; qui tamen cum declinante ad finem fluxu incautius munditiem affectans ſeſe lavaret humectaretque, in febrem incidit pediſque eryſipelas, non ſine periculo in ſinuoſum tranſiens ulcus, poſtea tamen brevi perſanatum.

Quid igitur aliis tribuendum remediis erit? Dubites merito, multumne liceat promittere vel tribuere iis etiam remediis, quæ alias in edomanda pertinaci, (at non venerea) ſanguinis acrimonia atque impuritate primas omnium conſenſu tenent. Fæmina Pedemontana à Marito, ut ferebat, infecta graves patiebatur in vicinis utero partibus excoriationes, ardorem ac conſueta ſymptomata, nec liberæ erant cinctæ puſtulis fauces. Mercurialibus exponi remediis nec voluit, nec, quod regerebat, potuit; petit remedia palliativa, juſcula herbis refrigerantibus ac vulnerariis alterata largius haurit, multumque aſſumit pulveris abſorbentis, anticachectici, multumque nitri crudi cryſtallini, ac cinnabaris; redit hinc brevi ad ſtatum corporis meliorem, & per novem fere ab illo tempore menſes munere ſuo ſine impedimento fungitur, herbaſque vendit aëri ſemper libero expoſita; cumque dehinc ſentiret minutas quaſdam in collo puſtulas, redit ad eadem remedia non ſine fructu. Dicemuſne eam conſtanter à malo graviſſimo liberam, haud crediderim; nec eundem aliis in ſimili caſu ſucceſſum promitterem. Fortiori opus eſt cuneo, ſi radices profunde actas evellere, ac ſtabilem expectare velis ſanationem. Si igitur quæſiveris, an ſine mercurio an ſine ſalivatione lues perſanari queat, non idem promiſcue dabimus reſponſum. Difficile omnino id eſt ſine ſalivatione qualicunque, at poſſibile tamen eſſe & præſenti hoc & aliis docemur caſibus, ſi maxime

me ad graduum mali reſpiciamus differentias; difficilior adhuc res erit ſine omni mercurio, nec tamen eam omnino negaverimus.

Unde ſi quæras, quid cenſeamus de tanta antidotorum, ſpecificorum, panacearum, pompoſiſque aliis titulis ſuperbientium remediorum efficacia ac præſtantia, æquo animo feres, ſi falſis nonnulla, atque hyperbolice dictis alia accenſeamus, quædam vero bona ac ſalutaria eſſe poſſe haud inficiemur; neque tamen dubitamus, ultima hæc ad mercurii tribum claſſemque pleraque pertinere, quem tot induere formas, tamque diverſis ſub palliis, coloribus, formulis, titulisque latere in dies comperimus. At ſi dixeris, ſalivationem talia non excitare mercurialibus propriam, reſponſum hoc dabimus: in ſiccioribus, veneno viſcido magis, quam cauſtico ac nullo fere ſero diluto, etiam mercurialia non raro ſalivationem non excitant, utut juvare tamen poſſe priori jam capite cenſuerimus; cum vero ſalivationem in aliis humidioribus ſæpe præter ſpem ſoleant excitare, teſtantur eo ipſo de indole ſua mercuriali, & promiſſa non ſemper præſtant.

Referemus huc non immerito plures exterorum methodos peculiaribus etiam libellis commendatas, promittentes facilem commodamque ſine ſalivatione aut ſudatione moleſta aut ſingulari diæta ſanationem; harum enim non paucæ ad inania promiſſa, agyrtarumque ſcholas pertinent, ſi cumprimis rem tam facilem, tamque jucundam, ac nullis diætæ adſtrictam regulis temerario pronuncient auſu, cum noverint probe ingenui medici, quantum illa res difficultatis, quantumque tutiſſima etiam methodus incommodi habeat. Si vero ſint, uti quidem eſſe non dubitamus, inter illa methodi quædam laudabiles, illæ quidem ex mercurii fontibus fluunt, aut diaphoreticorum in claſſem referendæ ſunt, malo profundius infixo delendo haud pares. Arcana vero quæ plures ſibi reſervant huc minime trahimus, noſtrum enim non eſt de occultis judicare.

Unam adhuc Helvetii methodum ſicco pede præterire non licet, en tibi, L. B. titulum, formulamque: *Tiſane ſpécifique contre toutes les eſpeces de maladies honteuſes. Elle eſt d'un uſage ſi commode, qu'elle n'oblige preſque à aucune contrainte; elle guerit ſans beſoin de repos & ſans regime de vivre extraordinaire, & eſt employée avec ſuccès, contre les rhumatiſmes invéterés & contre les vieux ulceres; enfin contre toutes les maladies qui ſont cauſées ou entretenues par l'impureté de la maſſe du ſang. Compoſition de la tiſane: prenez de l'écorce de bois de fer rapée 8 onces, de ſenné 1 once, de régliſſe 2 onces, faites bouillir le tout dans huit pintes d'eau réduites à cinq pintes. Ajoutez de l'ambre gris &c.* Bis autem de die aſſumitur ptiſana illa per dies 24. Infinitis ſe vicibus vires ejus expertum eſſe teſtatur Vir Celeb. Eo autem de remedio tam celebrato erimus breviores, quod propria experientia de eo nobis non conſtet, corticeſque illi noſtris hactenus officinis ignoti ſint, nec in Galliis, Helvetio teſte, reperiantur, ſed ex America ipſi tranſmiſſi fuerint, in Belgio tamen & Anglia quoque reperiundi. Non audemus tamen

tamen inſignem illam vim depurantem vocare in dubium, poſtquam exotica nonnulla ſpecifica tam egregie reſpondent expectationi noſtræ, quo chaquerillæ & chinæ chinæ cortices, atque Hypecacuanhæ radix nobis merito refertur. Helvetio quoque radix parera brava (quæ tamen ad ſtabiliendam ſuam vim nephricam apologia occaſione comitis d'Avaux indiguit) pedra del porco, radixque Niſy &c. Quanquam caute in his procedendum ſit, nec credendum laudibus exoticorum temere, vellicante nobis autem Franciſco Redi, diligenti obſervatore, (nell' eſperienze intorno à diverſe coſe naturali e Indiche) cum enim recentiſſimis hodie ſcriptis juxta eum laudata boutua, nephritico ſummo, ac chantalagua, depurante ſanguinem remedio, Iguanhæ lapis mirabile nephriticum deprædicetur, Redi non dubitavit hunc ex Iguanhæ ventriculo lapidem, qui calculum frangere debeat, annumerare aliis, quorum proſus elevat ac negat virtutem, utut aliis multum laudatam, uti lapidis cobra di cabello, lapidis ſerpentis di Mombaza, animalis Tatou efficaciam pro ſudore eliciendo in lue venerea, del pepe di Tavaſco contra epilepſiam radicum Ivan Lopez & della Manique, & di Quejio, aut Cheggio contra venena &c. præſtat igitur pluribus firmari experimentis exotica, antequam iis, uti corticibus ſupra dictis atque radici Hypecacuanhæ fidamus.

Quacunque vero malum venereum methodo tollatur, perinde erit, modo plene ac radicitus ſublatum ſit. Quem enim Diſſertationis hujus materiem eſſe voluimus æger rectiſſime poſtea valuit. Non omnibus eadem obtingit felicitas, ſed nec omnibus iſte ſaltem luis gradus obtingit inferior mitiorque. Quam vero quidam enormiter laborant, quam diffluunt tabo, quam ulcerata ubique pelle nullum amplius occultandi mali prætextum magno ſuo tædio reperiunt, ad eam ſæpe redacti miſeriam, ut millies ſibi mortem exoptent tam miſeranda vita optabiliorem. Et quam frequentes ii ſunt, qui remediis etiam uſi, liberi tamen à malo haud poſſent pronunciari. Unde non immerito audias quæri, an perfectam lues adulta obfirmataque admittat curam? Reſpondemus breviter: ſine ſalivatione, ſine mercurio rarius id obtineri obſervabis, his vero rite adhibitis plerumque feliciter res cedit; non auſim tamen dicere, ſemper eadem ratione ſucceſſuram. Tanta ſubinde vis mali eſt, tanta pertinacia imis hærens medullis, ut abſoluta etiam quacunque, ut vocant, cura, remediis adhuc opus ſit, imo nec quidem character ille, quem propterea vocaveris indelebilem, aliquando deleri poſſit. Semper aliquid hæret. Eſt, quod nunquam non torqueat, terreatque miſeros à gravibus utut ſymptomatibus liberatos. Et ſi gonorrhœa ſaltem inveterata laboraverint, (maxime ſi pluribus eo vicibus redierint) quam quæſo eos reſiduum illud extillantis ſubinde liquidi torquet terretque, quod Noveſius mavult à eingentibus glandem glandulis derivare, nos ab intimis urethræ receſſibus deducimus. Quanto majores illi ſentiunt reliquias, qui ipſa lue penitius laborarunt; unde admodum ſe mutatos deprehendunt, totieſque queri eos audias, de reſiduo in corpore mercurio, qui moleſtias

ipſis creet. Poteritne igitur mercurius abſoluta tali cura in corpore remanere, ac nocere corpori? Nocere aliquando mineralis maxime indolis remedia corpori ingeſta dubio caret, utut noxa ſtatim ſe non exerat. Arſenicum, adeo in doſi majori celeriter jugulans, temere equidem, at ſine noxa tamen mox ſubſequente, in febribus maxime, quoſdam audaciores minori doſi exhibuiſſe notum eſt in vulgus: metuendum vero merito eſt, eos, qui illud aſſumſere impune id non laturos, ſed ipſa vitæ ſtamina per inſidias adoriri poſſe truculentum, utut exhibitionis tempore ſalutare remedium. Non eadem mercurii violentia, at manifeſta tamen ejus cum ſalibus combinati erodendi vis eſt; utut igitur non deleteria ejus in corpore præſentia ſit, tamen tuta non eſt, cum haud fruſtra poſſis metuere, ne blandæ antea mercurii moleculæ ſalium ſpiculis p. n. cauſticis combinatæ in corroſivam reſurgant noxiamque indolem. Fatendum tamen multos mercurium accuſare, quibus noxam intulit nullam, remedio innoxio adſcribentes triſtes morbi reliquias; non ſane mercurius eſt, qui te priſtinum non ſinit recuperare vigorem roburque; cur non potius veneni haud penitus perdomiti quaſdam reliquias, cur non inhærentem quibuſdam adhuc vel tubulis, vel humoribus labem accuſas, & læſum laxatumque à gravi impactoque profundius morbo fibrarum, partiumque tonum, remoto licet veneno ipſis haud una auferendum, & laxam, molliuſculam læſarum ante partium, ac ſæpe minus fida cicatrice obductarum texturam, qua fit, ut tam facile in priſtini formidandique morbi recidas incommoda, miaſmate novo partibus à priſtino malo tenerioribus laxiſque, firmius mox profundiuſque adhærente; tormenta enim morbi, tormenta remedii, & quicquid illa habent moleſti, deteſtari equidem voluptates iſtas omnes cogunt ægros, quamdiu ſub iſta ingemiſcunt carnificina; fidem vero id omnem ſuperat, eorum plurimos tam facile iſtorum omnium obliviſci, ſed loquitur quotidiana experientia, quam promte redeant ad priſtini tormenta mali miſeris deluſi illecebris, ac dum cavere ſibi maxime ab infectione ſtudent, penitiſſime inficiantur, quaſi vero labem iſtam occultam ac ſæpiſſime inviſibilem poſſent effugere, cum ſectione teſte, corpora ad aſpectum munda ac puriſſima, putri carie in ipſis oſſium compagibus nigreſcere queant, atque occulto ſubtilique ſcatere veneno. Exemplum ejus rei nuper celebris Noſodochii Genuenſis anatomicus publico dedit in cadavere venuſtiſſimæ fœminæ, quæ atroci cephalæa perierat, nullam in illo triplicis ſectio ventris mali cauſam oſtenderat, donec mirante, ac penitius ſcrutante anatomico præter occultam in interno uteri oſculo labem, caries profunda in loco antea dolente deprehenſa eſt, integumentis tamen nec tumentibus, nec decoloribus, idemque in tibia obſervatum. Quis vero non miretur corpus interne externeque nitidum & pulchrum, ad medullas oſſium uſque carie fœdatum occulteque infectum, ac venenum adeo corroſivum, ſolidis præcipue intimiſque partibus, mollibus fere intactis, fuiſſe infeſtum? Analogia vero, (ut & obiter illud moneamus) inter fœminam hanc ægrumque noſtrum manifeſta fuit. Namque & in ea penetrantiſſi-

Digitized by Google

tiſſimi veneni miaſma nervorum maxime occupaſſe ſyſtema videtur; quæ enim in partibus utero vicinis deprehenſa eſt labes, effectus potius finientis morbi, quam principium ejus fuit; cephalæa vero intenſiſſima non ex oſſis, ſenſu deſtituti, ulcere ac roſione, ſed immani pericranii nervorumque irritatione orta eſt. Utut vero nulla in noſtro caries oſſa occupaverit, quod in tempore adhuc malum fuerit extinctum, antequam metaſtaſis in ſolidas has fieret partes, oſſiumque tubulos, ſatis tamen truculenter in plexibus fibriſque nervorum, ac perioſtio plurimarum partium ſævierat acerrimus luis fomes, idem ſucceſſu temporis, moraque in illis locis diuturna, oſſium tubulis vitium inducturus, ni extinctus feliciter fuiſſet.

Quicquid vero horum ſit, facile eſt (ut redeamus ad tactam paulo ante quæſtionem,) facile eſt pervidere, qua ratione promtius labem denuo contrahat corpus, ea jam pridem graviter imbutum, utut poſtea congruis ſanitati remediis reſtitutum; neque enim ſemper fundamenta radiceſque mali omnes extirpat adhibita ſanationis methodus, tum quod aliquando palliativa magis, quam vera merito ſuo audiat ſanatio, tum quod tam profunda radicataque fuerit labes, ut ne ſelectiſſimis quidem extingui perfecte remediis valuerit, obductis cicatrice minus fida tenerrimis ſpongioſiſque ac celluloſis partibus, & quam tum pronum eſt, quamque facile impuræ cuivis acrimoniæ denuo illas percellenti fibrillas novas ibi turbas excitare, novas ludere tragœdias, ſi maxime offendant in corpore, quas conjungant ſibi excitentque aliquandiu hactenus torpentes quieſcenteſque reliquias priſtini mali ac veneni, haud ex omni glandularum receſſu excuſſi penitus atque extra corporis ambitum ejecti. Noſter vero Juvenis eo plenius cum ſanitate rediit in gratiam, quod præter primam ſub Gonorrhœa urinariæ viæ, ejuſque glandularum membranarumque exulcerationem, ſalium hoſtilium acies graviores continui ſolutiones, viſcidis quippe irretita adque fuſionem minus aptis moleculis, haud effecerit. Nec ſane licuit ſine admiratione aſpicere hominem, facie prius Hippocratica terribilem, ſtricturis dolorum ac dyſpnœæ immanibus fere enectum, brevi vero (abſoluto ſcil. diuturnæ ſatis mercurialis ſanationis curriculo, ob triplicem methodum combinatam expectatumque fruſtra ſalivæ fluxum prolixiore) florida facie, vegeto artuum uſu, habitu athletico vigentem valentemque. Hic vero ſubſiſtimus!

FINIS.

SAMUELIS

Digitized by Google

XXX.

SAMUELIS THEODORI QUELMALZ

PROGRAMMA QUOD

HYDRARGYRI VIRES

A

SULPHURE SUSPENSAS EXPENDIT

Lipſiæ 20 Sept. 1748.

EA eſt concretorum naturalium indoles, ut tam abjectum inveniatur fere nullum, quod non activitate ſua gaudeat, eamque effectu ipſo, data opportunitate, prodat. Nec in tanta eorum multitudine fieri aliter potuit, quin vires, ſapientiſſimo ſummi conditoris conſilio, paſſim exhibeant toto cœlo ab invicem diverſas, adeo, ut mutuam crebro conjunctionem reſpuere videantur. Recte proin *Seneca* : *tota hujus mundi concordia ex diſcordibus conſtat.* Sique mundum congeriem dixeris corporum tam agentium quam reagentium, moventium ac motorum, vix aberrabis a ſcopo. Quemadmodum vero quædam eorum, ex altera parte, ſi non inertia prorſus, tamen tam exiguis virtutibus conſpicua ſunt, ut vix ſibi relicta harum quaſdam exhibeant, ſed tunc ſaltem eas teſtentur, ubi contrariis qualitatibus præditis obviam fiunt, ſic dantur ex altera parte alia majori efficacia referta, quæve aliis natura conformibus juncta, auctis viribus, mirifice ſurgunt. Nec extra hominem tantum per artem chemicam cognoſcuntur, ſed in corpore quoque humano vivo, ſicubi intro aſſumta fuerint, non obſcure apparent. Ingens eſt numerus rerum, ex triplici naturæ regno, ceu ex equo Troiano, copioſe prodeuntium, arte interdum humana correctarum ac diverſimode præparatarum, titulo medicamentorum venientium, quæ cum corpus noſtrum ingrediantur, tam varios utplurimum edunt effectus, legibus naturæ perpetuis ſic jubentibus, ut iis ſolis totius artis ſalutaris circumſpecta applicatio, ceu ultimus ejus ſcopus innitatur. Enim vero alia, per tam differentia organa colatoria, ſecedere peculiares humores, ſecretoſque egredi largius præcipiunt, alia effluentium ultra modum retentionem imperant, alia commovent eos horumque partes, alia motum eorum impetuoſiorem iterum ſedant temperantque, alia eoſdem ſpiſſos, alia dilutos reddunt, alia ſpiritus ſ. liquidum nerveum impellunt atque incitant, alia idem figunt, haudque ſimplici modo immutant, alia velociorem in nervos ac ſolidas partes alunt influxum ac multis adhuc aliis rationibus fluida corporis, perque hæc ſolida quoque alterant. Nova vero ab iiſdem contrariis coadunatis produci phœnomena, teſtis eſto experientia. Præ aliis chemia actionibus his mutuis, quibus vires corporum conjunctorum non raro prorſus infringuntur aut ſuſpenduntur, abundat. Lubet in præſenti, exempli loco, duas non parvi momenti res naturales in ſcenam producere, ut exin appareat, quam aliæ quoque hoſtes ſuos in univerſo hoc inveniant, quorum alter alterius actionem inhibere, non raro protinus tollere, aptus natus eſt. Scilicet ſi quod concretum naturale maxima ac penitus incredibili activitate præditum eſt, erit certe Hydrargyrum. Cujus qui novit inſignem partium ſoliditatem & gravitatem, qua omnia alia mineralia & metalla, excepto ſolo auro, ſuperat, quoque teſte *Bernoullio* de *Grav. æth. p.* 63. quatuor decies aquæ pondus excedit, qui ejus diviſibilitatem ac mobilitatem,

tem, quam quavis actione chemica paratum conſtantiſſimam tamen retinet, quam a figura, quæ ſemper in eo obtinet ſphæroidea & lævigata habet, quæque in minutiſſimis ejus particulis deprehenditur, qui inquam volatilitatem ejus in igne mediocri perpendit, perque alia experimenta, ubi vel extrinſecus ſolum applicatum, aut a plebe, cortice juglandium, aut alia capſula incluſum deque collo ſuſpenſum fuerit, metitur, quippe quæ effluvia ſua ad corporis intima uſque cum manifeſta humorum, inprimis lymphæ ſalivalis, reſolutione atque per loca convenientia excretione, aliiſque ſanguinis alterationibus penetrare ſinit, ex merito conſiderat, is de activitate ejus exquiſitiſſima pleniſſime convincetur. Atque ita decebat aquam illam, chemicorum manus haud madefacientem, talibus partibus eſſe conſtitutam, quæ non niſi contactus admittant minimos, qui cum multis intervallis poriſque neceſſario coincidant, fluidi hujus metallici defectum præſupponentibus, ut hinc, motore accedente externo exiguo, commoveantur facillime, inque corporis vivi humoribus, ſyſtaltico arteriarum imprimis motu perpetuo, ſummum attritum nactæ agilitatem exerant ſtupendam, penetrationemque ad intima ejus penetralia. Aſt quod, profecto, auſcultationem noſtram meretur, ſi quatuor vel ſex ejus, præcipue paulo calefacti portiones, ut in conficiendo æthiope minerali ſolemus, uni tantum parti ſulphuris communis mineralis, leni igne fuſi, in vaſe figulino, ſub levi agitatione addantur, dici vix poteſt, quam mox lenteſcere incipiant, veluti in ejus cum pinguedine animali, vel terebinthina, aliave reſina molli commixtione, inque confectione unguenti napolitani, fieri conſuevit, quamque continuato motu vel lignea rudicula ſuſcipiendo, ac frigeſcente maſſa, corporis nigri ſolidique faciem induant. Qua re non obſcure docemur, mercurio vivo ligando quaſi, corpus tam aptum natum eſſe nullum, atque ſulphur minerale. Quod, ni fallor, clarius adhuc apparet, ubi laudati ſulphuris vel ejus florum parti ſimplici, tres ad ſex uſque hydrargyri portiones in mortario jungas, trituraque deſuper inſtituta, pauloque continuata invicem probe miſceas, quo opere ocyus mercurium a ſulphure excipi, hoc vero in illius partium intercapedines, cum converſione ab initio in cineritium, poſtmodum, protracta agitatione, in pulverem nigerrimum mutuo non minus, blandeque ſatis admitti animadvertes. Nec ſuperficialem hanc utriuſque miſcelam, utut per meram mechanicam trituram adminiſtratam, pronunciare fas eſt, cum maſſæ hujus tolerantia ignis ſat fortis eam arctam ſatis, nec tam facile diſſociandam evincat. Quantum vero mutatum noſtrum ab illo reperimus, cum mobilitatem ejus in inertiam pigerrimam, quæ liberiorem in lactea vaſa venaſque abſorbentes ingreſſum, qua partem maximam, reſpuit, hocque pacto priſtinum effectum, cum in latebras corporis remotiſſimas punctaque ejus minima, nec oſſibus exceptis, commode citiſſimeque aditus ei patebat, videamus inverſum. Numne hæc res imponat egregie illis, qui, cum hydrargyrum tanta quantitate æthiopis hujus miſcelam ingredi pro-

Digitized by Google

probe noſcant, adeo efficax generoſumque ſibi remedium in eo concipiunt, nedum continuato uſu ptyaliſmum metuunt, quem tamen ob compedes additas, quæ ſimilem ingreſſum in ſanguinis maſſam, ut olim, prohibent, minime ciere, ſi vel ad plures uncias, ſerie haud interrupta, ſenſim in uſum vocetur, experimur, cumque præter anthelminticam virtutem, in fiſtula inteſtinali nonnunquam exertam, ſanguinem purificantem efficaciam non niſi parciſſime exhibeat, verendumque potius ſit, ne largius aſſumtus in tenerioribus infirmiſque ſubjectis, aut infantibus, ob majorem ad motum ineptitudinem, longiores nectat moras, ventriculoque oneri ſit. Quam cito, quantiſque viribus blandiſſimum ſulphur, marte non aperto, ſed tecto potius, mercurii vires plane hebetare atque obtundere par eſt! Quo evidentius utriuſque actio mutua innoteſcat, non abs re fore crediderim experimenti cujuſdam mentionem jam facere, quod non ſine admiratione animique oblectamento me olim aliquoties inſtituiſſe ſcio. Occaſione nimirum, ab ægris cum morbo gallico conflictantibus oblata, præſcripſi eis, ex methodo, medicamenta mercurialia, ſubjunctis aliis antivenereis, uſu continuo uſurpandis. Quibus ad ptyaliſmi exordia ſumtis, jugiter nihilominus uſum eorum minus interruptum, quotidianum, eandemque eorum doſin imperans, nil quicquam, niſi quod quotidie ſcrupulum unum vel duos florum ſulphuris ſemel aut bis ſuperadderem, immutavi. Qua ad plures dies, non raro hebdomades quandoque menſes protracta methodo, omnem ſalivationis prodromum progreſſumque diſparuiſſe, morbum autem, imprimis graviorem, ſine ullo levamine, niſi quod ſub initium a mercurialium aſſumtione ſolitaria allatum erat, permanſiſſe, re ipſa expertus ſum. Cumque ſalivationem in ægrotantibus, alio tempore, ex inſtituto excitatam, & ad ἀκμὴν perductam non eadem promptitudine, hoc remedio, quam opinionem celebres etiam foveant artis doctores, me ſiſtere potuiſſe in memoriam revocarem, facile diſcrimen, quod humores ſeroſos jam jam reſolutos commotoſque inter, atque eoſdem reſolvendos prius commovendoſque intercedit, perſpexi. Nec a ſolo crudo ſulphure minerali, aut ejus floribus talem expectavi effectum, ſed ſimilem prorſus, dixerim propemodum majorem, ab ipſo antimonio in pollinem redacto, & ad ſcrupulum vel drachmam dimidiam, una cum mercurialibus pharmacis quotidieque adhibito, animadvertere potui. Quid quod, ut mutata paulo facie tentando incederem, ipſum æthiopem mineralem bis terve, de die interne aſſumendum, atque unguentum napolitanum ſaturatius externe, idemque aliquoties de die in loco tumoris juſſi illiniendum, utque experimenti certior mihi conſtet fides, inunctioni ipſemet ſæpius adſtiti. Tantum tamen abfuit, ut ſalivæ profluvium ex ore, vel in ipſis puerulis excitatum fuerit, ut potius parum, aut nihil ſimultanea hac utriuſque remedii adhibitione, prædominante in æthiope minerali ſulphuris indole, medendo malo huic, profecerim. Quæ perſpiciens non poteram non ab illa ſulphuris, vel antimonii, vel etiam æthio-

pis laudati uſu ad unum vel alterum deſiſtere diem, altero interim ſtrenue continuato medicamento mercuriali, & ocyus de effectu manifeſto, morbo derogante convictus fui, qui eupliorìæ progreſſus, mox iterum, ubi ſulphureo medicamini ingreſſus denuo concedebatur, ſubſtitit. Equidem non dubito, fore nonnullos qui rem hanc levidenſem, aut forſitan exquiſitione noſtra minus dignam judicabunt; verum quod bona eorum venia dixerim, eo digniorem meditatione hac eam judicandam arbitror, quo utraque concreta ſibi relicta activitate ſua notabili gaudent. Enim vero ſive mercurii vivi & exin præparatorum aliorum medicamentorum habeas rationem, non ſolum in mechanicis domeſticiſque quibuſdam negotiis, de eximia ſubtilitate atque ad motum ſuſcipiendum aptitudine nos convincit, ſed ore aſſumtus, corporis intima adeo, quod ſupra innui, pervadit, ut nec perioſtei, oſſiumque vaſcula minutiſſima relinquat intacta, donec cum ipſa materie ſanctoriana halituoſa, effluvia quoque mercurialia extra corporis limites exhalando proſcribantur. Cujus rei pyxides aureæ, pulverem continentes ſternutatorium, atque nummi aurei in marſupio aſſervati teſtes ſint, quippe qui in colore ſuo adeo mutantur, ut valor ipſe eorum a vulgo rerum ignaro, poſtmodum in dubium vocetur. Sive ſulphuris indolem paulo ſolicitius quis evolvat, quamque perpetuo de ſe modo inviſibili ſpargat effluvia in diſtans ſatis ſpatium, quælibet argentea utenſilia, vel ex filis argenteis contexta colore fuſco obſcuroque obducentia, de tali partium ſuarum tenuitate reddetur certior, ut cui ex utriſque plus activitatis tribuendum ſit, pene ignoret. Fidem excedit, quam pauca illius grana in pulverem contrita coacervata paulo, filique linei tantillo, loco ellychnii in medio inſtructa, poſt hujus accenſionem diutiſſime perdurantem, exhalationibus ſuis late ſe diffundentibus, vel conclave maximum eo uſque repleant, quo metu ſuffocationis omnes procul eſſe jubeantur. Veruntamen tantum abeſſe puto ut ſulphur, etſi in impalpabilem pollinem redactum tota ſua quantitate per oſcula vaſorum lacteorum; aut venarum bibularum ſic dictarum anguſtiſſima tranſire, hacque via regia ſanguini reliquiſque partibus adduci queat, ut de ejus minima ſaltem portione, ob ejus ramoſam ſuperficiem difficilioremque in corporis humoribus ſeroſis reſolutionem idem ſit aſſerendum. Quibus non obſtantibus nec medicis ignotos fore effectus, qui reiterata pulveris antimonii crudi aſſumtione paſſim obveniunt, cenſeam, cum ſulphureæ ejus moleculæ tenerrimæ, cum ſanguine cæteriſque humoribus, ſi vel parte contingat exigua, adeo in corpore longe lateque evagentur, ut perrumpendo demum per cutim manus, epiſtylium ſcipionis argenteum brevi obſcuraſſe olim viſæ fuerint. Utut igitur, quod facile largior, parva ejus aſſumti portio ad ſanguinem pertingat, mirari tamen ſubit, qui viſcera atque imprimis cor cum univerſo genere arterioſo id præſtent, quod vix mortaria duriſſima ex metallis lapidibuſve confecta valent, qui inquam adeo comminuendis his concretis, cum ſan-

gui-

guine ac lympha, quodque ſulphur minerale aut antimonium concernit, parte minima oberrantibus, inque tam exiliſſimas partes, rectius atomos dicendas, convertendis ſufficiat. In corpore namque humano à ſanguine atque humoribus eadem corpora ſolidiora ſic diſſolvi, uti ſaccharum, vel quodlibet ſal in aqua, ceu menſtruo ſuo genuino diſparent, ut unum cum eodem evadere videantur, nolim affirmare, eoque minus, quo certius conſtat, nec mercurium cum ejus præparatis, ſi illum ſublimatum corroſivum excipias, nec ſulphur minerale una cum antimonio ab aqua aut humoribus, corporis noſtri analogis fundi, cum multum ab indole ſalium diſtent. Ne quis interim me aquæ, cum vivo mercurio aut antimonio diu ſatis coctæ, omnem denegare virtutem, opinetur, qui prioris virtutem anthelminticam præcipue in tenellis infantibus; poſterioris vero ſanguinis purificationi vulgo tributam qualitatem, quæ additis communiter radicibus, lignis, aliiſque plantarum partibus magis magiſque intenditur ac promovetur, per experientiam ſatis edoctus fuerim. Id tamen pro certo obtineo, tales vires neutri earum, ſi vel copioſe atque ad profuſionem uſque quotidie ingurgitentur, eſſe adſcribendas, quales concretis ipſis in ſubſtantia adhibitis omnino competere, optima rerum magiſtra loquitur. Interim per validas cordis arteriarumque ictus, qui more guttularum aquoſarum ex alto deciduarum non vi, ſed ſæpe repetendo agunt, ſique Lowerum audias intra horam, præſente integra ſanitate, ter mille atque ſexcentas concuſſiones fortes ſatis exercent, utriuſque concreti partes, quotquot modo ſanguinem intrarunt in alcohol antea converſas, atteri, hoc attritu mirifice dividi, obviam ſibi invicem factas combinari, ſulphureas nempe moleculas globulis mercurii longe minoribus, ac quidem per corium alias tranſprimuntur, ubi tamen nubeculæ ad inſtar tenuiſſimæ lateribus adhærere conſpiciuntur, glutinis in modum, ac veluti cum pinguedine animali ſuperficialiter fit, adhærendo alligari, extra dubitationis aleam eſt poſitum. Cum de effectu caloris in ſulphur clara multa proſtent teſtimonia, quamque per hunc ad effluviorum dimiſſionem copioſiorem diſponatur ita, ut per aëra poſtmodum, modo prorſus inviſibili, diſpergatur, potiorem calori corporis partem hic concedere malim, qui parum ſulphurei ejus, quod cum ſanguine commixtum eſt diſcontinuare, fortem per frictionem motumque ſanguinis inteſtinum volatile reddere, modo propemodum, quo ſulphur in vaſis clauſis idem in ſublime attollere potis eſt, quoque debilior ejus gradus ad partem hanc minimam requiritur. Nec multum referre puto ſive per amorem, quo ſimile ſimili gaudet, quoque magnes ferrum attrahit, ſive per odium potius utriuſque concreti, in corpore ſibi occurrentis, actionem explices. Etſi enim nulla evidens pugna vel effervеſcentia, quæ nonnullis mixtionibus ſalium natura ſua contrariorum, aliiſque rebus a menſtruis diſſolvendis propria eſt, oculis hic uſurpari queat, cum nihilominus actiones & reactiones corporibus diverſis invicem conjunctis perpetuo competant, virtuſque quam mercurius ſibi

per unanimem conſenſum omnium vindicat, plane infringatur, ejus actio ſuſpendatur liberrima perfectiſſime, hocque pacto indoli ejus naturali obex ponatur, quomodo amica hæc adunatio ſit nuncupanda, ego non perſpicio. Quemadmodum contra ea luctatores vel paribus viribus ſibimet mutuo reſiſtunt, alterque alterius robur æqualiter infringit, aut quemadmodum, alter præpollentibus ſuis alterius deprimit vires, ſuas exerit ſolum; ſic non abſimili ratione cum noſtris agitur medicamentis, quorum alterum alterius hoſtis infenſiſſimus ejus actiones hebetat, tantum non prorſus deprimit, ſuam potius in ejus conjunctione, haud ſatis mirando modo, præpollentem repræſentat. Decipiuntur ergo egregie, quotquot cinnabari cujuſcunque ſpecie virtutem antivenerearn attribuere ſubſtinent. Equidem bene recordor medici hujus ſeculi magni nominis, cujus cineres, ob præclara in rem medicam merita, ſincera veneratione exoſculor, qui cinnabaris, inprimis nativæ vim venereo viro graviter reſiſtentem aperte pronunciare, haud dubitans, literis poſteris relatum reliquit. Nec ego inficias eo, vera ipſum de ea, uti in Ungaria, Tranſylvania aliiſque exteris regionibus colligitur, hacque crudiori forma apportatur, hanc prædicaſſe laudem, cum ipſe imitatione circumſpecta paſſim inſtituta, quam debellando morbo infami, viribus ſit inſtructa eximiis, probe addidicerim. Aſt permittant cœlitibus adſcripti manes ejus, ut ingenue profitear ſubeſſe cauſæ quandam fallaciam. Quanquam enim rudi ſua ſubſtantia adhibita hanc certe tueatur prærogativam, ea tamen deſtituitur protinus, ubi, quod in noſtris beneque conſtitutis officinis aliis pharmaceuticis fit, ſublimationi prius chemicæ ſubjecta fuerit. Qua, ut decet, cum libra ejus dimidia adornata, unciam minimum unam cum dimidia, non raro duas & ultra mercurii currentis, retortæ vitreæ collo vaſi aqua repleto immiſſo, collegi, cinnabari puriori retortæ ſuperiori regioni adhærente, multis ſæpe remanentiis arenoſis in fundo ejus permanentibus. Quam inveniens notabilem mercurii portionem, ſulphure minus ſubactam, alio tempore eandem operationem ſuſcepturus, florum ſulphuris unciam dimidiam prius addidi, & deſuper inſtituta ſublimatione, non fallaci experimento largiorem cinnabaris elegantiſſimæ quantitatem, nil quicquam vero mercurii currentis obtinui. Quotus nunc eſt quiſque qui non hariolетur, mercurii crudi adductam quantitatem, ob parciorem ſulphuris in cruda nativa cinnabari præſentiam, liberam ſuique juris relictam ſe operoſiorem longe in corpore humano exhibere, atque ubi à ramoſis viſcoſiſque ſulphureis moleculis implicata tenetur, quibus lentior ad ſuſcipiendum motum evadit. Quibus, vel me tacente, patet, virtutem hanc adductam antivenerearn, poſt peractum ſublimationis actum, prorſus evaneſcere. Quo e contrario auctior utriuſque corporis hujus naturalis, per intervenientem hanc operationem, igne ſat forti, artis lege adminiſtratam accidit combinatio, eo ad viam cum chylo ad ſanguinem ineundam tardius emergere productum, haud obſcure intelligitur. Quotquot igitur tantas,

tam-

tamque eximias antiſpaſmodicas, nervinas, antepilepticas aliaſque de cinnabari pollicemini vires medicas, eaſque cum cote, cætera huic juncta pharmaca acuente quaſi, horumque virtutes intendente comparatis, poſthabito partium ſtudio, probe exploretis utrum promiſſis ſtare queatis? Ne quis interim me bene meritis laudibus ejus eapropter quid detracturum opinetur, quia pondere ſuo ineptior ad motum parum ſui ſanguini concedit. Etenim haud ſum neſcius, quam multa in officinis proſtent longinquo huic itineri ad ſanguinem inſtituendo minus opportuna, quæ nihilominus laudabili inſtructa efficacia, multis aliis, partibus tenuiſſimis volatilibuſque præditis, palmam vere præripiunt, ſtatimque ubi ventriculum ingreſſa ſunt, rem ſuam ex voto peragunt.

F I N I S.

Digitized by Google

XXXI.

J. DAMIANI CHEVALIER,

ET

LUD. RENATI PET. FEL. LE THIEULLIER,

THESIS IN EA VERBA

An per ſuffitum felicior & tutior, quam per inunctionem mercurialem, morbi venerei curatio?

Pariſienſis 3 Febr. 1752.

I.

Luis venereæ origo, antiquitas, propagatio, contagio, ſigna, ſymptomata notiora, ſunt, quam ut hic de iis fuſe diſſerere operæ pretium ſit (*a*). Hic morbus, non unius loci indigena, circa annum 1494. ad Europam primum appulſus eſt, antehac Medicis ignotus. Non ergo a promiſcua venere ortum habuit, nec habet etiamnum. Illud quoque teſtatur ea, qua uſus eſt Supremus Pariſienſis ſenatus cautela, ne peſtis illa contagione ſerperet ad plures. (*b*) Neque infimum eſt quod ex brutis, quæ nunquam lue venerea laborant, deducitur argumentum. Quomodo quibuſdam in locis factus fuerit endemius, expectas ut dicam? Neminem latet, ſanos etiam homines, vel ex minima venere, vel ex impuro cum meretricibus congreſſu, ſub cœlo quolibet aliquid plus minuſve morbidi nonnunquam contraxiſſe, ut phlogoſes, ulcera, phimoſim, paraphimoſim, &c. Hæc vero ſymptomata ſub zonis calidioribus pejora & diuturniora in veram luem, quam veneream dicimus, facile degeneraſſe vero proximum eſt. Hanc incolis primum ſucceſſive, deinde advenis communicatam, ex iis ad exteras nationes diſſeminatam fuiſſe cogita. Quænam ſit virus venerei natura ex effectibus auguraberis *. Optimam curandi methodum non ab-

(*a*) *Vide eruditiſſimum Opus de morbis venereis, Authore clar. V. J. Aſtruc, Med. Pariſ.*

(*b*) *Vide Decretum Senatus Pariſienſis de diſciplina, erga magna variola infeſtos, obſervanda. Dat die 6 Martis, anno 1676. de morbis venereis, lib. 1. cap. 14.*

* „ Non tamen exiſtimes (ut notat Author laudati operis) virus venereum pro no„vo humore ſeu liquido habendum eſſe intra corpus admiſſo, cæteris naturalibus hu„moribus ſuperinducto, eoſque inficiente, ut vulgo credi videtur. Sed meram eſſe vi„tioſam

ab antiquioribus Medicis accipies; hujus quidem alexipharmacum invenere, mercurium nempe, genuinam vero illud adminiſtrandi rationem docebunt Neoterici. Hi tamen inter ſe non conſentiunt; pluribus placet inunctio mercurialis, quibuſdam ſuffitus; nonnulli pleniorem hydrargyroſim, plures parciorem adhibent. Sunt qui ſalivæ fluxum uberiorem, ſunt qui parciorem poſtulant. Sunt qui ipſum reformidant, ſunt qui variis artibus ipſum arcent, non æque ſalutaribus. Quidam per intervalla tantum ægros ungendos jubent; alii diebus fere ſingulis; cum modica unguenti quantitate; alii cum majori; imminentemque oris fluxum per cathartica præcavent, ſiſtuntque jam ortum. Quibuſnam igitur album dabis calculum? Illatam à toxico venereo noxam perpende, quomodo deleatur, inveſtiga.

I I.

Duplex vitii genus infeſtat corpus lue venerea labefactatum. Corporis partes alterum deturpat, alterum functiones lædit. Vitia partium ad hæc duo fere capita revocari poſſunt, tumores, ulcera: multiformes & variæ indolis tumores. Alii cuti, alii glandulis, alii oſſibus inſident. Tumores dicito per univerſam corporis peripheriam ſparſas, exoſtoſes, anchyloſes, bubones, lienis & hepatis ſkirrhos. Ad ulcera referas ſcabiem, impetiginem, herpetem tabo vel ichore tenui fluentes, cariem oſſa exedentem. Functiones animales, ut facultas loquendi, videndi, audiendi, &c. mali ferocia vel depravantur vel imminuuntur, vel abolentur. Vocis organorum læſionem ſequitur raucitas, aphonia; ophtalmia pertinaci laborantes oculi lucem averſantur, nec valent ſuſtinere; aures importuno tinnitu, aut immani dolore, aut utroque laceſſitæ ſonum vel male, vel alienum referunt, quandoque nullum. Oculorum triplex humor ſuo modo vitiatur: vitreus glaucomate, cryſtallinus ſuffuſione deformes fiunt; aqueus in fibrarum ſpeciem coactus multiplices pilorum villorumve ſpecies repræſentat.

Nec à labe immunes ſunt functiones vitales. Syphiliticos torquet dyſpnœa, aſthma, tuſſis ferox tum ſicca, tum humida: phthiſi pulmones flacceſcunt, arent, in pus abeunt. Ventriculus ad alimentorum ſolutionem minus aptus languet *ἀνορεξία*, vel gravatur *βραδυπεψία*, aut iners fit *ἀπεψία*. Succi male elaborati diarrhœa foras eliminantur: Vel anguſtos vaſorum lymphaticorum mæandros permeare inhabiles hydropem generant, aliaque morborum genera, quæ ex ingurgitatione naſcuntur. Hinc febris, vultus livor, maraſmus, virium proſtratio. Hæc & cætera bene multa

„ tioſam humorum naturalium qualitatem aut, dyſcraſiam, qua degeneres à nativo ſtatu, in alienam naturam, id eſt, in naturam præternaturaliter ſalſo-acidam deſciſcant. lib. 2. cap. 2.

Hanc naturam primum induiſſe ulcera in his locis, in quibus nata eſt lues venerea, ex eo fas eſt conjicere, quòd ea ſanguinis aut humorum corruptela ex venere in Europa nunquam obſervat fuerit.

multa luis venereæ ſymptomata qui trutinatus fuerit, fluidorum ſpiſſitudini, præſertim lymphæ, rodentique ipſius indoli, omnia tribui poſſe minime dubitabit. Quid enim tumores, & viſcerum infarctus tam generare aptum eſt, quam craſſiores, tenaces, viſcidæ liquidorum moleculæ? Undè ulcera, niſi à laceratis muſculorum fibris? Unde dolores vagi, fixi, lancinantes, pungitivi, niſi à membranis muſculos involventibus nimium diſtentis & vellicatis? Unde oſſium moles aucta? Unde anchyloſes, ſeu tumor articulorum, niſi à ſuccis, quibus nutriebantur, ſolideſcentibus? Unde ipſa oſſium ulcera ſive caries, niſi ab incuneatis in perioſteo lymphæ craſſioribus particulis, quæ continuo ad exitum, aut ad perreptandos hujus canaliculos impulſæ, ipſum dilacerant? Oſſa nudata diu integra permaneant, fieri non poteſt. Porro tenuandis liquoribus, promptiſſimum habes auxilium, mercurium nempe.

III.

In debellandis morbis experientiæ non utique minus quam ratiocinio fidendum. Morborum, quos impura venus invexit alexipharmacum eſſe mercurium, ratiocinatio primum docuit, confirmavit conſtans & non fallax experientia. In mobilitate, pondere & diviſibilitate partium efficaciam hydrargyri ponendam eſſe nemo non fatetur. Is potenter humores quoslibet ſubigit, ſanguinis, lymphæque plures globulos in unum coactos penetrat, dividit, ſolvit, ad nativam molem reducit, ad motum habiliores reddit. Inconſpicuis ſuis guttulis exiliſſimos capillarium cujuslibet generis vaſculorum mæandros permeat, eorum infarctus reſerat. Qua vero arte felicius & tutius intra corpus admittatur inter, omnes non convenit. Alii frictione per cutis poros impellendum putant, hanc methodum non improbamus. Verum gravioribus & inveteratis morbis debellandis imparem plurium annorum experientia didicimus. Levioribus ſufficit, ſi rite adminiſtretur. In hac, duplici modo peccatur: dum cietur *ſalivatio*, vel dum illa per inferiora deturbatur catharticis. Salivæ fluxum, quem ad noſtra tempora uſque neceſſarium pronunciarunt Medici, inter remedii ponas infortunia. Fucum fecit illis opinio male fulta virus per *ſalivationem* eliminari: at ſalivæ ſpurcities, & fœtor oris ulceribus debentur. Non puriorem ex viro ſano, quam ex ſumme infecto elicies. Sine *ſalivatione* ambigis averruncari poſſe luem veneream? Audi hujus *ſalivationis* olim aſſertorem acerrimum. „ Experientia, *inquit*, omni ratione major, Medicos jampridem docuit „ mercurium, etiam dum nullam ſalivationem ciet, cæteroqui tamen eoſ„ dem effectus in ſanguine præſtare, ac ſi ſalivatio legitima mota foret, mo„ do debita copia ad ſanguinem penetraverit, & proinde attenuatis liquo„ ribus, reſeratis vaſis, reſtituto oſcillatorio partium motu, diſgregatis „ obicibus, profligato ſeminio morboſo, luem veneream radicitus perinde extir-

„ extirpare ". (*c*) jam vero quod huic Authori celeberrimo erat in votis penes eſt medentem. Authoritati fidem denegas? rationem audi: mercurius aperientium medicamentorum more agit. Rideas merito Medicum, qui viſcerum infarctus tollere ſatagens, per os revocaret eliminandum quod ex ipſis detraxerit. Adde quod ut ſcopum attingat hydrargyrus, quo diutius per totum corpus erraverit, iteratis circuitibus, eo efficacius, & citius illud ſanitati reſtituet. Qui *ſalivationem* movent, vias aperiunt mercurio, ut qua data porta ruat. Qui *ſalivationis* tædia, labores & pericula catharſi ſatagunt præcavere, non magis feliciter cum ægris agunt: frangunt vires, mercurium eliminant, quod dextra ædificant, diruunt ſiniſtra. Igitur, qui inunctionibus morbum tentant depellere, hydrargyroſi parciore utantur. Drachmam unam cum ſemiſſe, duas ad ſummum unguenti, quod partem unam mercurii, duas adipis ſuſcipiat, diebus ſingulis, (ſi fieri poteſt abſque *ſalivationis* periculo) adhibeant: frictiones ſaltem triginta, ut plurimum quadraginta celebrandæ ſunt. Sic multo plus mercurii corporis penetralia ſubiturum, quam per unctiones ad ciendam ſuſtentandamque *ſalivationem* facili computatione cognoſces. * Neque ex illa copia quidquam decidet aut per os, aut per alvum, ſed per ſolam perſpirationem, ſolutis obicibus, qui naturali ſuccorum circuitui obſiſtebant.

IV.

Ut parciori cedit hydrargyroſi ſyphilis levior, ſic quæ gravioribus ſtipatur ſymptomatis huic obſurdeſcit. Exoſtoſes, anchyloſes, ſcrophulæ, lepra quandoque luis venereæ ſoboles, ut fas eſt conjicere, ulcera, quæ faucium partes abſumpſerunt, quæ palati, naſi, ſterni, aut artuum oſſa depaſta ſunt, efficaciora poſtulant remedia. Hæc ſupeditat ſuffitio; à Medicis prioribus ſyphiliticis coætaneis tentata æqualem fortunam ac unctiones ſortita eſt. Hæ parciori manu Medicorum conſilio, largiori ab empiricis adminiſtratæ per multos annos male audierunt. (*d*) Suffimenta ex cinnabari veneno arſenicali, aut ſublimati corroſivi infecta, in manifeſtum capitis periculum ægros adducebant; nil mirum ſi ab omnibus fere Medicis reprobata ſunt. A toxicis repurgata cinnabaris cum gummi & reſinis ſociata eſt. Ineptum connubium! Capiti, pulmonibus importuno fumo noxium, ægris intolerabile. Infortunii cauſam intellexerunt ſapientiores Medici,

(*c*) *Aſtruc. lib.* 2. *cap.* 8.

* Non raro poſt unicam unctionem ex uncia ſemis unguenti, quod ex mercurii & axungiæ partibus æqualibus conſtet, ſæpius poſt duas, vulgo poſt tres, erumpit ſalivæ fluxus uberrimus, qui per dies 20. aut 25. perſeverat, non ultra proritandus. Ergo in hac hypotheſi ſex tantum drachmæ mercurii intromittuntur. Si autem per dies quadraginta inungatur æger cum drachma una & ſemis unguenti, quod tertiam partem tantum mercurii contineat, accipiet viginti drachmas. *De morbis venereis*, *lib.* 4. *cap.* 7.

(*d*) *De morbis venereis*, *lib* 2. *cap.* 9.

dici ; ſolam cinnabarim uſurparunt. Rediit honos remedio, ipſiuſque multum increbuit celebritas, ex quo poſt multa experimenta in Noſocomiis facta ipſius ſalubritatem *Facultas* declaravit. Tum noſtri ordinis Medici, verbis ac ſcriptis, ſuffituum laudes prædicare, energiam experiri. Ego quidem auſim affirmare ſupra ducentos utriuſque ſexus, pueros, juvenes, ſenes, mulieres utero gerentes, nutrices intra annos undecim à me curatos fuiſſe & ſanatos. Quos inter exoſtoſi, anchyloſi, oſſium carie, ſtrumis, lepra, paralyſi quidam laborabant. Ex his plures non ſemel incaſſum unctiones experti fuerant. Diſparis eventus rationem invenies in diſcrimine moleculatum mercurii per frictum, aut per ſuffitum inducti. Per frictum partes mercuriales craſſæ impinguatæ, vix ad motum habiles, ſanguinis lymphæque globulos impellere quidem, at minus penetrare, dividere, & exiliſſimos tubulos permeare queunt. Animo autem attende quam exiles ſint, quam expeditæ, quam mobiles aëreæ illæ particulæ, quæ ſuffitionis ope per nares hauriuntur. Quam cito per totum corpus diffundantur. Cerebrum per nervos olfactorios (cavitate enim donantur) (*e*) irrorant, pulmoneſque ſubeunt, in ventriculo recipiuntur, miſcentur alimentis, ſic per omnes corporis partes cito diffuſæ, non prius in auras abeunt, quam viſcerum omnium anfractus, membranarum exilem contextum, cæcas ligamentorum, cartilaginum, oſſium ſemitas mille circuitibus peragraverint. Quodnam remedium tam præſens tanta valet edere miracula? Cinnabaris artificialis, * vel potius æthiops mineralis, ex libra una hydrargyri, & florum ſulphuris unciis quatuor tritura confectus. † Si major ſulphuris quantitas adhibeatur, pulvis ſtatim majori flamma abſumitur; ſi paucior, non accenditur. Hujuſce pulveris drachma una paucis carbonibus ſupponatur; exhalantem ſub flammulæ forma mercurium tentorio ſatis amplo involutus æger, obturatis ore & oculis, naribus excipiat. Ante ſex vel ſeptem *minuta* ſudor erumpet copioſius ex univerſo corpore, tum in lectum reponatur per aliquot horas ſudaturus. §. Vix quemquam e centenis reperias huic ſuſtinendo remedio imparem; imo per ipſum curationis tempus omnes pingueſcunt. Si quis tamen hunc brevem admodum laborem perferre nequeat, faciliorem methodum offert unus è noſtris. (*f*) „ Si quis æger, *in-„ quit*, carbonum vaporem ægre ferat, interea dum lectum petit, injiciatur „ cin-

(*e*) *Vide Quæſtionem medicam*, an à diverſa cauſa moveantur cerebrum & dura meninx? *propugnatam die Jovis* 21 *Februarii*, *an.* 1737. *M. J. D. Chevalier præſide.*

* Æthiops mineralis minus caput ferit, minuſque ſalivam movet quam cinnabaris artificialis.

† Ad conficiendum huncce pulverem horæ ad minimum decem & octo requiruntur; tritura fiat in mortario vitreo, cum piſtilo vitreo.

§ Æger ſub lecti ingreſſum potius quam matutinis horis ſuffitum excipiat. Idem dicendum de frictionibus.

(*f*) *Vide Quæſtionem propoſitam die Mercurii* 24 *menſis Nov. anno* 1745. *M. Lud. Ren. Marteau*, *D. M. P.* an in curanda lue venerea, ſuffumigia ritè adhibita, remedium optimum?

„ cinnabaris in ferrum candens in cubiculo clauſo ubi ille ſomnum capiet." An modus iſte ſanandis ægris ſine ſudore ſufficiat, penes Authorem ſit fides. Priorem qui tentaverit, felicem eventum ſibi polliceatur.

V.

Non te deterreant ab adhibendis ſuffimentis priſcorum Medicorum, qui ea reformidabant, multitudo. Non ea proponimus quæ reprobabant. Diverſa eſt materies, diverſus adhibendi modus; imo animos addat plurimorum ex iis teſtimonium. Fatentur poſt incaſſum uſurpatam hydrargyroſim, nonnullos perfecte per ſuffitum ſanatos fuiſſe; docentque, cum cætera non profuerunt, ad illum confugiendum eſſe. Si ergo tam noxii ex natura ſua remedii ope illud effectum eſt quod unctionibus fieri non potuit, quid ex eodem remedio, venenis, aliiſque rebus noxiis purgato ſperandum putas? Quid plura? Experientia in rebus medicis magiſtra docuit quod ſuademus, eadem ſuadet ratiocinatio. Nec te moveant quidam ex neotericis, qui præſtantiſſimam hanc medicinam inſufficientem, imo noxiam clamitant. Suffimentum ab hac injuria egregie vindicavit Theſis ſupra laudata. Crimen vero inſufficientiæ & periculi, in hydrargyroſim cum ſalivæ fluxu conjunctam merito refundendam, probat invictiſſime.

Ergo per ſuffitum felicior & tutior, quam per inunctionem mercurialem, morbi venerei curatio.

JACOBI

Digitized by Google

XXXII.

JACOBI GRAINGER,

DISSERT. INAUGURALIS

DE

MODO EXCITANDI PTYALISMUM

ET

MORBIS INDE PENDENTIBUS.

Edimburg. pridie Idus Martii 1753.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUædam de modo ptyaliſmum excitanti, & morbis inde pendentibus monere, hujus diſſertationis propoſitum eſt.

Duorum, & ultra ſæculorum experientia, ptyaliſmum, mercurio in ſanguinem recepto, provocatum, luis venereæ remedium potentiſſimum eſſe, jam conſtat; ſed, quoniam hæc labes, utcunque dira, vitæque humanæ infeſta, ſæpe morbis aliis, qui hydrargyroſim forte non ferant, implicatur, horum primos, ſicut à claris practicis enumerantur, ſtrictim attingamus.

1mo. In re medica, ſtabilitum eſt, quod quando plures morbi complicentur, ei, qui vitæ præcipue minetur, primo ſuccurrendum.

Hinc, in ſiphylico, malo acuto, vitam minante, tentato, ſalivæ proritatio non eſt excitanda.

2do. Sed in pathologicis quoque, evacuationem novam, ingruente, fluente quavis periodica vitæ ſalutari, nunquam ſolicitare, axioma eſt.

Hæc liquido patent.

3tio. Sed quid faciendum, quando morbis diuturnis, ut ſæpe fit, implicatur virus venereum?

Hic revera maturo judicio opus eſt, quippe, quoniam permulta mala chronica à lue venerea oriantur, an huic vel alteri morbo originem debeant, judicatu difficile eſt.

Si a lue ortum trahant, nil mali extimeſcendum, quoniam, cauſa hydrargyroſi ſublata, tolluntur effectus.

Sed, ſi morbus ab alia peregrina materia pendeat, quænam praxis? In univerſum, ſi ſputi proritatio malum chronicum vel penitus inſanabile redderet, vel ſubito vitæ minaretur, a mercurio abſtinere convenit.

Sed, quoniam a quibuſdam practicis in morbis nonnullis, quibus ſanandis revera confert, & in aliis, quibus ex mea propria experientia, obeſt, prædicatur hydrargyroſis, horum præcipuos ſpeciatim memoremus: & primo.

4to. Obſtructione viſcerum tentato, multi in medicina celebres exitialem fore ptyaliſmum proclamant; & ſane ſi in ſchirroma abierit obſtructio, vel altius morbum infigeret, vel vaſa rumperet mercurius; ſed, ſi recens ſit obſtructio, quid tam, præmiſſis præmittendis, materiam immobilem adeo permeat, ac ſputatio? Febrem quippe ſemper, quæ deobſtruentium rerum longe potentiſſima eſt, accendit. Aſt, in pus reſoluta materia obſtructa, anne ſalivæ excitatio prodeſſet? A pleriſque, nec injuria, damnatur; attamen ulcera interna, mercurio parca copia exhibito, ſæpe feliciſſime ſanantur; ſanatis, nil obeſt, quo minus excitetur ptyaliſmus.

5to. In hydrope thoracis, improbatur hydrargyroſis; & ſane ſi ſanguinis craſis diſſolvatur penitus, ſi laxentur nimis ſolida, hoc eſt, ſi vires vitæ

vitæ frangantur; ſputationis copioſæ excitatio neutiquam convenit, parcæ, prodeſt. Aquam e pectore, mercurio præcipue, plus una vice feliciter eduxi. Ab hydropicis facillime ſputum elicitur; nimium humores cito corrumpit, hæmorrhagias exitiales, ſæpe producit, gangrænas, mortem arceſſit. Raro luem veneream concomitatur.

6to. In ſcorbutica ſanguinis dyſcraſia, quoniam in hoc teterrimo malo, vaſorum cohæſio ſic minuitur, ut a leviculo etiam impetu frangantur, ſimulque humorum putredo ingens adeſt, improbatur nec injuria ſalivatio.

Militi ſiphylico, gingivarum putredine, & femoribus &c. maculis lividis nigris interſtinctis, mercurii crudi drachmam unam inungebam veſpere. Die inſequenti ſputum verum mercuriale magna copia effluxit, & rite ad decimum diem proceſſit, tunc mala, labia, oris interna intumuerunt valde, dentium infirmitas ingens ſequebatur, fere omnes exſcreavit, & quod mirum, mole auctos. Halitus commilitones fœtore vix tolerando percuſſit. Sanguinis multum fœtidi, immo gingivarum quotidie exſpuit. Erat urina fœtidiſſima, craſſa, parca, fere nigra. Animo defecit ſæpe. Omnia, quæ alias, ad effrænem ſputationem cohibendam, cum ſucceſſu uſurpaveram, adhibui. In pejus ruebant ſymptomata, moribundus erat miſellus. Tunc vinum cum aromatibus decoctum, & elixirem vitrioli, ſingulis horis dedi. His, vires brevi redierunt, ſanguis, & tandem ſputum, ſiſtebantur. Eorundem uſu diuturniore, maculæ, tumor &c. tandem evanuerunt; attamen per tres menſes militis officio fungi nequibat. Lues venerea ſæpe comitem habet ſcorbutum verum.

7mo. In ictericis, ſed perperam, damnatur hydrargyroſis; nam modo evacuantia & balneæ tepidæ præmittantur, hepar obſtructum, niſi in ſcirrhum concreverit, ſemper expedit. Ter, morbum regium lui aphrodiſiacæ implicatum, in Flandria vidi.

8vo. In inſania interdicitur ſputatio. Et revera, maniaco furenti, mercurium ad ſputum provocandum, exhibere, ſanæ non mentis conſilium videatur; ſed quoniam melancholici & morbo hypochondriaco affecti, ſæpe viro venereo tentantur, ſeſe ſæpius tentatos autumant; an tali enixius petenti conveniret hydrargyroſis? Hoc ſedulo expendi meretur.

Quoniam conſortium, quo corpus cum animo unitur, ignoratur fere, morborum plurium rationem, in quibus animi vis præſertim affici videtur, ut & therapeiam exquiſitam, tradere non eſt. At melancholia, & morbus dictus hypochondriacus, magna ex parte, in vi imaginationis conſiſtunt. Itaque, de his luculenter diſſerere non datur. Sed & corpus, mutationes quaſdam ſubit, quarum ductu, noſmet ex anguſtiis expedire conemur. Bilis acris primum, dein viſcida, & demum picis inſtar atra fit; quin & ſanguinis ipſius habitus in melancholia craſſus eſt & tenax, nigroque colore. Unde inciſa cadavera, cerebrum ſiccum, ſanguiniſque canales atro ac lento cruore diſtentos oſtendunt. Et in malo, (quamvis

&

& corporis reliquum infeſtat,) hypochondriaco dicto, maxime vitiantur imi ventris viſcera, quorum ſingula, pro natura ſua, & uſibus vitæ quibus accommodata ſunt, afficiuntur; præ cæteris vero laborat jecur. Bilis craſſior & tenax, in canaliculis ſuis hærens, hos opplet, inflat &c. Hinc in utroque morbo, adſunt & humorum lentor, & laxitas vaſorum. Sed mercurius ptyaliſmum provocans, utrique cauſæ medetur; ſanguinem fundit, vaſa ſtimulat, obſtructa deplet, febrem accendit, (vide λ). Ergo in melancholico, incipiente ſaltem, & hypochondriis laboranti, utilis eſſe debet. Ratiocinio quoque aſſentitur experientia. Plurimis hypochondriacis, ſputo proritato, & mentis & corporis ſanitatem reddidi.

Addendum tamen eſt, quod nimia in his nunquam erat ſputatio, quod urinæ viæ ſemper apertæ manebant, quod alvum eccoproticis gummoſis ſemper poſt triduum ſolicitavi, quod animos ſpe grata erectos tenui, quod vires, generoſis ſtomachicis datis, omni molimine ſuſtentavi, &, finito ptyaliſmo, iter longum ſuſcipiendum ſuaſi.

9no. Sed inſultibus epilepticis quati ſolito, an ſalivatio proritanda? Epilepticum lue laborantem, ſemel ad ſputationem ſat copioſam inunxi; ſeptimana 3tia, ſubito ſpaſmis, epiſpaſtico pone aures, & venæ jugularis ſectione, diſcuſſis, os firmiſſime occludentibus corripiebatur. Declinante quoque ſputo, dum in ſella ſedebat, humi ſubito cecidit convulſus, omni ſenſu privatus: minuta 8 fere duravit paroxyſmus. (Hoc, aliis ſiphylicis nunquam morbo comitiali obnoxiis, poſitione erecta ſedentibus, accidere ſæpe vidi). At in poſterum hac paſſione laceſſitis, ſputum elicere nunquam tentabam: ſed, quando labem veneream comitabatur epilepſia, mercurium ſepties ſublimatum, præmiſſis evacuantibus debitis, cortici peruviano, caſtoreo, chalybi, immiſcui; luem ſic ſemper, niſi valde ſævam, immo una morbum caducum ſemel ſanatum vidi.

10mo. Sed quandoque cum nervorum reſolutione conjungitur lues, quid fieri oportet? Hæc mala atrocia implicita ſedulo expendi merentur; artificibus quippe, mercurium familiariter quotidie tractantibus, vel fumos ejus haurientibus, ſpaſmi, nervorum reſolutiones, ut fidi ſatis auctores tradunt, ſolennes ſunt; immo nonnunquam & olim notabantur, & hodie, peracta ſputatione præpropera, membra reſoluta, videre eſt. Anne ergo abſtinendum? In ætate provectiori, longo jam a tempore paralyſi parente, ptyaliſmum provocare inſaniæ eſſet. Sed quando minuuntur tantum calor, ſenſus, motus, alicujus membri, in homine etiam ætate adulta, calomelas, cum remediis, quæ fibras roborant aromaticis, adjuncto chalybe, rem luculentius peragit: fortaſſe quoque, parca ſalivatio a rariſſime illito mercurio his malis mederetur: hunc caſum tractandi nunquam mihi copia fuit.

11mo. Sed in utero geſtantibus quid faciendum? Hoc ubique nimis ſæpe evenit. Salivatione plena excitata, vel abortum facit fæmina; vel nutrimento idoneo fraudatur miſellulus; vel, ſi in utero non pereat, in

lucem ſuſceptus, vilem plerumque & infirmam animam trahit, peccatorum parentum martyr luctuoſus. Quapropter ſatius, vel parcam omnino ſputationem educere, vel potius, alterantis forma, mercurium ſuſpenſa manu adhibere.

11mo. Sed nullum morborum (a 4 ad 11.) contagionem veneream comitari demus. Nonne aliquando ſymptomata etiam venerea, quæ ante inunctum mercurium curari debeant; vel quibus ſanandis impar, immo funeſta foret ſaliva proritata, dantur? Ad priorem claſſem, oris interni ulcera, ophthalmiæ referuntur; alteri, contagium carie oſſa tenuia narium &c. erodens, vires nimis proſtratas, vel morbo jam veteri, vel ſputo ſæpe fruſtra tentato, præcipue annumero.

1. At ulcera oris, quamvis primo difformia & hiulca, ſemper ante peractam ſputationem ſanantur. Sic quoque inflammationes quotidie, ſaliva fluente, decreſcunt. 2. Sed quando oſſa narium inficiuntur, ſerpit cito lues, quam citiorem etiam reddit hydrargyroſis. Hoc in miſero nuper, exercitus olim venuſtiſſimo, comprobatum vidi. Quamvis enim tantum libras duas, nycthemeræ ſpatio, exſpuit, inde tamen capitis dolor multum intendebatur, ſpaſmi muſculos faciei ſæpe convellebant, naſus cecidit, & viciſſim aliena loquebatur. Hæc longo decocti lignorum & alterantium uſu amovere tentatum eſt; vixit nimis diu ſpectaculum luctuoſum, parum mente conſtans, inſultibus diris epilepticis ſæpe quaſſum, pulmones ſemper tuſſi rejiciens.

3. Quando vires, morbo jam veteri, vel ſputatione, in noſtra regione, ſæpius incaſſum elicita, valde proſternantur; cardiaca, euchyma adhibenda, & quamprimum ad cœlum tepidius migrandum eſt.

12mo. Sed ſi nihil horum (a 4 ad 12.) quominus provocetur ptyaliſmus, impediat; inter practicos, utrum corpus præparari debeat annon, lis eſt. Sydenhamus noſter, & qui in verba illius addicti ſunt, omnem corporis præparationem vires frangere, ac præſtare, nihil omnino ægere, quam importune ſatagendo nocere, ſtatuunt. E contra, Aſtruccius harum rerum auctor luculentiſſimus, & practicorum plerique contendunt, quod ſemper quantitas & craſſitudo ſanguinis venæ ſectione minuenda; quod purgantibus everrenda cacochylia eſt; & denique quod partium ſolidarum erethiſmus, (ut via facilius mercurii efficaciæ in ſanguinem paretur,) balneationibus tepidis, niſi ſymptomata funeſta præcipitari ſalivationem ſuadent, laxandus eſt. Anne ergo ſunt ſiphylico cuivis, nimia quantitas, lentor ſanguinei laticis nimius? In morbo fractis, vix ſanguinis ad vitæ munia peragenda ſatis eſt; ad hoc plerumque in talibus, tenuis nimis eſt. Anne tunc foret medici prudentis conſilium ibi V. S. celebrare, repetere? Sed in plethora, & hinc plerumque in exercitu, repetita ſanguinis miſſio convenit. Omnes ſiphylicos, aqua tepida ſemel, ſtrigoſos cum farina ſæpius abluo; hoc ſummi momenti eſt. Dum catharſis & cibi ſolidioris abſtinentia, &, ad pravam illuviem, in primis viis ſæpe

Digitized by Google

ſæpe hærentem, educendam, corrigendam, & ad diarrhœam præcavendam proficiunt.

13tio. His rite peractis, lanula ſuccida, quippe de anni tempore eclectico parum ſolicitus ſum, probe induatur ægrotans; eligatur cubiculum ſatis amplum, ab aëris externi injuriis tamen rite tectum; & tunc de modo mercurium exhibendi conſiderandum eſt.

1mo. Inter medicinam facientes, quænam methodus maxime tuta, efficax maxime eſt hydrargyroſim excitandi, acrius diſputatur: omnes fere mercurii præparationes, in praxi ſatis frequente per novem annos, adhibui. Suffitus plerunque dira ſymptomata excitat, cerebrum turbat &c.; & quamvis ozænæ & ulcerum oris curatio huic permitti queat, nullus cinnabare accenſo, unice ſalivam proritare tentet. Argentum vivum intus ſumptum, etiam aliis additis, vel penitus ſpe ſputi ægros lactat, vel nimia ejus quantitas requiritur. A viridi mercurio ſtatim plerumque vitiatur ventriculus, alvus funditur, eſt draſticus nimis; præcipitatum album intus adhibui nunquam, nunquam corroſivum ſublimatum, ſed mercurii crudi affuſione, & ſublimatione iterata retuſum ſæpiſſime: æqua vero comparatione inſtituta, aquilam albam, ſæpius nauſeam, vomitum, diarrhæam, tormina creaſſe, incertiorem fuiſſe, appetitum ſemper plus proſtraviſſe, quam mercurius cuti illitus inveni. Anne frequens, alvi fluxus calomelani ſuperveniens, ab ejus acrimonia, vaſa exhalantia inteſtinorum, præcipue vero magnam glandulam ſalivalem, pancreas dictam, irritante, pendere videatur? Quapropter nunc, cæteris miſſis, niſi quædam calomelanos uſum ſuadeant, unguento utor.

R. Argenti vivi per alutam colati, & probe a peregrinis defæcati partes duas, axungiæ porcinæ recentis partem un. & dimid. tritu longo in parva terebinthinæ quantitate extinguatur, & tunc cum axungia, in formam unguenti incorporetur. Hocce unguentum ſatis forte eſt; & mitius, addita axungia, pro delicatulis, pueris &c. reddi poteſt. Ad focum brachia, axillæ primo, poſtea inguen, femora, tibiæ, linteo calido bene detergantur, fricentur; ad focum, cuivis harum partium, fortiter unguenti hujus quantum capit drachmam mercurii m. & v. per triduum, os ſolicite inſpiciens, illino: quarto die ſi vel nulla vel parva futuri ptyaliſmi appareant ſigna, bis iterum drachmam unam affrico, & dein quid ſit futurum cras attentus expecto. Sed tunc ſi nec halitus, nec os internum, quod raro fit, mutationis dent ſigna, die ſexto bis iterum eandem quantitatem (ſemper partem fricandam aqua ſaponacea calida lavans, linteo calido detergens) inungo. Hoc argenti vivi pondus, niſi ſe per vias inteſtinales irruens profundit, fere ſemper in glandulas ſalivales patentes, numeroſas, ſanguinem copioſum recto fere tramite a corde recipientes, effectus proprios edit; vel per poros cutis ſudorem ingratum exhalat; vel denique per renes, quod rarius, ſe præcipitans, urinam fætidam copioſam fundit. Sed ſi nulla horum accidunt, quod reliqui eſt ex dua-

bus mercurii unciis eodem modo illino, & dein alterum diem ſedulus animum attendo. Tunc quidem, ſi non mutentur oris interna, quod rarius eſt, ventriculum radice braſilienſi ipecacuanha dicta, & nonnunquam grano uno vel altero emetici flavi addito, concutio; fortiori raro utor. His plerumque brevi poſt erumpit ſputatio.

Ante quatuor annos, me remedium in ſale abſinthii, ad vires mercurii in ſanguinem tuto, cito expediundas, inveniſſe gloriabar. Nupera vero pericula a me caute adhibita, quod, quamvis nonnunquam effectus mercurii fundentes ſumme promovet, huic miræ ignis ſoboli non eſſe ſemper fidendum, monſtrant. Ubi vero tres uncias illeveris, nec inde ſputum elicitur, ſalis abſinthii ſemiſcrupulum bis die in idoneis poculis per duos vel tres dies propinare poſſis. Nihil noxæ ab illo, immo potius appetitum firmiorem, & urinam valde auctam vidi.

2do. In inunctionibus nunquam uncias quatuor tranſcendo, & probe memini ne vel hac quantitate, ſputum in quodam proritatum. Aſt enormiter per duas ſeptimanas, ſudavit æger, & epidermidem fere totam tanquam exuvias poſuit. His, ſiphylica mala curabantur. Erat attamen halitus oris vix ferendus, & genæ intumuerant. Uncia una vel altera, modo priora obſerventur, & quantitas ad ſalivæ debitam copiam proritandam, in pleriſque accommoda; laudabilem vero hydrargyroſim ſemuncia ſæpius excitatam vidi.

13mo. Sed lento gradu ſic ſputum elicere, eſt ſummi omnino momenti. Mercurius eſt ſemper remedium anceps. Deſidioſus, & quaſi ſui officii oblitus in corpore aliquando videtur; tunc vero ſubito, collectis viribus, & omni ſuo terrore armatus, erumpit, & miſerum peſſundat. Hinc, ab uſu argenti vivi nimis præcipitato, olim mors vel morte pejora mala ſequebantur, & adhuc hodie nimis crebro ſequuntur.

14mo, Prodit ſe ſalivatio his ſignis præcipuis.

(α) Calent primo oris interna, præcipue circa veſperem, injucunde ſapit ſputum, in diverſis hominibus diverſiſſimum.

(β) Tument, rubent, calent, dolent, genæ, labia. Gingivarum, facile ſanguinem fœtidum fundens, eſt tumor fungoſus. In quodam ante ſalivationem, a gingivis valde tumidis, ſemilibra, & ultra ſanguinis atri erupit.

(γ) Fœtet intolerandum ſpiritus; hic fœtor a mercurio maſſam ſanguineam diſſolvente, ſales oleaque ejus volatiliora reddente; hoc eſt, a ſanguinis inducta putredine vera pendet. Hoc ulterius ſequentibus patebit.

(δ) Stupent, vacillant dentes. Quemdam ὀδονταλγίᾳ ſæviſſima per totum fere ſputationis tempus vexatum vidi. Illi omnes capilli deciderunt.

(ε) Intus malæ, ſtigmatibus, præcipue circa ductuum ſalivalium ora, cineritiis, olentibus notantur. Lingua tumet, albet ſuperius; ductum Whar-

Whartonianum ulcuſcula generis ejuſdem, ſæpe & margines, & linguæ apicem, valde dolentia, conicæ quippe & fungiformes papillæ margine frequentes, molles ſunt, ibique majores quam alibi, deturpant. Hinc guſtatus pervertitur, loquela, manducatio impediuntur.

(ζ) Hoc tempore quoque efflorefcit plerunque cutis, & hebetatur viſus.

(η) Auditum ſputantium nonnunquam imminutum, aliquando acutiorem, doloroſum, ſed tunc ulcuſculum maxillam inferiorem prope articulationem obſidebat, vidi. Surditatem quoque perfectam, in juvene ulcuſculis oris & veli palatini venereis laborante, in caſtris recordor. Anne a tuba Euſtachiana tumore compreſſa? Vitiis oris mercurio diſcuſſis, rediit auditus.

(θ) Ex ulcuſculis, ſanguis, ſæpe magna nimis copia, noctu præcipue, craſi diſſolutus, male olens, funditur. Provenit a genis ſæpiſſime, a gingivis nonnunquam, a lingua ſæpius, a faucibus aliquando, a dente carie exeſo rariſſime. Ad hunc compeſcendum, & os interne mitigandum, ribeſiorum gelatinam aceto vel vino rubro ſolutam, præ reliquis accommodam inveni.

(ι) Sputum hoc tempore pleno rivo manans, a ſaliva, odore, colore, ſapore, valde differt, acidis mineralibus vero, ut quidam ſcribunt, ne vel minimum tumultum ciens unquam vidi. Sæpe deficit mane; e lecto vero ſurgere, corpus tantiſper exercere, & liquores tepidos affatim ſorbere, iterum promovet.

($\varkappa$) Procedente ſalivatione, minuuntur reliquæ ſecretiones, excretiones. 1°. Parum urinæ reddit veſica, eſt ea colorata, acris, fœtida, aliquando etiam ſanguine parum tincta, ſedimentum deponens. 2°. Alvus quoque adſtricta manet; ſæpe nihil fœcum, per unam, duas, raro tres ſeptimanas, fundentem, videre fuit. Sed confert excrementi partem, poſtquam mercurius in glandulas oris vires probe exeruerit, calore induratam, peſſario quovis, vel clyſmate miti, ſingulis ſeptimanis ſubducere. Melius ſic curſum ptyaliſmus abſolvit. Febris, cephalagia (de quibus λ) minuuntur, immo fortaſſe, alvi fluxus præcavetur, certe dolor atrox, a fæcibus in lapideam fere duritiem compactis, finito ptyaliſmo proveniens, eluditur, minuitur. (vide 19. 2.) Confert quoque haud parum, urinam nonnihil promovere. 3°. De inſenſili perſpiratione nihil habeo dicere; ſed ſemper magis rite procedit hydrargyroſis, ſi initio ſudor, & poſtea madoris fœtentis parum per porulos cutis emanet. Eſt optima ſalivationis vicaria ſudatio hoc modo excitata, vid. 13. 2.

(λ) Febricula ſemper, febris aliquoties adeſt. Sanguis hoc tempore miſſus, eſt craſi diſſolutus, tetrum odorem ſtatim exhalans, vix ſeparans, citiſſime putreſcens, in aura diſflans, abiens. Pulſus ad 100, 110, 120, & ſi nimius calor cubiculi eſt, ad 130, & ultra acceleratur. Capitis dolor plerunque urget.

(μ) Vigilia. Sputantes raro, nunquam alte dormiunt. An a mobilitate, tenuitate, calore, pondere aucto, putredine (γ θ λ) ſanguinis id pendet? Anno? phyſiologicis demonſtratur, partes tenuiores, ſolidiores, ſphæricas ſanguinis, fere recto ductu, magna copia, cerebrum alluere? Certe quicquid ſanguinem minuat, velocitatem, ſtimulos demulcendo, diffringendo, tardet, quicquid in cerebro congerat, ſomnum conciliat.

15mo. Hæc ſunt ſputationis præcipua ſigna: quo modo rite fluat, ut diſſeramus, jam reſtat; & primo, de cubiculi calore pauca monere liceat.

(a) In calore cubiculi, etiam primi ſputum excitantes medici Itali &c. erraverunt, in hoc etiamnum practicorum plurimi peccare videntur. Calor ſani in regione noſtra eſt 90 vel 96 grad: hic calor, febre excitata, (λ) ad 100, vel ultra, aſcendit. Sed, ſi calor cubiculi, a 50 (qui eſt medius, in noſtro cœlo, caloris gradus) ad 100, vel ultra, ut ſæpe fit, intenditur, quæ non extimeſcenda ſunt?

(b) 1mo. Accenditur febris: 2do, cephalalgia ſævior fit: 3tio, tumet ſtupendum facies: 4to, vox plane, lingua vel extus tumida indecore hærente, vel intus immota manente, intercipitur: 5to, nimia ſputatio, fœtidiſſima, ſæpe cruenta: 6to, difficillima redditur deglutitio: 7mo, vigiliæ urgent: 8vo, ſpiritum anheli ducunt: 9no, ventriculi nauſea, vomituritio: 10mo, ſanguinis multum ab ore exſcreant, a pulmonibus tuſſiunt: 11mo, tormina, ſedes cruentæ vexant: 12mo, animo ſæpe deficiunt: 13to, delirant, quid multa? 14to, moriuntur.

(c) Annon calor nimius fere ſimilia in ſano producere quit? In caſtris, in itineribus, atrociſſima ab inſolatione vidi. Et quid, quæſo, in febribus acutis, putridis, malignis, efflorescentia comitatis, pejus eſt calore immodico?

(d) Horum ſymptomatum hæc fortaſſe eſt αἰτιολογία. Vis aëris calentis ad 96 gradum, totum ſanguinem, primo ſerum, cruorem lentius, donec utraque in volatilem & fœtidum halitum, (experiente egregio Hallero) exigua fæce relicta, abeant, ſolvit. Sed calorem cubiculi hunc gradum ſuperantem ſæpe nimis notavi. Hinc fit putridus (quippe mercurius natura ſanguinem putreſcentem reddit) ſanguis, hoc eſt, acris, ſtimulans, venenatus fere; inde ſymptomata ad numeros 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 12.

Ad hæc, calore febrili omni rareſcunt humores, extenduntur ſolida, extenditur & gluten intermedium; ergo cohærent minus; ſed & momentum, ut & velocitas, mercurio adhibito, ſanguinis augentur; immo & fibræ & humores putredine tabeſcunt, diffluunt; ſed & putridus jam ſanguis. (vid. γ, θ, λ, d.). His fibræ teneriores ſolvuntur, diſrumpuntur; effluunt liquores acriores. Hinc ſymptomata ad numeros 8, 10, 11, 13, 14, & reliquorum 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 12, incrementum.

(e) An-

(*e*) Annon & ſanguinis putredo, (cæteris miſſis) ab ignoto quovis ab aere recepto in inſpiratione, minuitur in ſanis? Certe hoc quodcunque eſt a fervore cubiculi corrumpi videtur.

(*f*) Sed & pathologiæ aſſentitur θεραπεία. Præcaventur plerumque a ſuſpenſa mercurii inunctione, a calore cubiculi temperato: curantur antiſepticis, vino, camphora, cortice, acidis vegetabilibus præcipue, purgantibus blandis, e. g. ſenna, cum tamarindis, cremore tartari, decocta, aſtringentibus, auſteris, calore moderato.

Cuidam quadragenario, tabe venerea laboranti, mercurii unciam unam adhibui. Ad tres libras viginti quatuor horarum ſpatio ſputum effudit. Secunda ſeptimana, antequam e vita diſcederet, uxor mœrens, ut viſerem, rogabat. Moribundi quidem præ ſe ferebat ſpeciem; ſtragula ſanguine maculabantur, matulam ſatis largam tum ſanguinis ſemiplenam, omni momento cruorem tuſſi per os rejiciendo, fere implevit. Erat cubiculum injuſſu meo fervens, fœtens; vix ſpiritum ducere poſſem; præterea morbo pulmonico olim obnoxius fuerat. Femora ſtatim ligavi, focum fere extinxi; elixirem vitrioli in vino rubro, ut & doſim pulveris ſtyptici exhibui; his, cito quies impetrata erat; uncias tunc quatuor ſanguinis e pedibus eduxi: ſiſtebatur hæmoptoe, & ne rediret, mercurii vires catharſi revellendo, curavi.

(*g*) Anne ergo frigori exponendus eſt ſiphylicus? neutiquam. A frigore ſuſcepto dira oriuntur mala. Neque hoc, etiam aliis ejus effectibus omiſſis, mirum, ſi cum Sanctorio conſideremus, quod, ex ciborum libris octo, quinque (nulla, inhalatorum humorum his viis quoque diſtillartium, habita ratione) in auras abeant, videatur. Hæc perſpiratio merito inventoris nomine inſignita, aqua ſubtiliſſima præcipue, forte oleo, certo ſale volatili, &c. tritu, calore, a mercurio volatilioribus redditis, conſtat. Sed hæc tam copioſa excretio (forte in ſputantibus minuitur) ſic mutata & acrior longe facta, ut & ſputatio ipſa, retropelluntur. Retropulſis, partes corporis infirmiores, minus frigori obnoxias, maxime dilatabiles, occupant. Hinc vel 1. hæmoptoen, vel 2. lateris, vel 3. laryngis, 4. vel articulorum inflammationem, vel 5. alvi fluxum, aliaque multa, ut fert ægrotantis genius, ſemper vero febrem arceſſit, accendit. Curatur 1. hæmoptoe ut F. 2. Conveniunt nimis doloroſo, cruento, ventris fluxui revellentia, ſennæ cum tamarindis decoctum, rhei tinctura, acida cum aromaticis, antiſepticis conjuncta, adſtringentia. 3. Febrem & inflammationes, ſanguis detractus, lavacra tepida, diluentia, humorum putredinem arcentia, diaphoretica mitiora medentur. 4. Reliqua mala eandem fere medelam, ac ſi revera eſſent morbi non a ſputo cohibito provenientes, ſuſcipiunt. Fomentis, induſiis calidis, immo forte doſi altera unguenti, his (1. 2. 3. 4.) diſcuſſis, ſputatio revocanda eſt.

(*h*) Hinc quoniam, & a caloris exceſſu, & a frigore, ſuſcepto, tam dira fluant; gradum quo teneri debet ſiphylicus, ſummi determinare momenti

menti eſt. Sed quoniam nonnulli & caloris & frigoris aliis magis patientes ſunt; temperamenti, ætatis, anni tempeſtatis ratione variandus eſt iſte. Sed, in univerſum, quoniam corpus aëre circumfuſo calidius eſt, & omnis febricitat ſputans (*vid.* λ.) ſexageſimum gradum thermomet. Fahrenh. modo cubiculum ab aëris injuriis ſolicite defendatur, hyeme etiam, calidum ſatis inveni. Æſtate vero foculum tantum, niſi m. & v. permitto. Immo æſtate, ſæpe ptyaliſmum proritatum, feliciter ad finem perductum, in horreis novi.

Militi cuidam, habitus ſanguinei, 30 annos nato, intemperato, poſt 12 mille paſſuum iter, & V. S. proximo die ſatis largam, pro ophthalmia, labiorum tumore, ſcabie ſicca fatiſcente, flava obductorum, oris interni ulceribus, dum reliquas cutis partes vel ſcabies eadem, vel puſtulæ purpuraſcentes, vel lividæ deformabant, collega nuperus, D. Robertus Murdagh, calomelanos grana quinque, cras ſemidrachmam pilularum cochiæ ſumpturo, in conſerva roſarum H. S. dedit. Diluculo militum manus, cum quibus erat, ad Vagniacum in Cantio ultra 20 millia paſſuum contendere cogebatur; cum ſociis & noſter (quippe erat ſtrenuus) quamvis tempeſtas erat frigidiſſima, nivoſa, iter fecit. His, ſymptomata priora excanduerunt; quapropter, itinere finito, ſtatim ſe ad lectum contulit. Mane proximo, copioſa vera mercurialis ſputatio erupit, quam, quoniam brevi legioni Belgium adnavigandum erat, ſiſtere iterata V. S. & catharſi repetita &c. neceſſe fuit. Sed his non obſtantibus, per quinque dies, quibus libras quindecim ſputi effudit, perſtitit. Interea temporis, facies ſcabioſa tumida, idoneis fovebatur, & unguento mitiſſimo mercuriali curabatur, dum os, aqua calcis & melle Ægyptiaco colluebatur ſæpe. His, cito evanuerunt, integrum cathartica perſtiterunt, & ſanus brevi poſt cum legione mare trajecit.

16. Sic caloris gradu ſtatuto, de poculis & diæta ſiphylicorum parum dicere reſtat. Militibus bibenda quæ ſequuntur exhibeo, ℞. lactis P. 2. aquæ (cui incoquitur panis bis cocti Q. S.) P. 1. coquantur, adde ab igne remotis, aquæ cinnamomi, Q. V. Infuſum quoque ſalivæ cum ſaccharo edulcoratum, vel decoctum vulgare farinaceum, vel cereviſiam tenuem cum pane toſto, vel denique thee ipſum; loco meliore natis eadem, & vini aliqualem portionem concedo. Sit victus nutriens, cardiacus, pullorum juſcula, gelatinæ &c. His, magis par eſt unuſquiſque ptyaliſmo ferendo, dolores, hilaritate quadam demulcente, minuuntur, ſputi copia augetur, & quod grave eſt, macilentia, a qua tabem heu nimis crebro ortam vidi, præcavetur, N. B. antequam bibat ſiphylicus os colluere quovis liquore ſemper expedit.

17mo. Quamvis caloris moderamen, & parca mercurii inunctio, tam multa præveniunt; & quamvis idoneis ingeſtis foveatur hydrargyroſis; nonnulla tamen, quæ niſi coërcita, aut vitam periclitant, aut ptyaliſmum

mum vanum reddunt, in ſtatu aliquando accidunt. Inter hæc eminet dyſenteria ſemper atrox, ſæpe funeſta.

A. Morbum ſatis cognitum non hujus eſt loci deſcribere, liceat tantum obſervare, quæ excernuntur valde fœtere, vulgo cruenta, & quod, dum ſedes & tormina vexabant, ſputum copia auctum, ſæpiſſime notavi, dyſenteria vero ſatiſcente, tunc & hoc ſatiſcit, iterum uſu unguenti circumſpecto ſolicitandum.

1. Si dyſentericus natura vegetus plethoricus ſit, ſanguinem minuere caute expedit venæſectione. Emeticum olim adhibere mihi erat ſolenne; ſed multa mala, præſertim ſanguinis fluxus, inde orta vidi (nec mirum ſi γ θ λ conſideremus) quapropter rem nunc potius alvum ſolventi miti (ς. 2.) committo. Si vero multum laboret ventriculus, oxymele ſcillitico, cardui benedicti vel florum chæmemeli infuſo, parum concuti poſſit.

2. Ad dolorem ſtatim ſedandum, omnes, nec immerito, laudanum Sydenhami collaudant.

Sed hæc (1. 2.) ſæpe fruſtra adhibentur, & perit miſer, niſi antiſeptica, quorum latiſſime patet claſſis, præſertim aromatica & acida, theriaca, vinum, ſerum rhenanum, opem ferant. Non videntur eſſe tam tuta acida mineralia; quoniam, ut mihi clariſſ. patronus D. Andreas St. Clarius inter colloquendum de hac praxi innuit, acidis mineralibus argentum vivum per ſe innocens, corroſivum, venenatum devenit. Nec in praxi civili ſuadeo. Attamen in exercitu, elixire vitrioli vino auxiliante, ſæpe hoc malum feliciter diſcuſſi. Annon acetum theriacale egregie proficeret?

His plerumque diaphoreſis blanda, quæ eſt hujus mali criſis tutiſſima, promovetur. Aeger lecto continendus eſt.

3. Electuarium diaſcordii & aſtringenti ad medelam quoque aliquid faciunt.

B. Si (1) ultra modum intumeſcat facies, & (2) ulcuſcula amygdalas depaſcant, foveatur quovis diſcutiente ſpirituoſo facies;, mutentur caute tibialia; & quæ glandulæ colli operiunt. Ad (2) ulcuſcula detergenda, ſananda, hordei vel ficuum decocto, addito melle roſaceo, os colluere oportet. At utraque (1. 2.) curanda, alvum leniter ſubducere, pedes in aquam tepidam immergere, epiſpaſticum pone aures ponere auctor ſum.

Poſt hæc, nonnunquam tonſillas ſtigmatibus gangrænoſis notatas obſervavi territus. Unicum remedium eſt, glandulas haſce, tribus quatuorve in locis, vulneribus ſatis profundis ſcalpello incidere, quæ melle roſaceo vel aqua calcis, adjecta mellis Ægyptiaci aliqua portione, curanda ſunt. Niſi his ſuccurratur citiſſime, ad gulam ſerpit malum & exitiale eſt. Hoc eo magis lynceis oculis inſpiciendum eſt, quia & dolor & calor febrilis imminuta videntur. Hæ ſunt induciæ admodum fallaces; dum enim incautus nihil periculi ſubeſſe (ut probe monet cl. Archiater Mead) & ægro-

tum in vado eſſe prædicit, pulſus vacillans, facies pallida, inquietudo ſumma, ſudores frigidi ſe invicem excipientes, ſputi ceſſatio, fatum inſtans prænuntiant. Gangræna curata, non eſt iterum ſollicitanda hydrargyroſis; ſed alio quovis modo e corpore eliminandum eſt virus venereum.

C. Hæc ſunt dira ſymptomata: ſed & lethum, a perpetua liquidorum rejectione, utcunque illa deſiderentur, nonnunquam ſequitur. In actu eſ-fervefcentiæ bibatur miſtura antiemetica a clariſſ. Riverio deſcripta, parum addito laudani Sydenhami. Enemate ſubducatur materiæ infeſtæ pars. Applicetur ventriculi regioni panis toſtus, vino rubro tinctus, cum olei nucis moſchatæ p. e. portiuncula: commode quoque apponitur cataplaſma theriacale. Dentur & acida prius laudata.

An tali conveniret aquæ fontis frigidæ poculum?

D Et denique, ſi ſputi quantitatem ſuſtinere non poteſt ægrotans, liquanda alvus, interdum etiam ducenda; mutanda ſunt caute tibialia, indufia, ſtragula; quia hæc, ptyaliſmum, mercurio nonnihil imbuta, ſocillant. Hoc jam quoque tempore, ſulphuris ſemidrachmam ter die exhibere, in conſuetudinem venit. Anne ſulphur in linimenti formam, cum butyro vel axungia redactum, & cuti illitum, ptyaliſmum nimis ſævientem inhiberet? Sed & aceſcentia, & quæ ad literulam (*f*) commendantur, in immodica hydrargyroſi proficient.

Maxima quantitas nycthemeræ ſpatio debeat eſſe bilibra, minima quintuſſis vel ſextuſſis.

E. Eadem tentanda ſunt, ſi extra debitum (de quo 18) protrahitur, ut ſæpe fit in phlegmaticis, ſputatio. His quoque ſudor, ſpirituum accenſorum ope elicitus, proficit. Colluatur quoque os gargariſmo quovis aſtringente ſiccante.

Hæc denique ſunt magis ſolennia, quæ in ſtatu hydrargyroſeos accidunt; ſed & hæc rarius, modo quæ ad 14 in fine, & lit. *h*. laudantur, obſerves, evenient.

F. Inuſitatiora ſunt paralyſis, torpor, ſtupor, ſpaſmi &c.

18vo. Quamdiu foveri debeat, tantum uſu magiſtro doceri poteſt, hydrargyroſis; cæteris paribus, donec vitia venerea evaneſcant, eſt protrahenda. Poſt tres ſeptimanas pleni ptyaliſmi, plerique tædio affici ſolent. Sed in hoc morbo ſemper ſatius plus, ſi audiens dicto ſit mercurius, & vires ſufficiant, quam parum agere.

19no. Fatiſcente ptyaliſmo, augeri incipit urinæ copia, nunc plerumque copioſum non adeo fœtidum ſedimentum deponens; oris interna minus dolent; detumeſcit facies, dentes firmiores fiunt, & vox & cibi deſiderium redeunt; ſapidorum appetitus, ceſſat capitis dolor, nunc ſomniant.

Colluatur os aqua calcis, melle; gingivarum firmitas alumine in vino rubro ſoluto promoveatur. Cibus caute, parce, euchymus, animalis indulgeatur.

1. Hoc tempore quoque plerumque urgere ſolet cardialgia cum aquæ re-

jec-

jectione (Angl. *Water-braſh*) & ructu acido. Hæc ſunt valde inquieta. Spiritu e cornu cervi ope ignis elicito, & ſale a lixivio abſynthii præparato, ſtomachicis, roborantibus, victu ex animalium partibus petito, aſſato, curantur. Hæc rariſſime medicum ſpe inani lactant; ſin, rad. ipecacuanhæ curationem abſolvit.

2. Eadem quoque tempeſtate, quamprimum ac venter ſedis indicia dat, injiciatur ſumme lubricans clyſma. Sic fæces, quæ ſemper (niſi quæ ad x obſervantur) pigræ & duræ ſunt, in itinere tortuoſo emolliuntur, & rectum ab illarum ſcabritie defenditur. Hujus neglectu, imi, mollis, adipoſi inteſtini, inflammationem, hæmorrhoidas &c. excitata vidi.

3. Sed & diarrhœa aliquando infeſtat. Inſpiciantur excreta, ſunt valde ab fluxu ad A diverſa, & diverſam medelam (huic enim ſymptomati nocerent acida) ſuſcipiunt. Vino rubro, cui incoquuntur cortex cinnamomi vel granatorum, rheo, adſtringentibus, aqua calcis (cujus miros effectus, in inteſtinorum lævitate, & dyſenteria quatuordecim menſes veteri, nuperrime expertus ſum) emetico Braſilienſe, curatio peragitur.

4. Declinante ſic ptyaliſmo, teſtes cuticulam totam, exuvias tanquam, ponunt plerumque.

5. Et denique hoc tempore, diaphoreſim blandam, biduo quovis per ſeptimanam unam vel alteram, decocti ligni ſancti &c. uſu promovere, proderit. Sic enim dira, ab auctoribus memorata, a mercurio in fabrica celluloſa &c. nidu'ante, provenientia, præcaventur. Hoc quoque, ſi quæ morbi reliquiæ ſuperſunt, efficaciter propellentur. Cathartica raro requiruntur, uſum quoque aquilæ albæ improbo.

20mo. Tandem corpus aqua tepida farinacea, ſaponacea lavetur; ad veſtes conſuetas paulatim redeat convaleſcens, mutet cubiculum, aeri tandem ſereno, aprico, meridiano exponatur; & denique ruris amœnitatibus, & ab equo exercitio, ad conſuetum vitæ genus revocari debeat.

21mo. Si vero, neque ruris amœnitate, neque exercitio, nec vini rubri poculis moderatis, appetitus, quod raro accidit, non convaleſcat, Tinctura ipecacuanhæ ventriculum irritare prodeſt, qui, medicamentis ex chalybe, amaris & aromaticis adjunctis, tincturæ præſertim modo, quotidie propinatis, & cibos brevi expetit, & rite digerit. Aquæ, vero, quæ per venas hujus metalli fluxerint, remediorum omnium chalybeorum, ſunt efficaciſſimæ.

22do. Poſt ptyaliſmum, 1. militem ſæpe pollicis dimidio, mane etiam, longitudine ſolenni breviorem, inveni. Unde hoc? 2. Unde macies ſumma? forte horum (22. 2.) ratio reputanti patebit, corpus noſtrum etiam ſanum, ſanguinis circulo, in perpetuo corruptionis ſtatu eſſe, partes liquidas exhalare, expelli, ſolida attrita, mole minuta, in circulum abrepta, cum urina &c. exire. Hæc ſubſtantiæ jactura in juventute, ubi aquæ & glutinis plurimum, terræ parum eſt, maxima obſervatur. In hoc ſtatu, ergo, ſi plus perdatur, quam ſanguis nutrimenti fons apponit, fiet maeritudo.

 Sed

Sed calor febrilis, omnia liquida, olea præſertim, a quo venuſta obeſitas, volatiliora reddendo, & ſolida deterendo, hoc eſt, plus quam opportatur, radendo, maciem facit. Sed, in ſputatione, eſt febris; (λ) eſt quoque putredo. (γ, θ, λ). Hi effectus, pondere mercurii, mirum augentur. Hinc forte macies, hinc altitudinis diminutio.

23tio. Ptyaliſmo ſic feliciter peracto, macilenti etiam natura ſæpe fiunt obeſiores. Immo corporibus, in quibus vel ex traduce, vel a pravo victu, glandulæ vitia contraxerint; humorum omnium defæcatio, vaſorum reſeratio ab hydrargyroſi, haud raro in poſterum ſanitatem præſtant integriorem. Hoc tamen ſilentio præteriri non debet, uſu hujus remedii, utut Herculei, nimis frequenti, robuſtiſſima temperamenta peſſundari: impar & ipſum tandem fieri, morbo debellando.

24to. Ad integritatem plenam conciliandam, & a venere abſtinentia, & ψυχρολουσια conferunt.

FINIS.

HENRICI

XXXIII.

HENRICI MICHAELIS MISSA

ET

GUIDONIS DAN. DESPATUREAUX,

AUTORIS, THESIS IN EA VERBA

Ergo lui venereæ hydrargyrus, camphoratus.

Pariſ. 29 Januarii 1756.

I.

CUr etiamnum peccata annis præteritis admiſſa, ab hydrargyroſi, eaque pleniore, quaſi redempta, nonnullos toties remordent? Cur in his luis veneræ ſtigmata de novo recrudeſcunt? An a malitia morbi (inſuperabilis nuſquam) more hoſtis infide reconciliati, ac inopinato reſurgentis? An à medicaminis vitio, illiuſque viribus infirmioribus? Neutrum ſane: agyrtarum & circumforaneorum inſcitiam eludit facile lues venerea, abſque aliorum malorum glomeribus, abſque ſcorbuticarum affectionum ſatellitio, raro perſtans diu: idcirco dum ſociis hiſce lues pertinaciter hæret, non uno tum ac ſimpliciſſimo pellitur remedio; plerique tamen, cum Medicinam non calleant, legum illius ignari penitus, audaciſſime uno quopiam unguento omnes tentant perſanare, nulla corporum qualitatis habita ratione; atque ſi inſuper medicaminis alterius ſodalitio medicamen egeat, quo moderetur, aut intendatur, illi ne aliquid de ſuo decedat lucro, pro ſuo remedio decertant imperiti auro inhiantes agyrtæ aut tonſores, dum interea morbi pervicaciam arguunt, ut eo pacto ter quater aut pluries ægri curationem ineant, experianturve: hinc licet non ſint lethales, niſi ex eventu, venereæ affectiones, ita tamen malæ aves interdiu advolant, noſtra etiam ætate, ut decima pars curandorum pejori morbo, imo & morti committatur. Quod novum hercle non eſt ac inauditum. Pari infortunio lethalem olim extitiſſe jam luem veneream memoriæ proditum eſt. Priſcis enim temporibus, aromatariis (*a*), herbarum collectoribus, ac circulatoribus, in arte verſatiſſimi curationis ſortem primum relinquebant, quaſi ipſi dedignati morbo, turpi tum habito, mederi. Mali vero increſcente tum ſævitia, tum frequentia, Medicos, huma-

(*a*) *Wendelinus Hocb*, de Morb. Gall. cap. 1.

manitatis vindices, commovit lugenda hominum conditio, & flebilior nunc, potiori jure, commovet.

Ex quo lues venerea, cujus à veneris conſuetudine nomen ac fons uberior, avos noſtros monſtroſa novitate (*b*), oris auſoniis, vertente anno 1495. perculerit, Heu! quam ſtupendum in dies cœpit incrementum familiaris ea adeo nunc, ut eam brevi fore humano generi comitem facile credideris. Tolerabilior ea apud Americanos, hos ſub ſcabiei feræ aut herpetis larva itrepit endemia: Hiſpanis etiam, qui eam primi, cum Americanorum ſpoliis, una convaſarunt, quia forſitan nobis magis ſobrii ac in aere tenui necnon calidiori degunt, parcit benigna ut plurimum. In noſtrates vero, & in populos pleroſque Boreales durius & acrius, nec una de cauſa, deſævit, tuberculis & ulceribus ſui generis, aut doloribus noctu atrocioribus ſeſe prodens. Miaſma venereum contactu ſolo contagioſum, ſed ea duntaxat loca, quæ rariſſima epidermide velata, quaſi denudantur, os, nempe, papillam ac pudendum permeans, cuicunque corporis parti inſederit, illic inhæreſcens phlogoſim perpetuo excitat, unde ulcus radices figit, ex quo paulatim propagatur. Cum à partibus obſcænis inchoat, gonorrhoea malum orditur, qua virulenta ſanies, velut eructando, turpiſſime ejicitur; cum vero interiora adierit, condylomata ficus, porri, &c. verendis partibus exſurgunt, rhagadibus ani crepido hiulcatur, puſtulæ rubentes ad corporis peripheriam proſiliunt, quæ in hac parte obliteratæ in alia cito regerminant, ulcuſcula cancrodea, tonſillas, potiſſimum & fauces impetentia ipſas depaſcuntur. At ſi virus in artus, intra carnes deturbetur, acerbos dolores commovet noctu maxime ingraveſcentes, & demum oſſium compagi non utique parcens, aut hæc in tumores dilatat nodos tophos inferens, aut cariem inducens ab interiori medulla exorientem, horrendum ſpinæ ventoſæ malum parit. Prolatis hiſce luis venereæ inſignis, vix hallucinaretur quiſquam, at cum interdum tamen ſigna pathognomonica deſint, ecquis tum præter Medicum, eumque linceum, *anamneſtica* ſigna introſpiciens ex pluribus ambiguis atque ancipitibus adamuſſim penſitatis diagnoſim inſtituet ſecure?

Luis autem venereæ indoles, etſi theoretico non uno, nec ſemel exagitata, adhucdum tamen proſtat exploranda penitus. Hujuſce morbi virus obſcure notum, in diverſa complexione, ſua agendi norma, adeo diverſum, acidum quidam, alkalina acrimonia præditum alii excogitarunt: ſed priorum maxime opinioni anſam præbuit unalogia: acidi quippe energia, prout dicere, amant, virus hydrophobicum ſalivam (*c*) viperinum humorem felleum (*d*), arthriticum articulorum ſynoviam (*e*) ſpeciatim afficiunt.

(*b*) De luis venereæ origine vide *Wendel. Hock.* de Morb. Gall. Fracaſtorius de Morbis Contag. *Manardus*, *Falloppius* de Morbo Gallico, *Beverovicius*, Idea Med. Veter. Sed præ omnibus conſulendus auctor multis litterarum monumentis Clarus, M. *Aſtruc.*

(*c*) *Aſtruc* de Hydrophob. Sauvage. Diſſert. ſur la Rage.

(*d*) *Mead.* de Venenis.

(*e*) *Hatté.* Quæſt. Med. *An Arthritid. Moxa uſtulatio.*

ciunt. Nec diſpari prorſus ratione genitalia, fauces, & omnes fere glandularum ſeries ſua haud æquivoca peccati indicia fatentur. In his autem omnibus virus venereum ſuam etiam exerit actionem, quatenus aciditate inſpiſſat lympham & ſolida erodit, hinc & inde pullulat omnigena malorum ilias. Egregia ſane hæc doctrinæ monumenta, quæ veritatis etiam limina propius omnium conſalutant. Sed quid venari, ſpeculatione toties infida, num dolores venerei, num tumores, num oſſium exeſiones ſalibus mordaciſſimis, iiſque acidis deberi? Virus venereum eludit ſenſuum perſpicaciam; ex antacidis porro ſpecificum nullum lui venereæ adverſans reperire datum eſt. Ad rerum igitur pondera hic pergendum recto tramite.

I I.

Prælucente nondum therapeuticæ ſanioris aurora, nec pari, nec fauſto interdum curationis eventu, medentium munera omnes adimplere, dogmatici aut empirici. Qui enim aperientia quævis indiſcriminatim congeſſerunt in lue debellanda, illi morbi virus ſubigi poſſe & atteri opinantes, ſanguinem ſæpe ſæpius debita lymphæ copia ſpoliarunt: ſolidorum compage deſiccata, erethiſmum, inflammationes aut motus inordinatos, interturbatis ſimul ſecretionibus, concitarunt, non fugato perinde morbo.

Affini rationum momento, virus e corpore amandandum ſudorificorum marte plerique Medicorum diu autumarunt. Quod quidem bene ceſſit multis, pluribus nocuum; viribus enim ita labefactatis, & maraſmo prave ſimul inducto, imperfectam adumbrarunt medelam, ſi qua utique viſa fuerit.

Virus inveteratum felicius ſuffimentis e cinnabari promiſcue admotis compelli foras, aliquando error. Exilis adeo ea via corpori intromittitur hydrargiri moles, ut iniqua tum quantitatis ratione, is radicitus extirpandæ lui ineptus interdum faceſcat.

Aſt longe graviora ægrotis accerſerunt & accerſunt nunc incommoda, quotquot ſeminium venereum ſolis purgantibus draſticis impugnandum aggrediuntur. Læditur inde alimentorum concoctio, ventriculi & inteſtinorum, aſſiduo laceſſitorum, ærumnæ, ſpaſmorum, alvi fluxuum, &c. choream poſt ſe ducunt, unde cito tota pene ruit œconomia. Draſticis porro annumerentur hydrargyri quædam præparata, interne uſurpata, quibus luem edomandam committunt agyrtæ, angue pejores, qui dum ita incautis emungunt pecuniam, ſanitatem ſimul exhaurire non dubitant. Quot & quanta ſæpiſſime manent pertimeſcenda ab acidorum venenoſorum ſpiculis, quibus horret hydrargyrus in his arcanis latitans, nemo neſcit, præter credulum nimis ægrotantem.

Neque etiam radicitus avelli luem veneream ptyaliſmo duce multoties fuit in aprico poſitum; nec latet cur res ita contigerit: in tantum enim, dictitante ratione, morboſum extinguitur virus, in quantum omnes, quotquot ſint illius atomi, intra fluida hoſpitantes, aut ſolidis inhærentes à

ſuis

ſuis incunabulis extricentur, ut, qua data porta, perinde detrudantur. Quotieſcumque autem partem veneno conſpurcatam non ſalutat hydrargyrus, nec ibidem diu ſatis operatur, toties nulla, aut imperfecta ſane emergit curatio; abrepta nimirum tota hydrargyri mole per ductus ſalivales, exitum illi faciliorem præbentes, unde ſuperſtes veneni portio, dum ſanguini remiſcetur, ſuam ex improviſo renovat ferociam, cum portentoſa malorum lerna; hinc hodierno tempore plures carnificinis ptyaliſmi doloribus pœnas errorum incaſſum luerunt; ſed dii meliora piis!

III.

Si Medici à ſimilitudine quadam luis venereæ cum ſcabie fera permoti, auſi ſint primi hydrargyro illam curare; curatio hæc licet empirica primum, habet idoneam tamen rationem. Si enim ad morbi initia acceſſeris, tubercula ſcirrhodea videntur exoriri perpetuo, indureſcunt, occaleſcunt ulcerum labia, inſpiſſata nimirum à viru venereo quaſi congelata partium lympha; lymphæ igitur ſpiſſitudini ut obſis, remedium quod ſolventis penſum adimpleat, exquirit rectior indicatio, huicque præſto eſt hydrargyri virtus rationis conſilio conquiſita.

Hydrargyrus liquor graviſſimus, viſcidus & incombuſtibilis, quem argentum vivum appellitant, quia currendo ſe movet & quaſi vivit, metalli extat ſoboles in terra fluidificante (*f*) ſeu mercurificante, pro chemicorum placito, natans ſoluta. Nulla autem arte vel marte, terra ea luxuriante orbari uſquam poſſe evicit annoſa Boerrhaavii experientia ignis vi ſuffulta. Quidquid vero in hydrargyro immutando artis ipſiſmet peritis (*g*) conceditur, in eo ſtat totum, ut principia homogenea, his, quibus conflatur hydrargyrus, ſuperaddantur ſympathiceque cohæreant, necnon adaucta hydrargyri mole; eo pacto in ſaturnina aut ſolari amalgamatione fit hydrargyri cum moleculis metalli alterutrius adunatio, proinde prorſus immutabilis; ſic irretitur hydrargyri fluiditas, conſocio videlicet metallo, cui potius quam fictitiæ arſenici præſentiæ in hydrargyro, ptyaliſmus, irritatione inexpectata, debetur. Sed nedum ſit ea mens chemici clinici; cum ex adverſo intendat perpetuo hydrargyrum præ ſe habere virgineum, qui uberrima terræ hujuſce mercuriſantis (*h*) copia ſcateat. Is etenim quam cito & totus per corium rupicapræ permeare habilior, cutis proinde humanæ poros pervadit ita prompte ac facile, ut quam paucis ſit opus frictionibus, iiſque leviſſimis, in hydrargyroſi celebranda; cui etiam ſcopo collimantes, aut ſalis

(*f*) Triplicem fluiditatem, agnoſcunt Phyſici aqueam, mercurialem & igneam. Vid. *Becher.* Phyſ. ſubterraneæ Supplem.

(*g*) *Geber. Glauber. Kunkel*, ſed maxime *Becher.* de minera arenaria perpetua.

(*h*) Quæ humidum radicale metallorum audit, & in qua totum adeptorum arcanum. Vid. *Tachenius* in *Hippocrate* chymico. pag. 213. & 229. *Helmontius.* cap. in verbis herbis & lapidibus eſt magna virtus.

ſalis volatilis, aut ſulphuris, & præſertim ſalis marini terram conſociare amant chemici (*i*) nec ſine laboris tædio. Qua fluiditatis dote, hydrargyrus medicamentis aliis quibuſcumque palmam profecto præripiet, ubi miaſma venereum venit funditus extinguendum. In feraciſſimo enim naturæ regno ſubtilius eo nullum, nullumque magis expedite infarctus lymphaticos ſolvere potens eſt. Sanguini immiſceri amans, exiliſſima quæque corporis vaſa permeans, nulliſque detentus obicibus, ultimos viſcerum receſſus, ubi venenum ſedet repoſtum, pertingit celerrime, ac tum inibi tota ſua mole ac velocitate pulſus vires ſuas in miaſma nocivum victrices exercet. Genuinum porro ac rite adhibitum id anteſignanum ſanæ humorum craſi ac viſcerum compagi noxas nullas ſimul impertit; omnis ætatis ac ſexus amicum, cum in infantulis, feminis pleriſque & pituitoſis lentius, necnon in ſenibus ægre cutis mæandros pervadat, tum interne ſorbtus, tonicis ſalibuſque conſociis, fœliciores in illis ſortietur effectus. Ita promptius condylomata, criſtas, porros, imo & exoſtoſes diſſipat fumigatione ſuſceptus, æſtiva præſertim tempeſtate. Sed ſub unguenti forma intromiſſus, tepentibus maxime veris ac autumni diebus, quamquam emaciatis, melancholicis pleriſque, ac phthiſi confectis nonnunquam adverſetur, proſperiorem tamen omnium ſpondet eventum, uſitatior utique habendus. Quantis reapſe emolumentis inſigniatur illinitio; qua hydrargyrus roris ad inſtar, vias ſubiens ſanguineas, & uſque ad ima corporis penetralia, citra functionum læſionem, transfunditur, id planum jam fecit famigeratiſſimus noſtræ ætatis Medicus (*k*). Sed utut ſint medicamenti vires, utut ſit illius germana indoles, cum tamen ægrotum idioſyncraſia ea ſit prona interdum a ptyaliſmum, qui præter Medici nutum exoriatur, caſtigare eamdem non minores ſunt Medici partes. Cum enim maximo ægrotantium infortunio, agyrtarumque errore non infrequenti, hydrargyrus ipſe una cum uberiori ſaliva evaneſcit promptius quam par eſt, vias haſce, quibus præterlabitur, obfirmare ſatagimus, dum aliorſum medicamenti vires caſtas ſervemus & integras. Egregiis autem hiſce dotibus inſigniri camphoram ſuadebit mox evincetque ratio. Camphora concretum ſaliniforme (*l*), heteroclitave reſina volatilis, puta, & alkali tota impervia, oleo volatili & ſimul ſulphuri quadantenus conſona, inflammabilis ſine fæce reſidua, aquam reſpuens ſed in ſpiritu vitrioli ſalis & nitri facile ſolvenda, in oleo ſolvitur imperfectius quam in alkohole, ſed alkohole ipſo purior; ori eadem maſticata, locis aduſtis inflammatiſque oculis impoſita (*m*), nivis frigi-

(*i*) *Glauber.* Pharmàcop. ſpagyric. part. 4. *Becher.* paſſim in Phyſica ſubterracea & in Supplem.

(*k*) M. *Aſtruc*, Tract. de Morb. Venereis.

(*l*) Camphoram extrahunt è lauro Camphorifera dicta, quin etiam genera, quotquot ſint lauro affinia, concretumque ſuccum Camphoræ conſimilem ſuppeditantia, ad eandem reduci poſſe familiam ſubodorantur Botanici Methodici Naturalis Indagatores.

(*m*) Obſervante *Garcia ab Horto*, Aromatum hiſtoria, lib. 1. cap. 9. edit. *Cluſii.*

frigiditatem refert, acido nitri ipſamet forſitan fæta, quod, nec refragante chemia, ſuſpicari dabitur: hinc ſtyptica audit camphora apud clinicos & exſiccans ſimul, cum minimo phlogoſis dedecore: quippe dum glandularum vaſcula ultima ac exiliſſima ſuo penetrantiſſimo ſpiritu luſtrat, tonica ſua vi non incendiaria, vaſorum diametros coercet, & imminenti jam excretioni frænum injicit ac moderatur pro re nata, ac pro Medici prudentia. Nec minori ſane titulo, in compeſcendo ptyaliſmi fluxu celebranda, quam in gonorrhœa alias contumaciſſima, in fluore albo uteri, adverſus quos fauſte toties experitur, ſi tum oleis ſtillatitiis terebinthinæ & ſuccini conſociatur, in ſpiritu vini ſolvatur, nitro ſuperaddito, & requiſita doſi propinetur, more Batavorum aliquot uſurpato non infeliciter, atque in hac noſtra regione pluries etiam comprobato (*n*).

Sed non una dives qualitate camphora, hydrargyro conſocia humorum acredinem obtundit, eorum æſtum compeſcit; æger exinde refrigeriis, diluentibuſque parcius eget, calore, pruritu partium inflammatione obſitarum jucunde alleviatur; hydrargyroſis conducit proin felicius, æſtiva tempeſtate, temperamento ſicciori, aut emaciato; ac diæta tum largiore permiſſa, brevior ſubſequetur convaleſcentia. At inſuper dum moleculas quaſque in humoribus degentes irretit camphora, eaſdem ſimul foras ducit, & ex corporis noſtri ſphæra propulſat. Unde luem veneream exordientem & humori congelato nondum impactum virus quaſi prima in herba ſuffocare habetur camphora. *Hoc certa experientiæ fide poſſumus aſſeverare*, fert Hoffmannus, (*o*) *quod in luis venereæ principio nil præſtantius camphora deprehenderimus, ita quidem à Medico, cui fides adhibenda, nobis relatum eſt, quod, præmiſſo conveniente alvum ductorio remedio, ſola camphora ſoluta in axungia viperarum ad diram hanc luem perſanandam ſuffecerit; id quod plurimis exemplis edoctus aſſevero. Crediderim tamen mercurio fixato noſtræ præparationis, qui ſola diaphoreſi agit, camphoram decenti doſi adſociatam in tollenda luis hujus atrocia majores adhuc præſtare effectus*, quo fine hydrargyrum camphoræ connubio jungimus & paramus unguentum illitioni dicatum pro ſequenti modo. Camphora primum una cum plantarum aromaticarum pulvere trita, & hydrargyro proinde, proportione requiſita, ſuperaddito ſimulque ſubacto; ungenti etiam Neapolitani veteris pauxillum, quo facilius ac penitus extinguatur hydrargyrus, juvat permiſcere; dupla demum axungiæ quantitas aſſumitur cum cæteris ſubigenda, donec in tenues adeo & ſubtiles atomos abeat hydrargyrus, ut nulla vel etiam minima illius guttula ab oculo acutiſſimo poſſit percipi, utcumque papyro fricetur unguentum.

I V.

Adinvento jam & parato adverſus morbum præſidio, nullus ad obeundam

(*n*) A Clariſſ. Præſide hujuſce remedii uſum ipſomet ducente.
(*o*) Diſſert. de camphoræ uſu interno.

dam luis venereæ curationem ſeſe accingat, is ſi medicinam calleat, quin etiam alia plura, aut pauciora, pro rei natura, primum congeſſerit. Lues enim venerea & morbus alter æque gravis nonnunquam ſimul exiſtunt, atque non huic aut illi prorſus, ſed utrique remediorum ſolerti temperatione, obeundum nobis eſt; ſin comiti morbo prius obſiſtere neceſſe fuerit: nam in connexis affectibus, urgentiori religioſe eſt occurrendum; ita multoties affectiones, lue venerea jam evanida, ſuperſtites, ſcorbutica nempe labes, dolores arthritici, aut rheumatici, ac aliæ plures ſuis etiam remediis, aliaque arte debent emendari. Quodque auctor in re Medica nulli ſecundus ſubjungit his verbis (*p*). *Quod videtur à triplici cauſa pendere* 1°. *ab acrimonia quam ſanguis ab admixto venereo contraxit*; 2°. *à viſciditate nimia ſanguinis & lymphæ*; 3°. *ab atonia & laxitate quæ præcedentibus, crebriſque decubitibus acceſſit fibroſis ligamentorum, tendinum & muſculoſarum tunicarum ſtaminibus, unde futuræ ſalſioris lymphæ ſtagnationi facilius patent.* Nec minus ducit Medicus omnia proſpiciens, priuſquam ineat medelam, totius affecti corporis habitum conſiderare, num videlicet raram & laxam, num denſam & craſſam complexionem nacti ſint ægroti, num diu hos afflixerit jam morbus, num longa humorum & ſolidorum humectatione ſit opus, num exſuperent humores: cacochyliæ enim focus prorſus eſt exhauriendus; ſed in rebus Medicis agendis non omnibus omnia conveniunt; quare non medentem fugiat, quod melancholici ac mulieres non minus ad deponendam quam ad accipiendam luem tardi viſantur; ſic ſimplices ſimplicibus, compoſita compoſitis præſidia comparat; non uni igitur intentus, omnibus rite perpenſis, curatorias manus adhibet, methodos omnes frictioni poſtponens frequentius: nempe unguenti rite parati & cui conſociata jam camphora, intra ſex priores dies, duabus tantum drachmis, quaque vice, illiniri ægrum jubet, eo fine ut remedii præſentiæ exiliſſima corporis vaſa ſenſim aſſueſcant. Subſequentes vero frictiones, uno intercalato die, ad unciam unguenti ſemiſſem celebrare fas erit; eoque paſſu perfecta abſolvetur curatio promptior aut tardior, pro morbi atrocitate, aut illius præterita jam duratione. Neque hic prætereundum cenſemus, quod, ſi inexpectata immineat ſalivatio, adverſans ei auxilium præ manibus ſit, ipſa camphora unguento ſuperaddenda, aut dentibus maſticanda. Diæta autem nulla per curationis ſtadium præter ſimplicem eupepiam & ſalubrem, ſub qua potus ſit e graminis decocto. Alvo autem ſub curationis finem blande ſubducta, ſecure, celeriter, illæſiſque vitæ functionibus, ipſo demum ægro quaſi inſciente, expeditiſſima morbi obtinetur curatio.

V.

Methodum à ratione jam inſtitutam, eam inſuper experientiarum fide ſuffulcire apud Medicos ſolemne ac perpetuum. Idcirco hydrargyri *camphorati*

(*p*) *Clariſſ. Aſtruc*, de Morbis Venereis. lib. 4. cap. 1.

rati uſus, quos pluries vidimus adeo proficuos, palam facere non gravabimur, nec eoſdem ſane ullum pigebit eo loci recenſere in multis ſanitati reſtitutis. Ita circa finem menſis Junii anni 1755, curandum ſuſcepimus juvenem 23 annos natum, complexione bilioſum. Gonorrhœa virulenta laborabat à diebus octo, dyſuria ſimul tum cruciabatur, & hujus in inguinibus tumebant bubones indurati, nec doloris expertes. Præmiſſis generalioribus, pro re nata, unguenti hydrargyri *camphorati* unciis duodecim fuit illinitus, & cunctis rite tunc ſervatis, citra ſalivationis incommodum, duobus menſibus vix elapſis, ſanus evaſit. Eidem etiam methodo credidimus vegetam admodum ſanguineaque indole, fœminam, menſe Septemb. ann. 1755. coram Clar. Viris & Præſide & M. Hatte (*q*). Gonorrhœa in hacce ægrotante virulenta, vulvæ labia prætermodum tumefacta cancrodeaque circa limbum, carcinomatibus etiam reſperſæ nymphæ & extra labiorum rimam pendulæ, foſſæ naviculari criſta inſidens & rhagades ſimul ani marginem alte depaſcentes indubia utique luis venereæ indicia præ ſe ferebant. Ægra pluris hydrargyroſim in *Ptocotrophio* regio (*r*), jam experta fuerat incaſſum, dum ſcilicet eruperit jugis ptyaliſmi fluxus vix illinita drachmis ſex unguenti mercurialis, hic uſurpari ſoliti. Noſtræ autem curæ eadem tradita intra menſes circiter tres, unguenti mercurialis *camphorati* unciis octodecim illitionum via inſumptis, nec moleſta per totum curationis curriculum ſputationis damna ſubiit. Movente quidem catameniorum orgaſmo, nuncia quædam comparuit ptyaliſmi ſuſpicio, quæ ipſa prorſus evanuit, evanida ſimul menſtruorum purgatione; nec proinde obſtitit quominus ægrotans facilem obtinuerit & ex integro ſanationem. Menſe Octobris ejuſdem anni alter juvenis nobis occurrit 24. annos natus plethorico habitu & cui viridis uberrimaque eructabatur gonorrhœa dudum inveterata, dolorifica penis erectione ac dyſuria torquebatur aſſiduo, prætumidis alíorſum glandulis inguinalibus. Illinitus unguenti mercurialis unciis novem, requiſitis una cum cautelis, intra ſex hebdomadarum decurſum optime convaluit. Quotidianis nunc experimentis obfirmata & a nonnullis Medicis (*s*) jam pridem comprobata, inconcuſſa perinde exurgit methodus. Hydrargyrus enim, uti recogitanti ſatis elicuit, virus venerei domitor acerrimus, in altiſſimis latibulis illud venatur & expugnat, dum interim camphora ſuæ benignitatis commoda corpori morboſo impertitur abunde: hinc non minus jucunde quam ſecure ac cito ad ſanitatis portum ægrotans hoc utroque præſidio tutus appellit perpetuo.

Ergo Lui Venereæ Hydrargyrus Camphoratus.

(*q*) Concomitante Collega noſtro D. *Moriſot Deslandes.*

(*r*) *Bicetre* dicto.

(*s*) Frid. *Hoffman.* Diſſert. de Camphoræ uſu interno. D. *Raulin.* Diſſertation ſur le Camphre.

CHRIS-

XXXIV.

CHRISTIANI AREND SCHERER

DISPUTAT. INAUGURALIS

DE CALCULIS EX DUCTU SALIVALI EXCRETIS.

Argentorati 1. Jul. 1737.

Digitized by Google

§. I.

TOto die in nobis experimur, humorem quendam in os infundi, quem interdum expuimus, utplurimum vero, nobis etiam haud animadvertentibus, deglutimus. Hunc liquorem a maſſa ſanguinea in glandulis quibuſdam propriis ſecerni, atque mediantibus exeretoriis ductibus in os derivari, tam ex anatomicis, quam phyſiologicis patet principiis. Latinis dicitur *Saliva*.

§. II.

Vocabulis *ſecernere* ac *ſecretionis* utuntur Phyſiologi, quando ſeparationem partium magis homogenearum à liquore magis heterogeneo, cui immixtæ erant, indigitare volunt.

§. III.

Maſſam ſanguineam eſſe fluidum in corpore humano ſolum & unicum quam maxime heterogeneum, loquuntur principia phyſiologica; docet examen chymicum: ſequitur inde, omnia alia corporis noſtri fluida magis homogenea ex eadem poſſe ſecerni. Talem autem ſecretionem actualem experientia quotidiana demonſtrat.

§. IV.

Secretionem (§. 2.) fluidorum corporis noſtri ex maſſa ſanguinea (§. 3.) fieri ex adhæſione ſolidiſſime demonſtravit Cel. *Georg. Erhard. Hambergerus*, Profeſſor Jenenſis; quare ejus ductum ſecuturi eandem etiam ſententiam aſſumimus: ne vero ſolidiſſimas demonſtrationes præpoſtere forſan repetamus, remittimus B. L. ad ipſum fontem (*a*). Dicemus ſolummodo, quod, cum M. S. ſit fluidum quam maxime heterogeneum, adeoque omnia alia noſtri corporis fluida ex eadem poſſint ſecerni, imo actu ſeparentur (§. 3.), hæc ſeparatio in vaſis ſanguiferis ut fiat neceſſe ſit; eandem autem in venis (*b*) fieri non poſſe, inde intelligitur, quod, ſi fit ex adhæſione, uti dictum, rite & ſufficienter fieri non poſſit, niſi liquor e ſpatio ampliori verſus anguſtius moveretur: ſcimus enim ex principiis phyſicis, fluida non adhærere ſolidis, niſi eadem contingant, itaque requirebantur vaſa ſubtiliſſima & motus liquoris e ſpatio ampliori verſus anguſtius.

Hoc

(*a*) Interim evolvi ac legi meretur *Diſſert. Dn. Gelhauſen de differenti fluidorum in corpore animali ſecretione ex cauſis phyſicis demonſtrata*, ubi ſecretio ex adhæſione & quidem ſecundum mentem *Hambergeri* explicata reperitur.

(*b*) Excipitur hic Vena Portæ hepatica, quæ tamen in multis cum arteria convenit.

Digitized by Google

Hoc ultimum prædicatum eum officio venarum non convenire quilibet ſtatim concipit; erunt ergo hæc vaſa vel arteriæ vel arteriis ſimilia. Cum particulæ ſecernendæ adhæreant parietibus vaſorum, hinc tarde tranſeunt, unde erat neceſſarium vaſcula hæcce inſigni admodum gaudere longitudine, quam optime obtinuerunt mediantibus flexuris & tortuoſis directionibus: inde enata ſunt corpora membranæ peculiari incluſa, quæ dixere *glandulas*. Harum quædam ſunt *ſimplices*, quæ etiam *conglobatæ* dicuntur, quædam *compoſitæ* vel *conglomeratæ*. Simplices unico vaſe ſecernente conſtant, quod membrana cingitur; conglomeratæ vero ex multis ſimplicibus componuntur glandulis, ideoque etiam compoſitæ dicuntur.

§. V.

Tubuli liquidum in glandulis (§. 4.) ſecretum excipientes & in locum deſtinatum devehentes, noti ſunt ſub nomine *ductuum excretoriorum*. Actus autem ipſe, quo mediante corpora quæcunque, vel in locum deſtinatum infunduntur, vel e corpore eliminantur, *excretio* Phyſiologis nominatur.

§. VI.

Glandulæ, mediantibus quibus ſaliva ſecernitur (§. 1.), dicuntur *ſalivales*; harum numero ſex adeſſe majores & compoſitas (§. 4.) ex anatomicis notum: tria nimirum conſpiciuntur paria, duæ parotides, duæ maxillares, totidemque ſublinguales, quæ præcipue ſalivam ſecernunt. His accedunt multæ minores, quarum quædam ſunt quaſi auxiliares majorum; quædam vero ſalivam proprie dictam non ſecernunt: interim tamen emittunt liquorem, qui huic opitulatur, uti illud ex phyſiologicis probatur. *Anton. Nuckius* præter has peculiarem in canibus invenit & deſcripſit glandulam, quam ideo vocant Nuckianam; ſed, cum hæc hactenus in homine haud fuerit detecta, eandem lubentes canibus relinquimus.

§. VII.

Ad meliorem conceptum formandum de hiſce glandulis eaſdem diſpeſcemus. (1.) *In glandulas intra arcus maxillares ſitas*, ut ſunt: *maxillares*, *ſublinguales*, *palatinæ*, *uvulares amygdalæ* &c. (2.) *In eas*, *quæ ſpatium extra dictos arcus occupant*, quæ *parotides*, *molares*, *buccales*, *labiales*, *thyroidea* vocantur.

§. VIII.

Maxillares (§. 7. n. 1.) ſunt duo corpora fere rotunda, ſatiſque notabilia ad faciem internam anguli maxillæ inferioris ſita prope muſculum pterygoideum inferiorem, alias magnum vel internum dictum, in quovis latere

Digitized by Google

latere unum. Arterias accipit a ramo tertio carotidis externæ, quæ Winſlovio arteria maxillaris inferior audit; harum arteriolarum extremitatibus junguntur initia venularum, quæ majores factæ in jugulares hiant venas. Nervi ejuſdem proficiſcuntur a portione dura ejuſque ramo inferiori. Dicta hæc vaſa & nervi cinguntur membrana peculiari, quæ glandulam perficit (§. 4.) Hæc glandula ita conſtructa emittit e ſinu ſuo multos canaliculos, in unum veluti truncum abeuntes, qui ductus eſt excretorius hujus glandulæ (§. 5.). Hic canalis *ductus ſalivalis Whartonianus* ab inventore *Thom. Whartono*, a ſitu vero inferior audit; poſtquam hic ductus ſublingualem attigit glandulam, ad faciem ejuſdem internam & verſus marginem ſuperiorem uſque procedens, juxta marginem frænuli lingualis in os hiat, nunc unica, nunc duabus, imo quandoque tribus aperturis. Vid. *Ruyſch. Theſ. Anat. I. p.* 25.

§. IX.

Sublinguales (§. 7. *n.* 1.) ſunt duo corpora maxillaribus minora (§. 8.) ad figuram paulo oblongam & quadantenus planam accedentia, poſita ſunt ſub portione anteriore linguæ, in quolibet latere unum. Hæ glandulæ attingunt fere arcum maxillæ inferioris, & portiones laterales muſculi mylohyoidei aliquo modo obtegunt. Extremitatum altera earundem ſpectat anteriora verſus, altera autem verſus poſteriora. Margines oblique ſiti ſunt introrſum & extrorſum. Arteriæ harum glandularum proveniunt a carotide externa, venæ a jugularibus, nervi a ramo tertio quinti paris, maxillari inferiori dicto, antequam canalem oſſis maxillaris inferioris intrat. Inveſtitur eadem membrana quadam tenuiſſima, quæ continuatio videtur ejus, quæ faciem inferiorem linguæ obtegit. Lateraliter multos eoſque breviſſimos emittit canales, qui ad latus gingivæ internum mediantibus pluribus oſtiolis in ordinem collocatis circa linguæ frænulum terminantur. Hi canaliculi *ductus ſalivales Waltheriani* vocantur, de quibus vid. *Doctiſſ. Autoris Exercitat. de Lingua humana. Lipſ.* 1724. Veteres crediderunt, hoſce canaliculos fluidum, quod vehunt, effundere in ductus Whartonianos (§. 8.) *Rivinus* in vitulorum glandulis ſublingualibus peculiarem invenit ductum, de quo agit in *Diſſert. de Dyſpepſia*; ſimilem *Caſp. Bartholinus de Duct. Salivat. hactenus non deſcripto* in leæna vidit aliiſque animantibus circa eadem fere tempora, qui etiam ſibi inventionis gloriam adſcripſit. Nobis non ſollicitis de inventore ſufficiet dixiſſe, quod hoc inventum hactenus in homine haud fuerit demonſtratum.

§. X.

Amygdalæ (§. 7. n. 1.) ſunt duo corpora glanduloſa a figura ita dicta, quorum utrumque interſtitium ſemiarcuum lateralium ſepti ſeu veli pala-

tini occupat, alterum in dextro, alterum in ſiniſtro latere baſeos linguæ; in earum ſuperficie conſpiciuntur foraminula cavitati irregulari reſpondentia. Arterias habent a carotidibus externis, venas a jugularibus, nervos a pari quinto & nono. Hæ glandulæ etiam alias *Tonſillæ* dicuntur.

§. XI.

Parotides (§. 7. n. 2.) ſunt duo corpora ſita inter aurem externam & ramum aſcendentem oſſis maxillæ inferioris, ita ut partem vicinam muſculorum buccinatoris & maſſeteris quadantenus obtegant. Portio ſuperior glandulæ cujuſvis tangit apophyſin zygomaticam oſſis temporalis; hæc glandula extenditur antrorſum & extrorſum ſub lobo auris uſque ad proceſſum maſtoideum. Arteriæ ejuſdem prodeunt e ramo tertio carotidis externæ; venæ vero ortum ducunt a jugularibus, nervi a portione dura nervi acuſtici ſeu paris ſeptimi medullæ oblongatæ, cujus plurimæ propagines medium glandulæ trajiciunt. Ex hacce glandula multi proveniunt tubuli, qui in unum truncum communem, membranoſum, album, collecti ductum conſtituunt excretorium (§. 5.) Hic canalis, poſtquam a parte poſtica oblique antrorſum ſuper facie externa maſſeteris proceſſit, perforat introrſum buccinatorem e regione interſtitii ſecundi & tertii dentis molaris, ubi in os hiat: vocant eundem anatomici *ductum ſalivalem Stenonianum*, ab inventore *Nic. Stenone*, vel etiam ſuperiorem a ſitu reſpectu ductus Whartoniani. (§. 8.).

§. XII.

Molares (§. 7. n. 2.) ſunt duo corpora maxillaribus fere ſimilia, quorum quodlibet ſitum eſt inter muſculum buccinatorem & maſſeterem. Egrediuntur ex iiſdem parvi tubuli excretorii, qui perforato introrſum buccinatore membranæ oris ſeſe immittunt, per quam in os aperiuntur e regione circiter ultimorum dentium molarium. Hoc anſam dedit *ſolertiſſimo Heiſtero* haſce glandulas molarium nomine ſalutandi, cum eas primus deſcriberet. Plura qui deſiderat de his glandulis, evolvat *laudati Heiſteri Comp. anat.*

§. XIII.

Glandulæ per totam ſuperficiem internam buccarum diſperſæ dicuntur *buccales* (§. 7. n. 2.), quæ mediantibus minutiſſimis ductulis excretoriis in oris cavitatem hiant. Hoc etiam modo, pro ſitus nempe differentia, aliis glandulis nomina fuere impoſita, e. g. *labialium* (§. 7. n. 2.), quæ in labiis, *lingualium* (§. 7. n. 1.), quæ in ſuperficie linguæ, *palatinarum* (§. 7. n. 1.), quæ per palatum diſperſæ &c. conſpiciuntur. Arterias, venas, nervos pro ratione ſitus accipiunt a carotidibus externis, venis jugularibus, pari quinto & nono nervorum medullæ oblongatæ. Lingualium glandu-

glandularum quædam in foramine cœco *Ill. Morgagni* conſpiciuntur: in hoc foramine *Celeb. Vaterus* ac *Heiſterus* peculiares detexere ductus ſalivales, quibus ulterius deſcribendis ſuperſedebimus.

§. XIV.

Thyroidea (§. 7. n. 2.) eſt corpus unicum, craſſum, cartilaginibus, thyroideæ nempe ac cricoideæ, quoad maximam partem adjacens, lateraliter incurvatum, pro ratione incurvaturæ thyroideæ cartilaginis, a qua nomen accepit. Hæc glandula revera non eſt duplex, neque facile in duas dirimi poteſt partes, uti *Dionis*, *Verbeyen* aliique putarunt; quare antea laudatus *Heiſterus* eandem graphice delineandam curavit & deſcripſit in *Ephem. N. C. Cent. VII. & VIII. obſ.* 63. Ablegamus itaque benevolum Lectorem ad hanc deſcriptionem: afferam tantummodo quædam de ejus uſu, circa quem notandum, varias variorum Autorum de eodem proſtare ſententias, quas recenſere noſtrum non eſt; ſufficiat dixiſſe, hanc glandulam ob analogiam, quam habet cum prioribus ſalivalibus, *ab oculatiſſimo Winslovio* harum inſeri numero; differt ſolummodo ratione conſiſtentiæ paulo durioris a reliquis glandulis ſalivalibus. Ductum excretorium hujus glandulæ, qui ejuſdem uſum declararet genuinum, adhuc quærunt Anatomicorum multi, quo autem cum ſucceſſu tempus docebit. *Accuratiſſimus Winslovius* ſequentia de hac ſcribit glandula in Libr. *Expoſition Anatomique de la Structure du Corps Humain* inſcripto, *Tr. de la Tete* §. 589. *& ſeq.* „ Elle paroit de la même eſpece, que les premieres glandes ſalivaires, mais elle eſt plus ferme. On a cru en avoir trouvé le conduit de décharge, mais c'étoit un vaiſſeau ſanguin, qui en avoit impoſé. Il s'y rencontre quelques fois une traînée comme une eſpèce de corde glanduleuſe, qui va devant le cartilage thyroïde & diſparoit devant la baſe de l'os hyoïde. Cette corde part du milieu de la baſe commune des portions laterales de la glande thyroïdienne, & va ſe perdre entre les muſcles ſterno hyoïdiens, derriere la baſe de l'os hyoïde, comme entre la baſe de cet os & la baſe de l'épiglotte. J'ai fait auſſi remarquer dans mes cours particuliers, des petites ouvertures à côté du ligament antérieur de l'épiglotte, par lequel elle eſt attachée à la baſe de la langue. Une de ces ouvertures a paru comme un petit mammelon percé. Je n'ai pu ſuivre la corde glanduleuſe, que juſques-là.

§. XV.

Erit ergo *Secretio ſalivæ* ſeparatio partium magis homogenearum, lympham quandam peculiarem conſtituentium, ex maſſa ſanguinea (§. 2. 3.) ope glandularum ſalivalium facta (§. 6. 7.).

§. XVI.

Hæc lympha (§. 15.) ipſo ſanguine magis homogenea, per ſecretionem collecta, in quoſdam confluit tubulos, mediantibus quibus in locum deſtinatum, nempe in os infunditur, qui actus *Excretio ſalivæ* dicitur (§. 5.).

§. XVII.

Saliva ita ſecreta & excreta (§. 15. 16.) ſubjici poteſt examini; hoc optime fit, ſi eandem excipimus in vas quoddam ex ore hominis ſani, capite antrorſum verſus terram inclinato, effluentem, ſic deprehendere poſſumus, (1.) eam eſſe pellucidam dilutam fere inſtar aquæ, (2.) eandem ope chemiæ vix non in purum phegma reſolvi (3.) interim tamen particulis paucis ſalinis & oleoſis præditam eſſe, (4.) igni admotam non concreſcere, (5.) odoris & ſaporis nullius vel vix ſenſibilis eſſe, (6.) eandem tenaciter ſpumeſcere, ſi conquaſſatur.

§. XVIII.

Concludimus itaque, quod ſit liquor pellucidus, fere inſtar aquæ dilutus (§. 1. 17. n. 1.) conſtans particulis paucis ſalinis, oleoſis, plurimis aquoſis, igne non concreſcens, odoris & ſaporis fere nullius vel vix ſenſibilis, tenaciter ſpumeſcens, ſi conquaſſatur (§. 17. n. 2. 6.)

§. XIX.

Uſus ſalivæ ſunt plures, nempe (1.) humectare vias, per quas cibi progrediuntur, (2.) inſervire loquelæ, & guſtui, (3.) cibos ad chylificationem diſponere &c. Plures uſus vid. apud *Boerhaav. Inſtit. med.* §. 67.

§. XX.

Ex iis, quæ de ſaliva hactenus dicta fuerunt, concludimus, eam eſſe ſanam & naturalem, quando dotibus §. 18. recenſitis prædita eſt, ejuſdemque ſecretio ut & excretio (§. 15. 16.) expedite & abſque moleſtia peragitur: ſin autem contrarium contingit, eam morboſam appellamus, & hic ſtatus *Morbus ſalivalis* vocari poterit.

§. XXI.

Per *Morbum* intelligunt ſtatum præternaturalem partium corporis humani: *Status* vero *partium præternaturalis* eſt earum diſpoſitio tollens facultatem exercendi actiones, orta a mutatione vitiata vel ſolidarum, vel fluidarum partium, vel utrarumque ſimul. Si talis ſtatus alicujus partis vel

qua-

quarumdam partium C. H. alias etiam actiones præter naturam mutat, oritur inde alius ſtatus præternaturalis a priore ratione ortus & originis diverſus, qui *Symptoma* audit: ut vero unius cauſæ plures iique diverſi poſſunt eſſe effectus, ſic idem morbus multifaria producere poteſt ſymptomata.

§. XXII.

Explicandæ nunc mihi eſſent mutationes præternaturales tam ſolidarum quam fluidarum partium: ne vero a ſcopo nimis aberremus, eas ſolum in medium proferemus, quæ ad eum obtinendum faciunt, ubi pauca prælibanda erunt generalia ex phyſiologicis de ſtatu naturali partium tam ſolidarum, quam fluidarum: ſic enim vi oppoſitorum patebit, quot modis mutationes præternaturales earum contingere poſſunt.

§. XXIII.

Ex phyſicis liquet corporibus ineſſe elaſticitatem (i. e. niſum corporum in priſtinum ſtatum ſeſe reſtituendi) quæ pro ratione cohæſionis (*d*) particularum corporis variat, dum nimirum corpora ſolida ex cohæſione majore ac firmiore majorem accipiunt elaſticitatem; hoc vero non æque obtinet in fluidis, quorum quædam, quo leviore gaudent cohæſione, eo majorem habent gradum elaſticitatis. Hæc elaſticitas, cum inſit ſolidis corporis humani viventis partibus, *Tonus* dicitur. Uti vero omne corpus elaſticum tale eſſe dicimus, quando ex mutato ſtatu in priſtinum ſeſe reſtituere valet; ita gradus hujus elaſticitatis ex reſiſtentiæ corporis elaſtici & celeritatis, qua idem ſeſe reſtituit, gradu innoteſcunt. Videmus inde, quo major reſiſtentiæ gradus, eo majorem adeſſe elaſticitatem, & per conſequens majorem cohæſionem in ſolidis nempe corporibus: in fluidis vero leviſſimam ſolummodo adeſſe poſſe cohæſionem. Cum ex legibus motus pateat actioni ſemper æqualem eſſe reactionem, ſequitur inde proportionatum gradum elaſticitatis & per conſequens cohæſionis requiri tam ſolidarum quam fluidarum partium, ut in ſe invicem agere ac reagere poſſint. Conſiſtit ergo tonus in proportionata cohæſione particularum ſolidarum partium corporis humani. Cum etiam elaſticitas fluidis ineſſe deprehendatur partibus, eadem etiam pro ratione cohæſionis particularum ita inter ſe differet, ut fluida quædam ſubtilia leviſſime cohærentia, v. g. ſpirituoſa, aliaque volatilia, elaſticitatem reſpective habeant majorem, ac fluida craſſiora magiſque cohærentia.

(*d*) Cohæſio quid & ſecundum quas fiat leges & fieri debeat vid. *ſupra laud. Hamberg. Elem. Phyſ. Cap.* 3.

§. XXIV.

Solidas partes C. H. conſtare e fibris anatomica probat autopſia; ergo tonus (§. 23.) erit in fibris, qui tamen pro diverſitate cohæſionis earum vel major vel minor erit. Fibræ vero deinde componunt membranulas, hæ canaliculos, ex quorum intertextu oriuntur membranæ, canales & receptacula poſtmodum efformantes, quæ nobis in poſterum ſub communi nomine *Cavitatum* venient. In his cavitatibus feruntur fluida aut conſervantur ad uſus neceſſarios; jam vero cum fluida quædam ex alio fluido magis heterogeneo ſeparentur (§. 3.), non poſſumus non concludere, omnia noſtri corporis fluida in ſe ſpectata eſſe heterogenea, quamvis ad ſenſum ſint homogenea, eaque ex particulis ſolidis conſtare, quæ, liquore tali in quiete conſtituto, ob motum inteſtinum magis lentum facile cohærere potuiſſent, ideo motum quendam fuiſſe neceſſarium, ad cohæſionem hancce, effectus intentioni naturæ contrarios producentem, impediendam; hunc vero motum eſſe progreſſivum, quo fluida agunt in ſolida & hæc in fluida, & per quem fluida promoventur.

§. XXV.

Cum hæ duæ partes, ſolidæ nempe & fluidæ, in ſe invicem agant (§. 24.) oritur exinde motus in corpore noſtro, ex quo ſtatus ille emergit, quem vitam dicunt. Uti autem ex principiis phyſicis palam eſt, quod ad talem motum producendum & conſervandum actio ſemper æqualem requirat reactionem, ita neceſſario ſequitur proportionatam quantitatem & cohæſionem fluidorum eſſe abſolute neceſſariam, ut reactio fibrarum æqualis adſit & ſervetur. Hæc proportionata quantitas fluidi atque cohæſio ita agit in parietes canalium, ut, quo ſubtilius eſt fluidum, eo majorem exerat elaſticitatem (§. 23.) & per conſequens eo fortius quoque agat in parietes canalis, adeoque majorem in ſolidis requirat reſiſtentiam, qua abſente parietes ultra ſolitum extenduntur; cum e contrario, quando fluidum defectu peccat & proportionata cohæſione, reſiſtentia in ſolidis augeatur, & parietes canalis contrahantur. Hinc ſalutari Naturæ conſilio factum, ut ejuſmodi fluida ſubtiliora canaliculos oculis noſtris plane non vel vix conſpicuos percurrant, cum fluida craſſiora magiſque heterogenea in canalibus majoribus & reſpectu corporis maximis ferantur. Interim tamen ſemper habita fuit ratio a ſummo Artifice, ut fluidum magis elaſticum in iis moveatur canalibus, qui proportionate reagere poſſunt.

§. XXVI.

Sequitur ergo vitam & ſtatum naturalem corporis noſtri, quem ſanitatem dicere poſſumus, dependere ab actione proportionata fluidorum in ſolida

ſolida horumque reactione; ad hoc autem obtinendum requiri æquabilitatem motus ſolidorum & fluidorum.

§. XXVII.

Patet itaque cuivis inſpicienti ſtatum præternaturalem, qui naturali opponitur, provenire a dicta æquabilitate (§. 26.) motus ſolidorum & fluidorum læſa vel præter naturam mutata. Has ergo læſiones ut explicemus, mutationes fluidorum ex vitio quantitatis provenientes perluſtrabimus prius, dein trademus ſolidorum mutationem præternaturalem: dictum enim eſt (§. 24. 25.) fluida agere in ſolida; itaque primo videnda erit mutatio vel læſio corporis agentis, quo deinde melius & accuratius mutationem corporis reagentis poſſimus perſpicere.

§. XXVIII.

Quantitatem quamlibet poſſe mutari vel quoad magis vel quoad minus ex mathematicis pateſcit; ergo etiam quantitas fluidorum corporis humani mutari poteſt vel exceſſu vel defectu. Ille oritur ab omni, quod liquores corporis noſtri perficit, & ſimul neceſſarias eorundem ſecretiones & excretiones impedire valet. Hic vero accidit, quando liquida corporis noſtri vel nimis excernuntur, vel alio quovis modo abſumuntur: utrumque ſeſe exerit per gradus, ut quantitates mathematicæ per gradus augentur vel diminuuntur. In priori caſu nempe in quantitate fluidorum excedente augetur plerumque gradus elaſticitatis fluidorum, cui reſiſtendo parietes vaſorum non ſunt pares, extenduntur itaque, minuitur cohæſio eorum, & liquori tranſeunti ſpatium majus conceditur, hinc dilatantur & flacceſcunt. In poſteriori vero caſu augetur elaſticitas parietum vaſorum, quæ ob cohæſionem auctam contrahuntur, criſpantur. Motus ergo fluidorum inde præter naturam mutatur.

§. XXIX.

Motus fluidorum C. H. eſt vel inteſtinus vel progreſſivus (§. 24.) poterit ergo uterque mutari. Hujus fundamentum eſt in partibus corporis noſtri ſolidis, quærenda itaque ejus mutationis ratio in dictis partibus. Illius conſervatio cum ab hoc multum dependeat (§. 24.), partium ſolidarum mutationes præternaturales examinabimus.

§. XXX.

Fibras ſeu ſolidas C. N. partes gaudere gradu proportionato elaſticitatis (§. 23.) dictum fuit, qui tonum efficit: monſtratum vero (§. 28.) eun-

eundem tolli ob quantitatem & cohæſionem fluidorum vel nimiam & fortiorem, vel parciorem & leviorem. Augetur nimirum, quando fibræ contrahuntur, quæ contractio in actum deducitur, quando penuria adeſt fluidi in canalibus (§ 8.): variat autem prouti fibræ majorem vel minorem habent cohæſionem, hinc generatur illa morbi ſpecies, quæ *ſpaſmus* dicitur. Diminuitur vero a nimia fibrarum extenſione eaque conſtante, ſi nempe fluida quantitate excedunt, adeoque fibras ultra gradum proportionatum extendunt, hinc illa morbi ſpecies, quæ *atonia* nominatur. Atoniam plerumque antecedit alius morbus, qui *dolor* audit & oritur ſemper ab extenſione fibrarum majore. Hoſce morbos ſuis gaudere gradibus i. e. vel augeri vel diminui pro ratione vel contractionis vel extenſionis modo majoris modo minoris, quilibet facile videt; hanc vero contractionem & extenſionem augeri vel diminui pro ratione cohæſionis & elaſticitatis ſolidarum & fluidarum partium, liquido conſtat.

§. XXXI.

Mutato ita tono partium ſolidarum (§. 30.), mutatur etiam motus progreſſivus fluidorum: fit enim pro ratione mutationis toni præternatura is modo major modo minor, & fere quaſi nullus. Hoc motu mutato, mutatur etiam motus inteſtinus eorundem: particulæ enim heterogeneæ craſſiores in fluidis obviæ quietem aliqualem ex motu progreſſivo imminuto nanciſcuntur, hinc facile cum ſe invicem cohærere poſſunt: hoc experientia comprobat in omnibus liquoribus heterogeneis in quiete conſtitutis. Adhærebunt ergo particulæ ſpecifice leviores gravioribus, vel ſpecifica gravitate æquali gaudentes inter ſe, hinc inducent fluidis mutationem qualitatis vitiatam. Hæc vero cohæſio erit vel major vel minor, pro ratione mutationis motus progreſſivi fluidorum majoris vel minoris.

§. XXXII.

Mutantur itaque qualitates fluidorum & quidem (1) *cohæſione*: fluida enim proportionata fluxilitate per motum progreſſivum mutatum (§. 31.) amiſſa, vel ob cohæſionem majorem particularum inter ſe ſpiſſeſcunt, vel ob eandem juſto minorem rarefiunt. In priori caſu fluida dicuntur condenſari, tenacitatem, lentorem, fixitatem aſſumere & induere. In poſteriori vero, dum particulæ nimium a ſe invicem ſecedunt, fit earundem expanſio. (2) *Colore*. (3) *Odore*. (4) *Sapore*: quia vero hæ tres ultimæ mutationes vitiatæ qualitatis plerumque a mutata fluidorum cohæſione proveniunt, iiſdem ulterius explicandis non inhærebimus, utpote ad ſcopum noſtrum nihil facientibus.

§. XXXIII.

Digitized by Google

§. XXXIII.

Ex dictis mutationibus vitiatis (§. 28. 30. 31. 32.) oritur vitium vel ſtatus præternaturalis cavitatis (§. 24.) quem *obſtructionem* vocant: eſt autem *obſtructio* mutatio cavitatis præternaturalis tranſmiſſionem fluidorum impediens, orta ab exceſſu molis tranſituræ ſupra capacitatem vaſis tranſmittentis. Augetur autem obſtructio, quando fluida in vaſis obſtructis accumulantur.

§. XXXIV.

Accumulantur fluida pro ratione obturationis canalis, dum nimirum, ſi totus fere canalis obturatur, major adeſt quantitas fluidi, quam ſi ex parte tantum canalis eſt obſtructus. Fluida ergo remoram patiuntur, accedunt nova, parietes canalis dilatantur ab affluxu fluidi a tergo venientis, elevatur inde ſuperficies partis, cui fluidum inhæret; hanc elevationem *tumorem* dicunt, elevationem etiam minorem vel minimam *tuberculum* appellant.

§. XXXV.

Patet ex (§. 33. 34.) fluida acquirere ex obſtructionibus quietem proportionatam gradui obſtructionis, hinc particulæ heterogeneæ craſſiores fluidi facile cohærebunt (§. 31. 32.), ipſique tenacitatem, lentorem, imo fixitatem inducent. Per fixitatem intelligimus cohæſionem adeo fortem particularum inter ſe, ut vi ignis difficillime vel plane non in auras elevari poſſint. Conſtituent ergo corpus quoddam durum, nonniſi vi externa applicita reſolubile, cujus generis eſt corpus iſtud, quod *calculum* (*c*) vocamus.

§. XXXVI.

Perſpeximus itaque ex rationibus, ſive, ut dicunt, à priori poſſibilitatem calculorum ex liquoribus corporis noſtri; videndum nunc porro erit, quid a poſteriori circa generationem calculorum in C. H. nobis innoteſcat: cum vero propria deſtituamur experientia, allegare ſufficiat experimentum *viri & medici noſtri ævi Celeberrimi Boerhaavii* nempe, quod exhibetur in *Diſſert.* Dn. Scherb *de calculo in receptaculo chyli, hydropis cauſa*, quæ prodiit *Lugd. Bat.* 1729. *Sumſit*, inquit auctor. diſſert. §. 18. *Vir Celeberrimus Boerhaavius) urinam recentem, adhuc calidam emiſſam, poſt peractas concoctiones, ex tali familia, ex qua nulla ſigna calculi ex propria pro-*

(*c*) Qui plura eàque ſolidiora legere cupit, adeat *Diſſert.* Dn. *Cregut Baſil.* 1730. habitam *de calculorum in C. H. reperiundorum generatione ex cauſis phyſicis demonſtrata.*

penſione, hanc immiſit in vas vitreum puriſſimum, ubi primo adhibito microſcopio nullum calculi indicium apparuit, non autem defatigatus vir doctiſſ. introſpiciendo, detexit tandem corpuſcula flocculenta quaſi (i. e. quæ non habebant æqualem ſuperficiem, ſed tomentoſam) per omnia diſtributa, quæ erant in perpetuo motu, quot nempe aſcendebant, tot deſcendebant, quæque primo apparebant ſub colore albo. Porro non remoto microſcopio, obſervabantur in lotio hærentia ſtrata ſpirituoſa perexigua, qualia profert ſpir. vini, dum aqua diluitur; ex quibus pinguibus lituris formabatur nubeculæ ſpecies, quæ increſcebat appoſitione particularum, ita ut increſcente hac, motus, alias vehemens debilis & quaſi nullus evaderet, qui, per horam in tali ſtatu manens, penitus evaneſcebat, calculuſque ad latera, in fundo, imo tota ſuperficie formabatur, ac illud, quod antea album erat, jam rufum conſpiciebatur, per tempus autem increſcens plane colorem arenæ rubicundum induebat. Cum autem continua appoſitione particularum nubecula ſui ſuſtinendæ fuiſſet incapax, fundum petiit, calculique ſic dicti formam præ ſe tulit. Hoc inſtituto experimento vir clariſſimus demonſtrare vult, in corpore ſano talia adeſſe elementa, calculo generando & conſtituendo apta, quæ, quietem nacta quacunque occaſione, ubique & in omnibus corporis partibus calculi ſpeciem conſtituere cauſarique poſſunt.

§. XXXVII.

Videmus ergo ex hoc etiam experimento calculum generari ex adhæſione (§. 35.), quod adhuc ex conſtitutione calculorum fractorum interna confirmatur; dum plerique fere vel omnes nucleum in meditullio habent, cui ſucceſſive adhæſerunt lamellatim particulæ ſpecifice leviores, quæ ita per aliquot temporis intervallum magnitudinem corporis calculi inſigniter auxerunt. Experientia etiam docet, quod, ſi corpus quoddam extraneum caſu in cavitatem quandam noſtri corporis v. gr. in cavum veſicæ urinariæ immittitur, eidem particulæ ſalino-terreſtres adhæreant, ſicque calculum quendam forment, cujus nucleus eſt corpus iſtud extraneum in veſicæ cavitatem ſeſe inſinuans, quod obſervationes teſtantur.

§. XXXVIII.

Itaque generationem calculorum in corpore noſtro a priori & a poſteriori probavimus (§. 35. 36.): eos vero tantum non in omnibus C. H. partibus dari obſervationes loquuntur. Sic *de calculo in variis cerebri locis* vid. *Kerckring. ſpicil. anat. obſ.* 35. *in glandula pineali* vid. A. E. L. *Anno* 1688. *Maj. p.* 236. *De glandula pineali lapideſcente* vid. *Diſſert. Celeb.* D. *Sulzmann. An.* 1733. hic habitam. *De calculo in glandula bronchiali* vid. E. N. C. *Vol. I. obſ.* 180. *pag.* 403. *De calculo in pulmonibus.* vid. Blancardi *anat. pract. cent.* 2. *obſ.* 8. It. E. N. C. *Dec.* 1. *ann.* 1. *obſ.* 158.

pag.

pag. 337. *De calculo valvulis cordis adnato.* vid. Horſtii *Ep. lib.* 2. *ſect.* 5. *pag.* 457. *De calculo in cavitate cordis. ibid. pag.* 455. *De calculo in veſicula fellea* Horſtius *Ep. ſect.* 2. *pag.* 455. It. E. N. C. *Vol. I. obſ.* 181. *p.* 404. It. *Diſſert. de Cholelitho* Dn. *Bezold ann.* 1725. hic habitam. *De calculo renum* & *veſicæ* nihil addam. *De calculo in veſicula ſeminali* E. N. C. *Dec. II. ann.* 6. *obſ.* 68. *De calculo in arteriis* Langius *in miſcell. cur.* 12. *De calculo in venis meſaraicis* E. N. C. *Dec. I. ann.* 3. *obſ.* 307. *Calculos* item *glandularum meſaraicarum* & *thyroidearum* frequens experientia confirmat. *De calculo* oppido raro *in receptaculo chyli* , *hydropis cauſa* , vid. *Diſſert.* Dn. *Scherb.* §. 36. allegatam. Et ſic immenſum catalogum obſervationum de calculis in omnibus fere corporis noſtri partibus allegare poſſemus , niſi limites diſſertationis obſtarent : ſi quis autem deſideret plures caſus , evolvat *Celeb. Mich. Alberti Lexicon Reale.*

§. XXXIX.

Præmiſſis generalioribus procedendum nobis jam erit ad ſpecialiora , nempe ad ſalivam ejuſque canales, quorum ſtatus naturalis ex (§. 23. 24. 25.) dijudicari poterit , a quo ad ipſius mutationes præternaturales facile concludi poteſt , ex quibus obſtructio (§. 33.) ejuſque varii gradus ſequuntur. Saliva ex obſtructione acquirit quietem (§. 31.) proportionatam gradui obſtructionis (§. 33.); particulæ ergo ſalivæ ſalino-terreſtres quietem majorem nactæ cum ſe invicem juſto magis cohærent ; quæ cohæſio fit per gradus , donec ſummum attingat gradum , unde enaſcitur corpus quoddam durum nonniſi vi externa applicita diſſolubile (§. 35.), quod *calculus ſalivalis* vel *ſalivæ* vocari poteſt.

§. XL.

Sic plures hac de re proſtant obſervationes , *e. gr. de calculo in ducta ſalivali* vid. *Guil. Cowperi anat. corp. hum. de calculo ſub lingua exciſo* E. N. C. *Dec. II. ann.* 10. *obſ.* 116. *Dec. I. an.* 10. *obſ.* 144. *Dec. III. an.* 5. 6. *app. p.* 91. Conradi Ludovici Waltheri *Theſaurum medico-chirurg. obſ. curioſ. obſ.* 92. qui etiam calculum ibidem Tab. VI. delineari curavit. Similem fere obſervationem exhibuit mihi Vir Nobiliſſ. Ampl. Experientiſſ. D. D. *Salzmann*, Pathol. P. P. O. Patronus, fautor & præceptor meus omni honoris & reverentiæ cultu ad cineres uſque devenerandus , quam mox ſubjungam.

§. XLI.

Eſt nimirum ſequens : civi cuidam hujus urbis ſpectatiſſimo exoriebatur circa medium Maji anni præteriti tumor glandulæ maxillaris (§. 8.) dextræ , fabæ magnitudine , quem chirurgus , cum barbam abraderet , pri-

mus animadvertit. Hic tumor octo dierum ſpatio excrevit in molem priore triplo majorem ; hinc ab attactu duriuſculo moleſtum æger percepit ſenſum. Die ſeptimo Junii chirurgus anxie deſideratus feſtinans acceſſit, &, poſtquam ægrum de doloribus faucium deglutitionem impedientibus conquerentem intellexerat, injectione faucibus facta, tonſillas aliquomodo inflammatas vidit, quo tempore etiam tumorem inſigniter auctum conſpexit, a quo ejus incremento dolor non parum auctus fuit. Quare abſente chirurgo locum dolentem uxori inſpiciendum atque examinandum dedit, quæ, corpus paulo durius tactu percipiens, dentem ex hoc loco novum pullulare marito perſuadere voluit. Verſus veſperam chirurgus ſentiebat tuberculum ſub lingua, ad latus frænuli, quod in principio æquale videbatur tuberculo ranula dicto; hoc tuberculum motui linguæ atque deglutitioni adeo impedimento erat, ut nihil fluidi æque ac ſolidi deglutire valuerit æger. Altero mane poſt dolores æque ſenſibiles, ut antea, eundem affligebant; chirurgus autem tuberculum modo dictum majus & paulo retrorſum verſus radicem linguæ inclinans obſervavit. Suadentibus quibuſdam applicuit æger tumori empl. de melilot. quod effectu haud optato tumorem reddidit majorem: uſus eſt etiam patiens mell. roſat. & ſyr. violar. Sed emplaſtri effectum voto ejus in totum contrarium ſentiens, imploravit denuo chirurgi opem, qui empl. de ran. vig. c ☿rio ſuperimpoſuit tumori; hoc vero etiam nihil neque tumori neque dolori detraxit: e contrario obſervatum fuit tuberculum ſub lingua ita auctum, ut criſtam quandam ſeu lingulam veluti ſuccenturiatam referret, ortum a protuberantia ductuum glandulæ ſublingualis, in quibus a calculo compreſſis ſaliva ſtagnabat atque plures eminentias magis minuſve rotundas & humore limpido turgidas oculo offerebat. Æger de ſalute ſua ſollicitus accerſi juſſit exper. Dn. D. *Heckbeler* practicum hujus urbis feliciſſimum, qui tam interna quam externa ſcopo reſolvendi tumorem præſcripſit, quæ medicamenta optatum non ediderunt, quin potius tuberculum indies majorem in molem auctum, uſque dum poſt aliquot dies rariori exemplo exiit calculus fabæ indicæ minoris magnitudine, qui in orificio ductus ſalivalis Whartoniani (§. 8.) dilatato magnitudine ſeminis milii paulo ante egreſſum viſui ſe offerebat. Nihilominus dolor cum ſebricula eodem gradu continuavit. Dn. D. *Salzmann* poſt etiam in conſilium adhibito, in uſum vocata fuere omnia, quæ tum tumorem reſolverent, tum etiam ſalivæ excretionem promoverent. Factum inde eſt, ut quarto poſt primi excluſionem die ex eodem ductu ſalivali ſecundus calculus priore minor prodierit. His ita peractis dolor imminuebatur, inſignis etiam copia ſalivæ in os effluxit, quæ vero poſt egreſſum primi calculi non adeo largiter profiliit, quam poſt ſecundum ejectum, ubi in tanta excreta eſt copia, ac in ſalivatione ☿riali fieri ſolet. Tumor glandulæ magis magiſque imminutus eſt continuatione medicamentorum excretionem ſalivæ promoventium, tam internorum quam externorum. Tribus ſeptimanis præterlapſis in totum evanuit: ptyaliſmus autem

Digitized by Google

autem per octo ſubſtitit dies poſt excretionem calculorum. Vir hodie adhuc vivit & bona fruitur valetudine.

§ XLII.

Sequitur nunc reſolutio caſus noſtri. Originem tumorum in obſtructionibus potiſſimum eſſe quærendum ex (§. 33. 34.) apparet; obſtructio autem unde pendeat ibidem videri poterit, ubi ſimul dictum obſtructionem poſſe augeri, per conſequens extenſionem fibrarum fieri poſſe majorem, unde dolor (§. 30.) & tumor (§. 34.) auctus, qui dolor adhuc augetur, quando partes nimis extenſæ durius tractantur: fit enim extenſio major. Deglutitio impediebatur ob motum maxillæ præprimis linguæ valde dolorificum, quem perferre æger in deglutitione non valebat: mota enim maxilla inferiori glandulæ etiam quadantenus moventur a muſculis ſeſe contrahentibus & comprimuntur, uti ex phyſiologicis conſtat, unde obſtructarum partium dolor. Tonſillæ erant inflammatæ, quia obſtructis partibus vicinis humores majori in copia eo tendebant, eodem fere modo, quo obſtructis quibuſdam capitis glandulis affluxus humorum ad caput augetur; ab affluxu aucto & conſtrictione ſpaſmodica, quæ haſce partes ob viciniam loci ex conſenſu nervorum & vaſorum ſanguiferorum haud difficulter aggredi potuit, facilis erat inflammatio. Tuberculi ſub lingua fundamentum erat in obſtructione ductus Whartoniani (§. 8.) hancque ita concipimus: Obſtructa erat glandula maxillaris (§. 8.) ex qua obſtructione ſaliva reddita erat ſpiſſa, (quia in omni obſtructione liquores ob quietem lentorem contrahunt) quamobrem ductum illum ſubtilem ſalivalem intravit quidem, orificium autem ejuſdem anguſtius obturavit; ſic factum eſt, ut parietes ductus a ſaliva ſpiſſa adveniente ſucceſſive fuerint dilatati, & particulæ aquoſæ & ſpirituoſæ per porulos canalis exhalarint reſiduis craſſioribus ſalino-terreſtribus, quæ adeo majorem continuo viſciditatem nactæ facile in corpus quoddam durum concreſcere potuerunt (§. 31. 32. 35. 37. 39.), quod etiam ita factum in hiſtoria morbi legimus. Dolor cum febricula idem reſtabat poſt excretionem calculi primi ideo, quia, ut ex ſequentibus innoteſcit, plenaria obſtructio non fuerat ſublata, dum nimirum adhuc tale corpus aderat in eodem ductu, quod quarto die poſt excretum fuit, tunc dolor imminuebatur, febricula ceſſabat; ſaliva vero, quæ per aliquod temporis ſpatium in glandulis accumulata erat, exitum quæſivit. Quod autem eadem poſt excretum primum calculum in tanta copia nec excreta fuerit, nec excerni potuerit, quilibet ſtatim videt, qui probe perpendit, ductum ſalivalem Whartonianum ab altero calculo adhuc fuiſſe obſtructum,

§. XLIII.

Ex dictis (§. 42.) patet, obſtructionem glandulæ maxillaris (§. 8.)

fuiſſe morbum primarium, qui varia produxit ſymptomata, nempe ſaliva nimis ſpiſſa in ductum Whartonianum tranſlata induxit obſtructionem hujus ductus, ex qua deinde calculus progeneratus, uti etiam deglutitionem impeditam, inflammationem tonſillarum (§. 10.) aliaſque moleſtias.

§. XLIV.

Superſunt quædam de methodo medendi juſta & legitima dicenda; antequam autem id ipſum fiat conſiderabimus præter cauſam, quam, uti credimus, ſufficienter demonſtratam, [1.] *hujus affectus differentias ab aliis morbis faucium & oris*, [2.] *ſigna diagnoſtica*, [3.] *prognoſtica*, [4.] *methodum* deinde *medendi aliqualem* ſubjuncturi.

§. XLV.

Differentiam (§. 44. n. 1.) hujus morbi, quod attinet, notandum, eum differre [1.] *ab angina vera* & quidem [α] ratione loci & ſedis doloris atque tumoris, dum nimirum ille in noſtro caſu ſtatim ſub angulo maxillæ inferioris ſentitur, in hac vero in anteriori colli parte: [β] ratione ipſius tumoris, qui in angina non ita durus ac conſpicuus, uti in noſtro caſu erat: [γ] ratione febris, quæ teſte experientia in angina acuta eſſe ſolet, [2.] *ab angina ſpuria*, ut levis inflammatio tonſillarum adeſt cum notabili tumore externo haud conjuncta [3.] *a ranula* ſeu tuberculo ſub lingua elevato, utpote quod haſce partes tantummodo occupat, ideoque nullum habet tumorem externum apparentem. [4.] *ab inflatione* ſeu *tumore rheumatico* in eo diſcrepat, quod hic citius evaneſcat, nec adeo graves inferat moleſtias; [5.] *a tumoribus gingivarum* ſeu ab *epulide* & *parulide*, quorum primus cognoſcitur ex protuberantia carnoſa indolente, ſecundus vero ex tumore inflammatorio, qui plerumque ab odontalgia prægreſſa provenire ſolet.

§. XLVI.

Signa diagnoſtica (§. 44. n. 2.) fere eadem ſunt, quæ de differentiis affectus noſtri ab aliis faucium & oris vitiis (§. 45.) innuimus. Hoc unicum addimus, quod, quia ſymptomatum ſimilium origo ex morbo ſimili in diverſis ſubjectis non ſemper evenire ſolet vi experientiæ, ideo non ſemper medicus ex obſtructione glandularum vel canalium ſalivalium calculum dijudicare poſſit; excepto hoc, ſi rerum teſtimonia adſunt aliquo modo infallibilia, uti ſunt, tumor ductus ſalivalis durus, nec non corpus durum ex orificio ductus prominens, &c.

§. XLVII.

§. XLVII.

Prognoſin (§. 44. n. 3.) hujus mali medicus certam & indubitatam formare non valet, ſi præter ipſum tumorem nullum obſervat ſymptoma: quando vero certa adſunt ſigna calculi præſentis, aliaque ſymptomata non adeo gravia conjuncta ſunt, in magno periculo ægrotum non verſari medicus audacter pronuntiabit: calculus enim facile removeri poterit, præcipue in iis partibus, ubi eidem exitus facile conceditur, quo remoto obſtructio paulo poſt ceſſat. Quo vero major calculus, eo diutius ibi ſubſiſtit adeoque tardius ejicitur, & ſi tantus foret, ut plane exire non poſſet, ac ſymptomata indies invaleſcerent, peſſimum eſſet ſignum. Dolorem exquiſitiſſimum explicare poſſet medicus vel ex mole majore calculi ductum maximopere dilatante, vel ex aſperitate & inæqualitate ipſius calculi. De cætero læta magis prognoſis, quam in calculo renum, qui ibi impactus non facile exſcindi poterit, vel etiam veſicæ, qui in molem majorem auctus non ſine vitæ diſcrimine exſcinditur: lætior etiam in hoc, quod non facile novus ſuccreſcat, uti calculus renum & veſicæ, quin potius æger a recidiva magis immunis vivat. Saliva denique in copia accumulata per ductus proprios excerni facile poterit. Deglutitio impedita, inflammatio tonſillarum, aliæque moleſtiæ (§. 43.) ceſſabunt remoto calculo reſeratiſque glandulis & canalibus ſalivalibus.

§. XLVIII.

In curatione morborum in genere quidem dicitur, morbum primarium ante omnia eſſe tollendum, hinc ſymptomata vel ſponte vel paucis adhibitis remediis ceſſare; ſed in hoc & ſimilibus quibuſdam caſibus ſymptomatum cura primum eſt ſuſcipienda, quo deinde morbus ipſe curari poſſit. Morbus primarius eſt obſtructio glandulæ maxillaris (§. 43.), quæ tolli nequit, priuſquam remotus fuerit calculus. Erunt itaque ſequentia indicantia

(1.) *Calculum ſeu impedimentum canalem obturans eſſe removendum.*
(2.) *Salivam quantitate & qualitate peccantem eſſe emendandam.*
(3.) *Tonum canalium ſalivalium eſſe reſtaurandum.*

§. XLIX.

Indicatur (§. 48. n. 1.) *calculum eſſe removendum*, ejus itaque remotio tentanda per remedia partim e fonte pharmaceutico partim e chirurgico petita. Quod ad priora ſpectat, huc referri merentur medicamenta ſic dicta reſolventia, ſalivam promoventia, obſtructionem reſerantia tam interna quam externa, adeo ut calculus in ductu vel canali ſalivali latitans a ſaliva exitum

Digitized by Google

exitum moliente fortiter prematur & hoc modo ex ductu protrudatur. Hæc medicamenta tunc etiam adhiberi poſſunt, quando calculi generandi vel jam generati nulla adſunt indicia certa: quamvis enim ejus generationem haud impedire valerent, ad excretionem eundem ſaltem diſponent. Si his medicamentis malum cedere recuſaverit, operatione chirurgica curatio erit tentanda, quæ non ſolum ægrum a maximis cruciatibus, ſed & a metu inflammationis gravioris ſubſequentis liberum reddit; poſſet illa ſequentem in modum inſtitui. Æger collocetur ita ut radii luminares incidant in cavitatem oris & in tali ſitu immotus a miniſtris ſervetur; deinde lingua ſurſum tollatur ope inſtrumenti cujuſdam, immittatur quantum fieri poteſt, orificio ductus ſalivalis ſpecillum excavatum, quo duce forfex admoveri poterit, qua mediante inciſio aliqualis ductus tentanda. Hac facta calculus prematur a parte poſtica antrorſum uſque dum in eum deducatur locum, ubi inciſio facta fuerat, ex quo deinde facili negotio eximi poterit. Hanc operationem tuto poſſe inſtitui, periti chirurgi non diſſuadebunt in eo præcipue caſu, ubi nulla vaſa majora & nervi propiores, aut ſi in eo ductus loco hæreat calculus, in quo operatio locum habere poteſt. Interim tamen eandem ideo non appoſuimus, ac ſi nulla alia locum haberet, ſed exercitii gratia illud factum eſſe lubentes fatemur, nec cuiquam invidebimus, ſi pro ratione circumſtantiarum meliorem methodum aptioraque inſtrumenta adhibere & applicare noverit.

§. L.

Salivam emendamus (§. 8. n. 2.) ſi peccat & quidem *quantitate* nimia, evacuatione, quam obtinemus per remedia ſic dicta apophlegmatizantia, ſalivæ excretionem promoventia: quando etiam plethora hic aliquid contribuere videtur, vena ſecetur & affluxus ſanguinis alioſum derivetur; nimius vero ejus æſtus temperetur remediis nitroſis, quibus jungantur cinnabarina. *Qualitate* vero peccantem ſalivam emendamus & corrigimus cohæſionem ejus nimiam præcavendo, quod faciunt medicamenta incidentia, attenuantia & reſolventia.

§. LI.

Tonum reſtauramus (§. 48. n. 3.) quando cohæſionem priſtinam fibris reddimus, hoc fit per remedia ſic dicta roborantia, confortantia, leniter adſtringentia. Itaque videmus Empl. de melilot. non alium effectum potuiſſe edere, quam quod tumorem reddiderit majorem: eſt enim emolliens, quorum ea eſt natura, ut cohæſionem partium duriorum imminuant; in hoc vero caſu cohæſio fibrarum naturalis jam fuerat ſublata, ideoque obſtructio fuit aucta, ergo cohæſio juſto minor fibrarum non erat magis diminuenda, niſi æger obſtructionem adeoque dolorem, & tumorem exinde provenientem augere voluiſſet.

MARCI

XXXV.

MARCI MAPPI,

DISPUT. INAUGURALIS

DE

GURGULIONIS PROLAPSU.

Argentor. 24 Mart. 1660.

Digitized by Google

THESIS I.

QUod medicinæ parens *Hippocrates l. de ſterilitate* inculcat præceptum, inquiens, conare ut phyſicum medicum te exhibeas, etiamſi à materia ſubjecta, nonnihil ſit determinatum, attamen, ut in omnium, qui omnis generis medicinam exercendi poteſtatem & licentiam vel habent, vel ſibi ſumunt, auribus, iterum iterumque reſonet, tam dignum videtur, quam quod maxime. Hoc ingeminantes, hoc urgentes, hujus cauſas exponentes Excellentiſſimos Artis Proceres ſæpe ſæpius percepi; ejuſdemque nunquam futurus ſum immemor. Omnium minime nunc, cum de morbi quadam ſpecie, prolapſu nimirum Gurgulionis, verba facturus, quam ſit neceſſarium, phyſicum egiſſe medicum, uſque perpendo.

II. Methodum E. in conſiderandis corporis noſtri affectibus ſatis probatam, (eam enim denuo pluribus exponere, cui commendata brevitas, operæ pretium non videtur) ſecutus, ipſa primum, & quæ ad ea pertinent, expono nomina.

III. Gurgulionis nomen, ad exprimendam ex palato in os propendentem particulam (quamvis etiam beſtiolam frumentum depaſcentem, non ſecus ac Græcorum Κίων, teſte Gal. in ling. expl. notet) à Latinis ad imitationem ſoni, quem gargarizantes edunt, videtur eſſe formatum.

IV. Hujus, apud eoſdem, ſynonyma ſunt: columna columella, vocabula, partem carnoſam inter narium pinnas prominentem, labiiſque vicinam anatomicis alias æque notantia. Uva, uvula vulgo: minus recte; per rationem quam Gal. mox ſubminiſtrabit.

V. Græcorum vocabulum Γαργαρεὼν eundem Gargarizantium, cui columella inſervit, ſonum, videtur imitari; nec aliud docent, quorum, in indagandis nominum originibus, propria verſatur induſtria.

VI. Antiquiores Græci vocabula Γαργαρεὼν & Κίων promiſcue uſurpabant, ad eandem notandam particulam. Poſteriores vero inquit *Gal. l. 6. med. loc. c. 3.* Medici fere omnes, non ita, ſed κιονίδα appellant. Idem Galenus, qui hanc particulam ςαφυλὴν uvam (ςαφύλη enim perpendiculum eſt, ſeu fabrilis libella) appellant, recte damnat, ut qui partis & affectus nomina temere confundant. Malumus E. cum *Ariſtotele*, *atque Ruffo Epheſio*, gurgulionem vocare Σταφυλοφόρον uviferum; quia affectui, qui dicitur uva, eſt obnoxius.

VII. Germani, apto ſatis vocabulo vocant, *das zäpfflein*.

VIII. Ipſe, quem conſideraturi ſumus, affectus, à Latinis promiſcue vocatur, columellæ procidentia, caſus, uvulæ prolapſus, gurgulionis laxatio, pendula columella.

IX. Græcis in genere Γαργαρεῶνος χάλασις, Κιονὶς κεχαλασμένη,

 di-

dicitur. In ſpecie autem, à varia quam pars affecta refert, figura, nunc κίων & κιονὶς columna, columella, nunc σαφυλὴ, σαφυλὶς uva, uvula, nunc ἱμὰς, ἱμάντωσις, lorum, nunc Κράσπεδον, quaſi κρεμάμενον εἰς τὸ πέδον ſuſpenſum, (unde fimbriam, limbum & radicem montis notat) vocatur; meminit & Aretæus ſpeciei alicujus, in qua uvula bicornis redditur; cui nomen peculiare ſit nullum: de ſingulis infra dicetur.

X. Populares noſtri, hunc affectum ſic notant, *Wann einem das zäpfflein in den halſʒ fällt.*

XI. Quidditatem hujus affectus definitione repræſentamus. *Definitur* autem, tumor præter naturam gurgulionis, ab humore, pituitoſo vel ſeroſo, à cerebro influente, ortus, linguæ & faucibus titillatione & onere moleſtus.

XII. Tumorem pro genere agnoſcit, quia eſt aucta magnitudo; proinde vere dictus eſt morbus.

XIII. Sunt, qui hunc affectum, quartam catarrhi ſpeciem numerant, & ſicut, quando ad aſperam arteriam & pulmones rheuma fit, cum *Hipp. aph. 23. ſ. 3.* βράγχον, ſi ad nares, coryzam, ſi ad pectus, generali nomine, catarrhum, ita, ſi ad columellam, σαφυλὴν καὶ κιώνας vocant: ſed & effectum cum cauſa fruſtra confundunt, & cauſam pro genere impertinenter agnoſcunt, nec uſus vocabulorum leges, ſatis obſervant.

XIV. Differentiam à parte affecta, cauſa, modo generationis & effectis, deſumimus.

XV. Pars affecta eſt gurgulio; qui eſt proceſſus rotunde oblongus, in acutum obtuſe definens, conſtans ex ſubſtantia laxa, ſpongioſa, rubeſcente, ex palato, juxta narium meatus, inter tonſillas ſeu παρίσθμια, ſupra laryngis rimulam dependens.

XVI. Eſt hæc corporis particula eum in finem à natura formata, ut (conſenſu fere omnium) aëris per rimulam ingreſſuri, tum impetus, tum frigiditatis (loquor cum *Gal. l. 9. de uſ. part. c. ij*) violentiam frangat. Evincit hoc duplex experientia. I. quia nonnulli, quibus gurgulio ad baſin erat abſciſſus, frigidiorem ſenſerunt inſpirationem. II. non pauci etiam, inſpirato frigido aëre, refrigeratis pulmonibus & thorace, hinc iiſdem ad motum factis tardioribus, ſanguine craſſiore reddito, hinc ex valido ad motum conatu, ruptis venulis, facti phthiſici, perierunt.

XVII. Secundus ejus uſus eſt, ex multorum ſententia, ut conferat ad vocem, unde plectrum vocis vocant. Sed, ſi verum, quod viri fide digni, ſcribunt, quod læſa columella, imo ea penitus abſumpta, niſi aliæ ad vocem conferentes partes lædantur, vox integra maneat, ejus inſtrumentum proprium non eſt. Nec obſtat, quod *Galenus* refert, quod qui columellæ jacturam paſſi ſunt, evidenter deterius ſint locuti. Accidit enim

iſtud,

iſtud, quia ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, columella ablata, fluxionibus ad aſperam arteriam via aperitur, hincque vox fit rauca.

XVIII. Unde, tertio, magis proprius ejus uſus eſt, humores ex cerebro deſtillantes excipere, ut ore rejiciantur; pulveres, cineres vel alia ſimilia, ſi una cum aëre per nares attrahantur, & per interna narium foramina ad os ferantur, ibi adhæreant, cum aër ulterius ferri queat. Evidens hic uſus eſt, in iis, qui in locis pulvere obſeſſis luctantes, vel per ea iter facientes, eum emungunt atque exſcreant.

XIX. Quarto denique, eum in uſum comparatus eſt, ut prohibeat, ne potulenta facile ad nares perveniant. Fidem hujus rei facit, infans iſte, *à Ph. Salmutho obſerv. med. cent.* 3. *obſ.* 6. notatus, qui columella & tonſillis deſtitutus, lac quod ſugebat, per nares ſtatim reddebat, nec diu ſuperſtes fuit.

XX. Hujus igitur particulæ magnitudo præter naturam augetur, atque ipſa intumeſcit à cauſis variis. Inflammatur enim ſæpius. Videas quoque ejus fungos ſcirrhoſos. Specialis autem, quem tractamus tumor, ſequentem agnoſcit cauſarum ſeriem.

XXI. Omnes ejus cauſæ vel ſunt proximæ atque immediatæ, vel remotæ atque mediatæ.

XXII. Proxima cauſa eſt, humor à cerebro in ipſam columellam influens, ibique ſubſiſtens. Non tamen idem ejuſdem ſemper eſt conditionis; nunc enim pituitoſus eſt, ſed tenuis, ſeroſior, qui promptius defluit; nunc craſſior, qui plerumque diutius inhæret. Nunc merus atque ſincerus; nunc alium humorem admiſtum habens.

XXII. Remotæ cauſæ vel internæ ſunt vel externæ. Illæ, vel conſpirant in generationem talium humorum in cerebro, vel attrahunt materiam, vel eandem tranſmittunt, vel cumulatam in cerebro expellunt, vel eandem ex cerebro ſubeuntem alliciunt. Externæ vel generant eandem materiam, vel jam genitam, ad fluxum incitant.

XXIV. Cauſas internas humorem iſtum pituitoſum generantes quod attinet, cerebrum per ſe, tametſi tum propter amplam copioſamque ſuam medullam, tum propter ſuam temperaturam, tum propter ſitum ſuum, multa colligat pituitoſa, accuſari hic non poteſt; quia ſufficientibus inſtructum eſt organis, ad deponenda, quæ in homine ſano colliguntur excrementa. Ubi vero ejus naturalis temperies frigida & humida, in præternaturalem frigidam & humidam degenerat, vel debile alias à variis cauſis eſt redditum, eam materiæ excrementitiæ copiam colligit, quæ per conſueta loca commode vacuari nequit. Cerebro enim intemperanter affecto, vel alias debilitato, facultas concoctrix, multa non ſatis rite elaborat, quæ facultate etiam expultrice languente in officio, cumulantur.

XXV. Quod humores & vapores in cerebro attrahit, unde copioſa ſuperfluitas relinquitur, eſt calida ejus intemperies. Ea enim non ſecus ac

ac cucurbitula ex ſubjectis ſibi trahit partibus. Nec dolor hic excludendus.

XXVI. Quæ cerebro materiam excrementum copioſum futuram ſubminiſtrant, partes ſunt variæ. Ventriculus, inteſtina, lien, meſenterium, uterus.

XXVII. Cauſa interna, humorem collectum exturbans, eſt facultas expultrix irritata, quæ languida dum is colligebatur, eum non ſentiebat, tandem vero vel mole vel qualitate ad officium ſuum provocatur. Subeuntem vero ex cerebro humorem alliciens cauſa eſt, columellæ tum calor præternaturalis, tum ejuſdem dolor; horum enim eſt attrahere.

XXVIII. Hæc cauſarum internarum eſt ſeries. Cauſæ externæ ad generationem humoris iſtius excrementitii concurrentes, ſunt aër frigidus & humidus, auſtrinus, pluvioſus, nebuloſus, inhabitatio locorum ſubterraneorum, mora ſub radiis lunaribus, alimenta frigida & humida, crapula, ingluvies, vinum generoſum, aromata, vita otioſa & ſedentaria. Quædam etiam cauſæ copioſiorem quaſi ad caput movent materiam, ut exercitatio mox a cibo inſtituta, ſomnus meridianus.

XXIX. Externæ cauſæ, quæ materiam jam in cerebro exiſtentem ad motum incitant, ſunt, frigus externum; quod conſtringendo, non ſecus ac manus ſpongiam aqua plenam apprehendens, humores expellit. Calor liquans & fundens: quo pertinet diuturnior ſub ſole mora, balnea humida & ſicca, frictiones, inunctiones calidæ; non immerito huc referas animi pathemata, nimia corporis exercitia.

XXX. Ex enumeratis autem cauſis humoris influentis, quædam uno ſolum modo, quædam pluribus concurrunt modis. v. g. auſter caput implet, quia eſt humidus, idem materiam fundit, quia calidus.

XXXI. Modum generationis quod attinet, influxus à cerebro in definitione facta eſt mentio. Conſtat autem ex jam dictis, humorem influere vel (quod frequentius) tranſmiſſum à cerebro, quod facultate ſua expultrice inſtructum, excrementa à ſe ablegat, vel quaſi attractum, propter calorem vel dolorem columellæ: videtur tamen ſæpius conjungi alter cum altero modus.

XXXII. Quum autem humor tumoris cauſa ad columellam feratur motu locali; ad hunc vero perficiendum requirantur, mobile, movens, terminus à quo, terminus ad quem, viæ per quas, de iſtis vero ex dictis ſatis conſtet, reliquum eſt, ut vias per quas pituita iſta ad gurgulionem deferatur, exponamus.

XXXIII. Sunt autem iſtæ. Ventriculus cerebri tertius, qui priorum eſt concurſus, in parte anteriore ductum habet, per quem materia ſeroſa & pituitoſa in ventriculis collecta, mediante infundibulo, ad glandulam pituitariam deponitur, quæ eundem per oſſis cuneiformis foramina in palatum & os demittit. Pars vero, maxime ſi duo ſuperiores, anterioreſve cerebri

febri ventriculi excrementis ſcateant, per proceſſus mammillares ſtillat in os cribriforme, atque inde porro in nares.

XXXIV. Quod ſi igitur magna humoris purgandi copia collecta, natura eum per has vel illas, vel utraſque evacuat vias, gurgulioni is ipſe communicari poteſt. Etenim qui per palati foramina deſcendit, propter viciniam facile imbibitur. Ejus vero qui in nares ſtillat portio, quid ni huc feratur, cum pulveres per nares attracti ibidem adhæreant?

XXXV. Humore igitur de quo ſermo nobis hactenus fuit, in partem iſtam laxam atque fungoſam quocunque modo delato, tumor oritur, non ſecus ac ſpongia vel panis ſpongioſus, & rarus addito liquore valde intumeſcit.

XXXVI. Effecta ſicco præterimus pede, quia eadêm in ſignis mox occurrunt explicanda.

XXXVII. Differentias hujus affectus quod attinet, earum plurimas de induſtria miſſas facimus, quibus noſtras turgere paginas, operæ pretium non duximus. Ad eam autem, quam cauſarum ſuppeditat varietas, mentis inprimis intendamus aciem: neque tamen pluribus eam expoſuiſſe volumus: quum quotuplicem eam hujus ratione conſtituamus, ex enumerata cauſarum ſerie ultro conſtet. Ad hanc autem præcipue reſpiciendum, quia in curatione rite inſtituenda, multum valet.

XXXVIII. Notabilis deinde in hoc tumoris genere, ratione figuræ, occurrit differentia, cujus reſpectu aliud quoque atque aliud induit nomen.

XXXIX. Etenim particula illa gurgulio dicta, præter naturam intumeſcens; primo ſecundum longitudinem æquali craſſitudine tumet, atque columnam refert, atque hinc *κίων*, *κιονὶς* dicitur. Partis nomen retinet, quia ejus fere figuram ſervat.

XL. Deinde nonnunquam ima parte in rotundum tumorem elata, ſuperius extenuatur gurgulio, ita, ut referat acinum uvæ e pediculo pendentem; atque recte dicitur *σαφυλὴ* uva.

XLI. Tertio cum ab humore deſtillante, ab utraque parte jacentes membranæ veluti ſquamæ latæ propendent, (quæ ſpecies rara) vel (ut *Aretæus* loquitur) veluti veſpertilionum alæ; hæc ſpecies *ἱμὰς* & *ἱμάντωσις*, lorum nuncupatur.

XLII. Quem vero alias affectum Græci *ἱμάντα ἱμάντωσιν* lorum nuncupant, cum nimirum gurgulio vel ex ſuffitu nimium deſiccatus, gracileſcit, & corrigiæ ſimilis relinquitur, vel ob *ἀτροφίαν* attenuatur, huc minime pertinet.

XLIII. Quarto. Si in tenuem & oblongam membranam columella deſinat, veluti limbum in extremo habens, Græci hanc ſpeciem *Κράσπεδον* vocant.

XLIV. Aretæus ſcribit, columellam quandoque perſpicue bicornem reddi, huic tamen proprium nomen eſſe nullum.

XLV. Non

XLV. Non immerito hic quæritur, quæ tantæ varietatis exiſtat cauſa? Arbitror autem gurgulionem nunc hanc, nunc illam recipere figuram, prout humor nunc in hac, nunc alia magis recipitur parte, ibique ſubſiſtit. Hoc autem varie accidit, tum propter partium ex quibus conſtat diverſitatem, tum propter humoris influentis diverſas conditiones.

XLVI. Notatu inſuper dignum videtur in differentiarum doctrina, quod enumerati tumores nunc pituitoſi tumoris naturam retineant, quandoque vero & quidem facile ipſis accedat inflammatio. Edocuit id ipſum *Hippocrates. l.* 2. de morbis, inquiens. Uva gurgulionis affectus eſt; fit autem uva cum ad gurgulionem pituita delata eſt; iſque pendulus & rubicundus evadit, & ſucceſſu temporis ad hunc modum nigreſcit: gurgulio venoſus eſt & craſſus, & ubi inflammationem concepit, incaleſcit, propterque caliditatem ſanguinem à quo nigreſcit ex vena trahit.

XLVII. De hinc, ut ſigna hujus affectus exponamus, ordo requirit: cum autem iſta ſint duplicia diagnoſtica & prognoſtica; illa vel pathognomonica, vel ætiognomonica: atque iſta vel morbi præſentis, vel imminentis; ſingula ſaltem attingenda.

XLVIII. Imminentis igitur hujus affectus indicia, non niſi acceſſiones eorum, quæ præſentem affectum declarant, nobis ſuppetunt.

XLIX. Ipſum autem affectum repræſentant ſigna ſequentia, ex tribus fontibus, nimirum eſſentialiter inhærentibus, cauſis, atque effectis petita.

L. Iſta quod attinet; rite aperto ore, atque lingua depreſſa, ad oculum tumor apparet, varia, ceu dictum, figura.

LI. Cauſa itidem manifeſte ſe prodit, nimirum fluxio, humoris ſeroſi & pituitoſi, quæ vel præceſſit, vel adhuc durat; præceſſerunt, quæ quocunque modo ad fluxionem faciunt: de quibus dictum.

LII. Effecta vero & adjuncta ſunt talia. Cum radici linguæ & faucibus incumbat, titillatione his partibus eſt moleſtus, deglutitionem ciborum lædit, atque efficit, ut laborans perpetuo quaſi bolum vorare fruſtra contendat, reſpirationem offendit, imo interdum ſuffocationis metum infert. Ipſa pars tumens ſolito eſt mollior, nunc magis, nunc minus albicans, prout materia nunc magis eſt pituitoſa, nunc magis ſeroſa.

LIII. Signa cauſæ proximæ, humoris nimirum pituitoſi vel ſeroſi, ex ſapore, colore & motu hiſce humoribus propriis ſumuntur, quibus addas communium ſignorum ſyndromen; verbo antecedentia & conſequentia; de quibus ſingulis, & ſingulis ſingulorum plura nunc verba paginarum anguſtia non capit.

LIV. Ex hiſce patet ſignis, quomodo quem tractamus columellæ affectus, ab inflammatione ejuſdem diſtinguatur, tametſi ejus ſpecies, eadem à Græcis cum noſtro affectu (niſi quod interdum cum additione *Κιονὶς φλεγμαίνουσα, ϛαφυλὴ φλεγμαίνουσα* dicuntur) acceperint nomina.

LV. Con-

LV. Conveniunt equidem ſubjecto; uterque enim tumor columellam obſidet. Figura tumoris, quia uterque frequentiſſime nunc columellam, nunc uvam refert. At vero differunt maxime. I. Cauſa, quæ hic ſanguis, iſthic pituita vel ſerum. II. Modo generationis, hic enim ſanguis ex venis arteriiſque effuſus tumorem parit; iſthic humor per meatus excrementis cerebri deſtinatos influens, partis magnitudinem adauget. III. Adjunctis. In inflammatione a parte tumente faucibus, eadem, & ſæpiuſcule major, quam in noſtro affectu, oritur moleſtia, adeo ut laborantes arbitrentur portiunculam carnis radici linguæ incumbere, quam fruſtra deglutire conantur; idem etiam adeſt deglutitionis, loquelæ, reſpirationis impedimentum. Adeſt vero in eadem dolor & rubor & calor inſignis; quæ iſtic non reperias; ipſa etiam pars non eſt ita mollis, ut iſthic. IV. Curandi ratione; ut noſtri affectus, atque inflammationis curationem percenſenti, erit manifeſtum.

LVI. Prognoſin quod attinet, hæc præter cætera præſagienda.

LVII. Niſi hoc tumoris genere correptus, illico medicam opem admittat, reſpiratio, deglutitio, locutio mirum in modum lædentur. Harum enim actionum organis incumbit, & quo magis increſcit, iiſdem magis magiſque fit mole moleſtus.

LVIII. Si humor & mora in cauſa, ut erodatur columella, ſic affectus vix clare & diſtincte locuturus eſt. Qui enim humor columellam erodit, idem & aſperam arteriam erodendo inæqualem reddere poteſt, quæ futuræ raucitatis cauſa.

LIX. Si vel eroſione, vel neceſſitate ſic jubente, chirurgia, plane auferatur, qui hujus jacturam eſt paſſus, dehinc phthiſi quam maxime eſt obnoxius. Frigidum enim pectori inimicum, ad pectus ſine mora admittitur, & quos à capite deſtillantes columella humores averſura fuiſſet, iſti in pulmones influunt, qui ſubinde acres atque mordaces, futuræ exulcerationis fiunt cauſæ.

LX. Ubi in lue venerea hic fluxus & tumor accidant, magnum eroſionis periculum imminet; utpote cum humor iſthic influens, non carnes modo, ſed & oſſa erodendi vim habeat.

LXI. Quodſi nec moræ adhuc adſint mala, nec iſta venerei veneni malignitas, non niſi bene laborantem ſperare jubeamus. Ipſa enim pars non eſt inter nobiles, eſt ita comparata, ut præſidia prompte admittat, atque ipſorum præſidiorum materia, non eſt longe petenda.

LXII. Quam igitur in prognoſi pollicemur, reſtitutionem curatione moliamur. Ut autem iſta dogmaticæ methodicæ & rationalis nomen mereatur, innitamur indicationibus, tanquam ſolidis & immotis fundamentis, petitis, ab indicante curatorio quod eſt morbus, præſervatorio quod eſt cauſa, atque vitali.

LXIII. Morbus ipſe, nimirum tumor, quoniam ita comparatus eſt, ut cauſa ejus remota ultro evaneſcat, ad eam nos ablegat.

LXIV. Præſervatorium indicans ipſam nimirum cauſam quod attinet. Humor jam illapſus vacuationem, affluens, etiam averſionem poſtulat.

LXV. Virtus ſui conſervationem poſtulat, quod bona ſit diæta, in ſpecie autem tali, qualis pituitoſis alias debetur, hic non denuo recenſenda.

LXVI. Sed ut cauſas rite removeamus, cum durante fluxu, eam quæ influxit portionem fruſtra tractaremus, quid humori affluenti debeatur diſpiciamus.

LXVII. Cum autem humor iſte excrementitius peccet quantitate, atque rerum toto genere præter naturam, naturam induat, præmiſſis, ſi opus, univerſalibus, atque cauſarum ſerie probe penſitata atque excuſſa, hinc diæta conveniente ordinata, vacuationem ſui poſtulat, quæ commodiſſime particularis inſtituitur per errhina, quæ mucum pituitam & aquam per nares evocant. Cujuſmodi præcipue ſunt, ſucci depurati, majoran. anagal. mercurial. betæ. braſſic. cyclamin. aq. beton. ſalv. majoran. roſmar. rutæ lavend. angall. naſturt. Infuſa & decocta eorundem ſimplicium, balſama itidem ex iiſdem parata, & quorundam aromatum. Pulveres item dictorum ſimplicium & quorundam aliorum, ex quibus variæ fiunt formulæ.

LXVIII. Ptarmica propter eum quem efficiunt, motum, ad pendulam columellam minus videntur proficua.

LXIX. Apophlegmatizantia, ut quæ phlegma à cerebro per palati foramina vacuando, ad partem illud affectam adducerent, hic plane damnantur.

LXX. Quatenus autem humor affluens qualitate peccat, h. e. acrimoniam quandam conſequenter erodendi vim habet, contemperationem poſtulat: contemperantia autem commodiſſime medicamentis alium etiam in finem comparatis, miſcentur. Ejuſmodi ſunt mel ſimpl. roſat. ſach. &c.

LXXI. Si plane ſit malignus humor, ad fontem ejus eſt reſpiciendum.

LXXII. Semper autem humor ad columellam affluens peccat motu; ideoque, cum quatuor nobis medendi methodus, ſubminiſtret modos, quibus humorem ad partem aliquam p. N. ruentem avocamus, revulſionem nimirum, derivationem, repulſionem atque interceptionem; eorum hic uſum expendimus.

LXXIII. Revulſionem quod attinet, venæſectione pituitam in capite collectam, atque ad columellam ruentem, venæſectione vix revocaveris. Unde quos in ejuſmodi pituitoſo columellæ tumore venæſectionem adminiſtraſſe invenio, alium ſolum in finem eam inſtituiſſe arbitror, nimirum, quod futura ipſis aliqua ſuſpecta erat inflammatio: hæc enim facile accedit.

LXXIV. Quin fonticulo, veſicatorio, ſinapiſmo revulſio quædam inſtitui poſſet, non dubito; ejuſmodi tamen remedia vix adhibita invenio, nec adhibenda cenſeo, quum mitiora ſufficiant præſidia.

LXXV. Huc autem pertinent topica iſta, quæ vertici capitis impoſita, mul-

multum afferunt commodi. v. g. emplaſtrum ex fermento & pulv. ſuccini alb. maſſula ex nuc. jugl. ſiccatis, addito ſpiritu vini. Pix liquida raſo vertici impoſita.

LXXVI. Purgatio inter revellentia locum habere poteſt, quamvis ea totius magis ratione inſtituatur. Debet autem iſta non quibuſvis promiſcue abſolvi, ſed iis, quæ humorem pituitoſum & ſeroſum vacuandi vim peculiarem habent, ut ſunt ſemina carthami. agaricus turpeth. hermodact. rad. mechoc. galapp. colocynth. euphorb. opopan. ſagap. ſuccus ireos ebuli & ſambuci ſemen, cortex & ſuccus. Elaterium, ſoldanell. grana ricini, interior cortex frangulæ, baccæ rhamni ſolutivi, eſulæ, tithymali. gratiola, ſpecies mezerei, gutta gamandræ, & quæ ab his virtutem ſuam accipiunt, compoſita officinalia, atque alia.

LXXVI. In horum uſu illud hic notandum, ne eligantur, quæ ſimul vomitum cient, utpote quæ parti afflictæ adderent afflictionem.

LXXVII. Derivationem fruſtra tentaveris.

LXXVIII. Interceptionem videntur moliri, qui valide adſtringentia, ſiccantia, v. g. gallas tuſas cum aceto, ſuccum acaciarum cum aceto, raſo vertici imponunt. Sed ſi intemperies cerebri adſit frigida, vix illud tuto fieri poteſt. In deſtillationibus tenuibus, cerebro præter naturam excalefacto, medicamenta ejuſmodi non damnantur.

LXXIX. Commodiſſima autem atque ideo uſitatiſſima noſtro in affectu, humoris impetum compeſcendi ratio videtur, repulſio; qua humor affluens qs. non admittitur, & is qui recentiſſime influxit qs. exprimitur. Materia hujus præſidii ſunt, ſtricte ſic dicta adſtringentia (neque enim iſta ſic appellata condenſantia, quæ tenues duntaxat & exiles meatus ſua frigiditate claudere poſſunt, hic propter partis laxitatem ſufficiunt,) quæ enumerare hujus proprie videtur loci.

LXXX. Sunt autem ex ſimplicibus vegetabilibus inprimis. Radix biſtort. torment. conſol. maj. rhabarb. toſt. cort. myrob. thur. malicor. glandium calices lign. ſantal. herb. plant. centinod. burs. paſtor. hippur. piloſella: præcipue ob ſignaturam commendata, & ab effectu, quem in hoc affectu edit dicta uvularia Germanis *Zapffenkraut*. Flores balauſt. roſ. rubr. ſpongia ſambuci fructus nuc. cupreſſ. gallæ mora, præcipue immatura, ribes, berberes, ſorba, corna, meſpila, cydonia ſemina plantag. acetoſ. portul. ſumach. gummi maſtich. ſang. drag. myrrh. ſucci acaciæ, hypociſtidis, ſuccus cydon. agreſt. vinum auſterum.

Ex animalibus maxime uſurpamus, cornu cervi uſtum atque ebur.

Simplicia mineralia. lapis hæmat. terra ſig. bolus armen. alumen, ferrum, chalybs.

Marina, corallia, ſuccinum, margarit.

Officinalia compoſita. Aquæ enumerat. ſol. ſyrup. cydon. roſ. ſiccar. myrtin. granat. acid. plantag. rib. berb. conſerv. roſ. vitriol. acetoſæ acetoſel-

toſellæ. acetoſitatis citri trochiſci de ſpodio, de charabe. acet. roſ. de rub. idæo. ſpiritus vitriol. &c.

LXXXI. Si igitur humor in columellam influat, ex aq. ſtillat. & ſuccis enumerat. additis etiam ſyrupis parentur gargariſmata.

LXXXII. Folia, radices, cortices, ligna, flores, fructus decoquantur in vino rubro, ſtyptico vel aqua chalybeata in eundem finem.

LXXXIII. Suffitus ex thur. maſtich. myrrh. ſtorac. fiant, atque per infundibulum ore excipiantur.

LXXXIV. Pulveres adſtringentes lingua depreſſa, ſpatula vel parvo cochleari columellæ admoveantur, cætera vel ſingulatim, vel miſſa ore ſumantur.

LXXXV. Sunt, qui ut pulveres rectius columellæ applicent, peculiaria parant cochlearia, imo & folles, quæ ad bene operari omnino facere concedendum.

LXXXVI. Quum autem humori affluenti enumeratis obviam qs. ivimus remediis, hinc qui jam influxit humor atque inhæret, operam noſtram ad ſe trahit.

LXXXVII. Cum autem is peccet loco, atque ſublationem ſui poſtulet, nec tamen ſenſibiliter ſub forma humoris evocari poſſit, inſenſibiliter ſeu per *ἄδηλον διαπνοὴν* auferre eum molimur.

LXXXVIII. Hinc utiliter in progreſſu, commune practicorum decretum ſecuti, medicamenta ex adſtringentibus & diſcutientibus ſeu reſolventibus miſta, adhibemus. Hinc gargariſm. ſuperioribus addimus ſal ammon. &c. aſſumuntur etiam aq. beton. roſmar. orig. decoctorum materiæ adduntur roſm. hyſſ. orig. puleg. praſium calaminth. pulveribus adduntur tria piperis genera galang. zingib. cinnam.

LXXXIX. Enumeratorum ſic remediorum ope, humorum affluxu ceſſante, & humore qui influxerat attenuato, diſſipato atque diſcuſſo, parte etiam per adſtringentium uſum quadantenus roborata, ipſa ad ſtatum naturalem redit.

XC. Vulgo creditur initio ſtatim ſolo piperis longi, vel etiam zingiberis contactu, columellam prolapſam ſanari; quod nos durante adhuc fluxu fieri poſſe, negamus, ceſſante autem fluxu, ſatius ſemper eſſe cenſemus aliquid adſtringentium addere.

XCI. Quando autem propter moram, procraſtinationem, curamque neglectam, columella nimium tumefacta, ut ſuffocationis immineat periculum, vel propter humoris malignitatem jam ſit corrupta; quod cognoſcitur, ſi ipſa ſit albida, mollis, ſenſu carens, e medio, ne partes ſinceræ inficiantur, tollenda eſt: id quod chirurgia perficitur.

XCII. Quamvis autem chirurgos varios gurgulionem tollendi modos excogitaſſe, uſurpaſſe, deſcripſiſſe inveniamus, præ cæteris tamen probanda videtur *Hieronymi Fabricii ab Aquapendente* chirurgia, quam ideo huc adſcribere operæ pretium eſſe duximus.

XCIII. Ita

Digitized by Google

XCIII. Ita autem ille. Chirurgiam Celſus molitur ita, ut volſella uva apprehenſa, ſub ea quicquid volumus, excidamus. Ego autem in praxi difficile admodum eſſe expertus ſum, in anguſtiſſimo & profundiſſimo oris loco & obſcuro, volſella unam apprehendere una manu, altera vero excidere, præſertim cum linguæ quoque depreſſio à tertia manu requiratur. Ideoque omiſſa volſella & depreſſa lingua, forficula ſtatim uvam præcidi, & à præciſione facta, exiguum ferramentum in cochlearis formam ad uvæ chirurgiam factum bene calefactum, nequaquam ignitum, admovi, quo calor nativus uvæ fere extinctus roboretur, & reviviſcat, ut vita partis evaneſcens à calore roborata revocetur. Ignitum autem cochleare admovere veritus ſum, ne caruncula tenuis & pendula ſub igniti ferri contactu, magis quam par eſt abſumatur. Nam ea nimium decurtata, refrigeratos eſſe pulmones & difficilem obortam reſpirationem & aſthma experti ſumus.

XCIV. Si quis tamen forficulæ loco, inſtrumento à *Guilhelmo Fabricio Hildano*, invento, quo ſe uvulam abſque omni difficultate atque periculo abſcindere, ſcribit, uti maluerit. (*Centur.* 2. *obſ. chirurg. obſ.* 21. quod ibi depictum reperias,) tutius adhuc eum operaturum arbitror.

XCV. Probe autem notandum, quod ſi cancroſa quædam accedat corruptio, multo adhuc minus columellam ferro aggredi debeamus, quam ſi ei adjungatur ſimplex inflammatio.

Tantum de Gurgulionis Prolapſu.

COROLLARIORUM

Loco ſequentes ex Doctrina Pythagorica ventilandas proponimus theſes.

Thesis I.

Pythagoras Samius, *tametſi rariſſima ejus in medicorum libris extet memoria, antiqua tamen ejus philoſophiæ fragmenta diligenter ſcrutanti, multa occurrunt argumentorum momenta, quæ eum non minorem fuiſſe medicum declarant, quam qui meliori uſi fortuna, monumentum ſibi, ſcriptis ſuis, ære perennius exſtruxerunt.* Pythagoram *autem ut in aliis, ita & in medicina ſecuti ſunt, ab ipſo ſic dicti pythagorei.*

II.

Optimam Pythagoras *ſtudioſorum monſtravit Diætam, quando ipſe parcus futurus temporis diſpenſator, edacitati atque bibacitati valedixit, & tenuibus ac digeſtu diſtributuque per totum corpus facilibus cibis, uſus eſt, hinc brevitatem*

 ſomni,

ſomni, vigiliarum tolerantiam, animique puritatem, ad hæc ſanitatem corporis certiſſimam maximeque ſtabilem, ſibi comparavit.

III.

Egregiam nobis in praxi regulam reliquit Pythagoras, *quando exprobranti, quod nimium ab ipſo irrideretur, ſalſe reſpondit, ſplenicis acria & amara proſunt, dulcia nocent.*

IV.

Acetum ſcilliticum hodieque officinis noſtris uſitatum, Pythagoræ *eſt inventum.*

V.

Merito Pythagoræ *fidem habeas, ſcribenti, quicunque aceto ſcillitico rite utatur, eum longæ vitæ fore (unde teſte* Gal. *omnes imperatores eo uſi ſunt,) & ejus extrema integra uſque ad finem permanſura, 1. quia ipſe* Pythagoras *annum natus quinquageſimum, hoc deinceps uſus medicamento, vitam ad annum centeſimum decimum ſeptimum, vel ſaltem ad octogeſimum, vel nonageſimum, ſecundum quoſdam produxit, & nulla unquam adverſa valetudine tentatus fuit. 2. quia* Galenus *ſcribit, ſe hujus fidei periculum feciſſe, ac firmam conſtantemque ejus facultatem teſtari.*

VI.

Quare atriplex à Pythagora accuſatum, tanquam faceret hydropicos, morboſque regios & pallorem, ratio forſan peti poteſt ex Hippocr. l. 2. de victus ratione, *ubi ſcribit, atriplex humida eſt, neque tamen alvum dejicit.*

VII.

Ut, quod leguminis genus Pythagoras *per fabas, à quibus homines propter multas tum ſacras, tum naturales & ad animum pertinentes rationes abſtraxiſſe, traditur; à quibus etiam bruta abſtinere voluit, & quas, ut conculcarent Pythagorici ne metu quidem mortis compelli potuerunt, intellexerit, determinare nemo hactenus potuit, ita hujus, & omnino veterum fabas, aliud & diverſum à noſtris genus fuiſſe, probare poſſumus.*

VIII.

Recte idem ebrietatem ſeorſim perniciem vocavit, ac omne nimium reprobavit, dicens, non debere quempiam, neque laborum, neque ciborum tranſgredi modum.

IX.

Recte autumnum inſalubrem anni partem vocare eſt ſolitus.

X. *Sani-*

X.

Sanitatem idem recte harmoniam vocavit.

XI.

Salubriter etiam monuit; multa iſtius generis eſſe in vita humana, in quibus ſera tardaque ſit eruditio: ejus generis eſſe uſum rei venereæ. Præcocem venerem eſſe noxiam.

XII.

Quando Pythagoras, *rogatus, quando concumbendum eſſet? Reſpondit, quando te ipſo infirmior fieri cupis: item, quando edixit, omni tempore venerem eſſe gravem, & ad ſanitatem minime idoneam, à nimio veneris uſu homines deterrere voluiſſe, cenſendus magis eſt, quam negare, eſſe nonnullas moderatæ veneris utilitates.*

III.

Docendo homines, ſe ex præſtantiorum ſeminum commixtione natum eſſe, quam ut mortalitati eſſet obnoxius, ut ut hic vel ambitionis, vel ſuperſtitionis accuſari poſſit; recte tamen & maſculinum, & femininum ſemen agnoviſſe videtur; quod negare auſus eſt Ariſtoteles.

XIV.

Quando idem Pythagoras *muſicam, ſi quis decenter ea utatur, ad ſanitatem plurimum conferre, judicaſſe dicitur; non tam ſanitatem corporis, quam morum correctionem intelligendam eſſe, hiſtoria docet. Si tamen & de iſta, ita pronuntiaſſet, minime eum erraſſe, vel ex curatione tarantatorum liquet.*

FINIS.

GEDEONIS

XXXVI.

GEDEONIS DE RABOURS

ET

CAROLI AUGUSTI VANDERMONDE,

THESIS IN EA VERBA

An in ulcere Tonſillarum gangrænoſo, Antiſeptica?

Paris 1749. Menſ. Novem.

I.

NAſci, pati, mori, hæ ſunt vitæ tempeſtates. Quot morbi, delictis noſtris coævi, terris incubuerunt, vigore, & ortu, diſſimiles! Alii enim ferociter ſæviunt: alii mitius vagantur. Multi apparuerunt ab incunabulis Medicinæ; nonnullis vero, temporis lapſus dedit originem. Talis eſt affectus Tonſillarum gangrænoſus, qui apud nos nuperrime graſſatus eſt. De quo, *Hippocrates*, (*a*) & poſt illum *Aretæus* legendi ſunt. Longo poſt *Aretæum* tempore, *Aetius* fuſe diſſeruit, de cruſtoſis, & peſtilentibus, Tonſillarum ulceribus: hæc autem, cum hocce affectu conſentire omnino videntur. Ab eo, veteres, Latini, aut Arabes, de tetra hac lue profunde ſiluerunt; ſive, quod tamdiu latuerit, ſive quod Medici tunc temporis, in futilibus ſcholæ argutiis, toti fuerint; cum in obſervandis morbis, potuiſſent utilius exerceri. At morbus, qui trium tantum, ex antiquioribus Medicinæ principibus, obſervationes non fefellerat, plurıbus neotericis, ſe rurſus obtulit: ut *Mercato*, *Sgambalo*, *Alaymo*, *Corteſio*, *Aetio-Cleto*, *Severino*, & aliis bene multis. Collectis eorum ſcriptis, conſtare videtur, anno 1610. Hiſpanos, hac peſte, quam *Garotillo* vocant, fuiſſe infectos, hinc Melitenſes, Siculos, incolas Apuliæ, Calabriæ, Campaniæ, celeri contagione fuiſſe contaminatos: unde in Neapolim migravit, & per viginti annos, tyrannidem exercuit. Interdum, præſtantiſſimi in arte Medica viri, in Hiſpania *Gomes de Laparra*, in Sicilia *Alaymus*, in Italia *Cletus Signinus*, in Germania *Wedelius*, & *Bartholinus*, in Gallia, *Renatus Moreau*, morbi ferocitate perculſi, quidquid viderant, diligenter obſervavere. Sed morbus vix cognitus, ut Proteus effugit, non ſine incremento noſtræ felicitatis. Silente morbo, ſiluerunt Authores. *Wierus* enim, *Foreſtus*, *Ramazzini* hunc morbum ſe vidiſſe, inconſulte crediderunt. Utinam error, apud Authores diutius

(*a*) Vander-Linden. T. II. p. 74. lib. II. Morb. Textu 48.

tius remanſiſſet ! At ſopitus brevi revixit, & Angliam afflixit, ab anno 1739. adhuc & affligit. Poſt tot fata, tot gyros, & editas ſtrages, ad nos, malis avibus, devecta fuit, hæc lues non devicta, non debilatata, tantis nationibus peragratis, ſed antiquæ memor ferocitatis: promiſcue cadunt infantes, ablactati, aut lactantes, nec parcit adultis. Undique evocat putredinem, unicum tot malorum, inſtrumentum. Ea autem accerſita continuum ſanguinis fluxum ſiſtit, fugaces fluidorum volutiones cohibet, ea ipſa ſolidorum nexus diſſolvitur. Unde ad coercendos effrænatæ putredinis impetus, antiſeptica uſurpanda ſunt. Iis enim, novum additur calcar ſanguini, torpentes humorum motus exſuſcitantur, pulſus fit fortior, ſalium acre corrigitur, uno verbo antiſepticis curatur omne vitium putrefactionis.

I I.

Minoris profecto eſſet periculi hic morbus, ſi aperta acie, & certis ſe proderet caracteribus. At quanta in ſymptomatibus diverſitas ! Hic ægrotantes (*b*), nulla, vel leviſſima febre vexaniur, Hic pulſus (*c*), citiſſime agitatur. In iis lingua, internaque oris vehementer inflammantur, facies rubeſcit (*d*), oculi lacrymis irrorantur. In iis, vultus pallidus liveſcit, fauceſque (*e*) levi tantum phlogoſi laborant. Mox ex obſtructis naribus (*f*), *ichor* guttatim effluit ; mox vero nihil decidit (*g*), ex narium cavitatibus. His ſignis adeo variatis, Medicus decipitur incautus, leviſſimis ſymptomatibus fretus, graviſſimo morbo laxas dat habenas. Interdum ſerpit malum, huc illuc extenditur, & radices figit inextricabiles. Qui tamen, in diverſas ſemitas abeunt, in hoc unum concordes ſunt, quod ægrotantes exhalent fœtorem teterrimum. Hoc autem ſigno, peculiariter, & quaſi pathognomonice, hic morbus deſignatur, ut morbo inferius deſcripto, patebit. Horrore corripiuntur ægri, mox æſtu interno, & febricula, ut in iis affectibus plerumque accidit. Tument tonſillæ, rubeſcunt, leviter dolent, brevi eſcharis cooperiuntur, quæ putredinem late diſpergunt. Creſcente febri creſcit morbus. Vires proſternuntur, pulſus dejicitur, ex ore perpetuo afflatur odor fætidus ; cruſta alba craſſeſcit, radices altius agit, & non aufertur, quin altera ſubjecta renaſcatur. Sunt quibus maculæ rubicundæ, nunc paucæ, nunc multæ, modo in una, modo in altera corporis parte apparent, aliquando, in corpore univerſo. Ægros aut ſomnus gravis premit, aut delirium vexat. Facies palleſcit, vox rauca eſt, facilis tamen ſupereſt deglutitio. Odore magis ac magis putrido, aſtantes infeſtantur ; larynx, pharynx erodun-

(*b*) Alaymus. Conf. pro. ulc. p. 31.
(*c*) Fothergill. Deſcrip. du mal. de Gorg. p. 67.
(*d*) It. p. 59.
(*e*) Aretæus, de morb. Acut. & Chron. &c. lib. 1. cap. 9.
(*f*) Diſſ. hiſt. D. D.Chomel pag. 38.
(*g*) Lett. de M. Aſtruc. ad Calc. op. cit. p. 105.

tur, provectamque ad ventriculum, aut ad pulmones eroſionem, mors brevi ſubſequitur. Si morbus remediis ſuperetur, 4°. vel 5°. die, dat ſigna remiſſionis; paululum decreſcit febris, eſchara attenuatur, os minus fœtet, pulſus eſt æquabilior. Emaciantur ægri, vox reſonat in narium cavitatibus, & è naſo, ut aiunt, loquuntur. Membrana exterior laryngis, aut pharyngis, eroſa prius, exfoliatur; & hac ſaluberrima metamorphoſi, faucibus orique interno naturalis ſtatus reſtituitur. Aliquando etiam parotides protuberant, & probant eſſe expulſum ex faucibus virus morbificum.

I I I.

Fruſtra aliquis, hujus monſtri perniciem moliretur, niſi peſſimam illius matrem, putredinem videret, arceret, extingueret. Hæc enim corpora erodit, diſſolvit, eorum connexionem deſtruit, & terribili conſociata fœtori vivum cadaver rapit ad interitum. Si fœtor ille, mortis nuncius, eundo vires non acquireret, inſpiratione, aëri externo confuſus, pulmones contaminaret, & ſolo attactu, liquida, & deglutita omnia inficeret, cæteris humoribus peſtem brevi allatura. At quam rapidi progreſſus! Quot loca citiſſime invadit! Si vires ipſius deficiant, ab aëre, ipſiuſque miaſmatibus petit auxilium. Corruptus aër, putredinem generat, generata putredo, vice ſua aërem corrumpit, & ſic alendo foco huic peſtifero, viribus unitis conſpirant. Quod inſpiratum pulmones reficit, ſanguinem reſtaurat, & per totum corpus virile diffundit robur, illud mortis noſtræ fieri inſtrumentum, dolendum ſane eſt. Sicut enim aër, cum purus eſt, in intimis viſceribus, vitam; ſic cum depravatus eſt, mortem affert inevitabilem. Quo pacto hoc accideret, niſi mediante aëre, partium putrefactarum ſarcinis gravato. Hæ nihil aliud ſunt, quam peſſima miaſmata, aëri permiſta, Chymicorum more loquar, ſalia acria, volatilia, tenuiſſima, ſulphure quodam craſſo inquinata. Morbus autem, ideo ſedet in ore interno, quia natura, quæ totis viribus incumbit ad diſſipanda miaſmata, aëris auxilio in ſanguinem intromiſſa, tonſillas reperit, & humidas & flexiles, proindeque procliviores ad putredinem concipiendam. Nec ſatis eſt, ut peſtis illa locum ſibi ſeligat aptiſſimum, ſeligit etiam, & ſubjectum, ut ſecurius graſſari poſſit. Ideo infantes, qui adultis calidiores ſunt, & humidiores, qui donantur fibris laxis, hoc morbo potiſſimum tentantur. Hujus autem morbi contagioſi cauſam, credimus cum *Hippocrate*, tum in calorem, tum in ventos eſſe rejiciendam. Conſtat autem, his duobus elapſis annis, calorem apud nos fuiſſe maximum: quippe cum ſpiritus vini, aſcenderit, ad 30. gradus Thermometri Reaumuriani. Quo calore plantæ, & animalia vitali motu deſtituta facile putreſcunt. Hæ autem partes putrefactæ, in aëre diffuſæ, ſuppeditantur ab exhalationibus, è terra erumpentibus, putridis ab aquis, à cadaveribus inconditis, a paludibus ſemi-exſiccatis, quæ ſimul unita, aër cloacarum, lanienarum, leguminum, aliorumque in hac urbe putreſcentium, partibus conta-

tami-

taminato, peſtem minitantur. Ad hæc: ſi attendas, ad certos quoſdam ventos auſtrinos, qui elapſo biennio, per plures menſes ſpiravere, videbis hunc morbum, horum flatui maligno, natales ſuos apud nos, debere. Illi enim ut ait, *Hippocrates* (*b*), craſſa fœti ſubſtantia & impura, ſtagnorum halitibus infecti, peſtilentem auram ſecum rapiunt, & depravatum aërem noſtrum, majori labe contaminant. Hinc iis ventis ſtantibus, tot morbi Pariſinos devaſtavere. Hinc certo certius eſt, ab aëre malefico putredinem, & à putredine morbum, generari.

I V.

Tonſillarum dolor; ſæpe minus morbus, quam ægritudo. At ulcus gangrænoſum, malum, quo nullum eſt nocentius. Ille affectus, remediis non raro cedit leviſſimis. Hoc malum ſæpe reſiſtit omnibus. Sæviente morbo, hoc unicum Medico penſum incumbit, ut arcendæ putredini proſpiciat, & laboret, tum firmando vires ægrotantium, cum vires morbi debilitando. Illæ autem in duplici cardine poſitæ, duplici via conſervantur. Tum ſanguinis & humorum, tum ſpirituum animalium motus torpeſcentes, exſuſcitando. Quoties per vaſa ſanguinea humores, ſpiritus per nervos, libere & expedite, circulos ſuos, & influxus abſolvunt; toties ſtat ſanitas. Quoties vero liquidorum motus impeditur, toties vires dejiciuntur. Unde ex ſpontaneis laſſitudinibus, morbos prænuntiari poſſe dixit (*i*) *Hippocrates*. Hanc in morbis putridis, virium jacturam, non inepte metuit (*k*), digniſſimus Boerhaavi diſcipulus, cum cenſeat homines, etiam robuſtiſſimos, nihilo citius frangi, quam putridis effluviis. At qua potiſſimum via ægri reſtaurandi ſunt? An per venæ ſectionem? Res eſſet plena periculis. Virium defectui medentur, ſucci acetoſæ; acetoſellæ, ribeſiorum nigrorum, limoniorum, aurantiorum; acetum, ſal marinum, gemmeum, aluminoſum, & antiſeptica camphorata. Tenuiſſimis ſuis partibus, anguſtiam ſubeunt vaſorum ingentem, nervos extimulant, languentes ſpiritus excitant, hinc novam quaſi vitam inſpirant, hominibus etiam debiliſſimis; hinc poſt evacuationes nimias, admoto naribus aceto, vires collapſæ ſubito reſtaurantur. Influxu nervorum expedito, circularis humorum motus, bene inſtituitur. Diſtributis undequaque ſpiritibus, leni ſtimulo arteriæ incitantur, acida ſanguinem concretum dividunt, diſſolutum incraſſant, & reſtituto humoribus, ſpiritibuſque motu, ægrotantes reficiuntur, eo citius, quod ſimul devicta cedat putredo. Corporis humores, ut motu, ſic quiete putreſcunt. Hinc poſt mortem, liquidorum ſtagnatione, ſicut per vitam, motu eorumdem vividiori, ruimus in putrilaginem. Putreſcentibus humoribus, aquoſæ ſanguinis partes, & ſubtiliores diſſipantur, ſalia acido orbantur, exaltantur, à terra oleoque ſuo ſeparantur: fiunt acria, vo-

(*b*) Apho. 5. & 17. lib. 2. & 1. ep dem.
(*i*) Chart. T. IX. p. 46. Aphor. 5. §. 2.
(*k*) Van-Swieten T. II. §. 334.

lactiia, alcalina; olea pariter tenuiora reddita, terra ſpoliata, ſali illi acti permiſta, acria, volatilia, fætentia evadunt; dum altera pars olei tenaciſſime permiſta terræ, aqua, ſale, & oleo priori deſtitutæ, abit in atram fæcem, & concretione immeabilem. Oppoſiti effectus oriuntur ex uſu antiſepticorum; ſales enim demulcentur, olea temperantur, fibræ quaſi diffluentes corroborantur, diſſoluti humores, non coagulantur, ſed ſuaviter reſolvuntur. Extus gargariſmatibus acido ſalinis, pituita craſſa excernitur, ſalivales glandulæ conſtringuntur, & copioſa ſalivatione liberantur: dum intromiſſæ, bibulis venarum oſculis, partes ſalinæ, moras nectunt fermentationi. Acidis vero potulentis, inteſtina irrorantur, fætor compeſcitur, ſtagnantia liquida moventur; eadem etiam unctuoſa quadam mucilagine, ſalia involvunt, principio inflammabili, olea fætentia temperant, volatilia figunt, incraſſata vero incidunt, meabilia reddunt. Acida dein ad ſanguinem tranſlata, partes oleoſas, phlogiſticas, nimium reſolutas, expanſas, & commotas fixas detinent, ſalino urinoſas, ad indolem ſalſo ammoniacalem reducunt, diureſim, & diaphoreſim excitant, & felici reſolutione materiam expellunt, morbificam. Quantum efficaciæ acida ſibi vindicent, docuit *Sydenhamus*, (*l*) qui in variolis, peſſimis confluentibus potui ordinario, mixta feliciſſime exhibuit, irritis cæteris medicamentis. Quod in variolis *Sydenhamus*, illud *Boerhaavius* (*m*), & *Oſterdyk Schacht* (*n*) in aphtis gangrænoſis experti ſunt. Nec minus penſanda videtur authoritas D. D. *Carthenſer* (*o*), qui putat acidorum adſumtionem, in febtibus putridis, & gangrænoſis eſſe maxime neceſſariam. Huic ſententiæ calculum addit *Hoffmannus* (*p*), cum cenſeat in morbis ab interna putredine ortis, plus auxilii ab acidis, quam ab ullo remedio repertari. Quid plura? *Boerhaavius* ipſe commendando antiſeptica, præcipuam virtutem aceti, eo modo extollit, ut exiſtimet in corruptione mortifera in gangrænoſo reptatu, nullum ſimile medicamentum poſſe reperiri. Itaque ratione, & experientia compertum habemus antiſepticorum uſu, affectui faucium gangrænoſo medelam afferri tutiſſimam.

V

Prodeant qui ſpem in venæ ſectione ponunt unicam, aeutorum promptiſſimum remedium eſſe conclamitent. Ut in morbis inflammatoriis feliciſſime, ſic in gangrænoſis peſſime ſuccedit. In illis exceſſus virium temperandus, in his vero defectus corrigendus. Enim vero pueri, fœminæ, homines etiam texturæ tenuis, & laxæ, hoc affectu frequentius tentantur, diutius ægrotant, curantur difficilius. Robuſtiores contra, anginis inflammatoriis crudelius vexantur, & citiſſime ſuffocantur. A phlebotomia autem, momen-

(*l*) Prax. Med. Experim. p. 299.
(*m*) Prax. Med. Patav. p. 274.
(*n*) Inſt. Med. Pract. Ultraj. ad Ren. in-4°. pag. 132.
(*o*) Rud. Mat Med. T I. p. 1.8
(*p*) Obſerv Phyſico Chym. p. 185.

Digitized by Google

mentum virium multum imminuitur, unde in affectu gangrænoſo parciſſime (*q*) ſecandam eſſe venam omnes confitentur. Hac enim evacuatione vaſa relaxantur, debilius jactantur humores, concreſcunt, vigiliæ, delirium manent, ægri difficilius reſpirant, vis vitæ imminuitur, vis veneni increſcit: (*r*) & periculoſa ſymptomata ruunt in pejus. Quid ergo inquient nonnulli? Si noxia eſt ſanguinis miſſio, utilis erit alvi purgatio. Evacuationes per alvum, aut per venam, non feliciores habuerunt exitus. Quid enim fit catharticis? revulſio, aut evacuatio. Cum autem ex revulſione, partes affectæ, liquido defraudentur; vaſa jam debilia, imminuto fluido, atona fiunt; & citius putreſcunt; ex evacuatione, plus auxilii eſſet reportandum; ſi materies morbifica, ſedem non haberet in faucibus. Quid enim ſpondent cathartica? Sani humoris evacuationem, & propagationem promptiorem contagioſi. Hinc evacuationibus cujuſcumque generis, ægrorum vires collabaſcunt, morbus vero invaleſcit. Illud evidentiſſime patet, plurimorum exemplo, qui poſt dolores ſummos, evacuationes nimias, & ægritudines continuas hoc morbo (*s*) correpti, ſubito præfocabantur. Quid igitur tentandum? Scarificationes; minime; mala malis adderes, eos crudeliter trucidares, quibus mors ipſa forſan miſerata, parceret. Plures enim pueri, ex ferro, ori applicato, quam ex affectione ipſa, mutilati ceciderunt. Quid hac tyrannide operaris? Separatur vivum à mortuo, hiant undique vaſa diſſecta, & hauriunt diffluens undique virus. Unde metus novæ gangrænæ, at periculoſioris. Si vero carnes corruptæ, à ſanis non omnino extirpentur. Cur moribundum millies jugulare? Recrudeſcet enim malum ferocius. Lege authores (*t*), ſic cenſent. Vide qua vehementia, eos qui partes illas fricant, extirpant, reprehenderint vocaverintque hominum carnifices. Confugiamus igitur ad antiputrida. Ratione proponuntur, ſuadentur authoritate, confirmantur experimentis.

Ergo in ulcere Tonſillarum gangrænoſo, Antiſeptica.

(*q*) Heredia de morb. acut. p. 101.
(*r*) Forhergill. p. 98 & 76.
(*s*) Forhergill. p. 79.
(*t*) Alaym. p. 166.
It. Van-Suieten. T. II. p. 793.
It. D D. Chomel in op. cit.

XXXVII.

SIMONIS PAULI HILSCHER,

DE INSIGNI QUODAM RAUCEDINIS REMEDIO,

PROGRAMMA.

Jenæ 19 April. 1747.

MOleſtum ſane malum eſt iſtud vocis vitium, quando eadem non ſatis clara edi poteſt, ſed tantum ſubmiſſa, & aliquando adeo lenis, ut loquentium verba vix intelligi queant, ad minimum non audiri e longinquo.

Dicitur hic affectus Latinis, & quidem Plauto raucedo, Plinio raucitas, item vox rauca, Germanis *Heiſerkeit*, *heiſer ſeyn*, patetque idem mox omnibus per ſe, ut ideo ſignorum recenſione ſuperſedere queamus.

Quando vero noſtrum affectum juxta ſcholarum præcepta penitius paulo conſideramus, intellectu facile eſt, quod pertineat ad ſymptomata actionis læſæ, & quidem imminutæ: etenim actio, quæ vox dicitur, non fit ſecundum naturam, ſeu ita, ſicut in ſtatu naturali fieri debebat, ſed imminuta.

Cum igitur raucitas ſit ſymptoma, omne vero actionis læſæ ſymptoma producatur & foveatur a morbo, merito quæritur, quiſnam ſit morbus, cujus ſymptoma eſt raucitas? Ad hanc quæſtionem recte cum b. ac illuſtri *Wedelio* ex ipſius *Patholog. Medica Dogmatica* reſpondemus, quod ſit morbus conformationis ratione ſuperficiei vitiatæ, nempe aſperitas. Ibi enim p. 73. §. 2. expreſſe: In raucedine eſt aſperitas, lævitate parietum ſeu ſuperficiei vitiata in partibus ſpiritalibus. Quicquid igitur lævitatem iſtam inſignem, qualis in larynge & aſpera arteria in ſtatu naturali admodum elegans occurrit, vitiat, aſperitatem infert, adeoque raucedinem generare ſolet.

Dantur vero variæ res, quæ inæqualitatem arteriæ aſperæ, maxime circa ſuperiora, inferre ſolent. Admodum certe frequentem hujus inæqualitatis cauſam accuſare licet defectum lymphæ iſtius blandæ & leniter mucilagineæ, e glandulis laryngis & aſperæ arteriæ exſudantis. Etenim lympha hac deficiente, quæ fibras dictarum partium leviter humectare & quaſi lævigare debet, fit earundem criſpatura atque aſperitas quoad parietes internos, hinc etiam fit alliſio valde inæqualis aëris tranſeuntis, unde vox rauca enaſcitur.

Illuſtrat

Illuſtrat hoc negotium conſideratio fiſtularum, non ſatis politam ſuperficiem internam habentium, vel quando eædem a micis quibuſdam minimis inhærentibus inæqualitatem ſeu aſperitatem quandam contraxerunt; mox enim tunc ſonum clarum, quem decenter fabrefactæ ac integræ exhibere ſolitæ ſunt, amittunt & hujus loco raucum edunt.

Ex hactenus igitur dictis lubenter fluit, quod, ubi raucedo a ſiccitate & criſpatura glandularum ac fibrarum laryngis & aſperæ dependet, præſertim conveniant infuſa & decocta aquoſa ex una alterave radice & herba vel floribus demulcentibus parata, e. gr. e rad. alth. glyzyrrhiz hb. malv. fl. papav. rhoead. malv. arbor. rapis minoribus exſiccatis, item caricis pinguibus, ſem. aniſ. temperate calida ſedulo de die ſorbillata.

Equidem talia infuſa vel decocta moderate calida in ejuſmodi indolis raucedine ſæpe laudabilem præſtant opem: aſt vapor aquæ, jucunde calidæ, vel ſimplicis, vel memoratorum ſimplicium atomis per coctionem imbutæ, multum anteceſſit virtute, raucitatem delendi, infuſa recenſita. Particulæ enim aquæ in vaporem reſolutæ, majorem penetrandi vim habent ob ſubtilitatem, quam ſibi relictæ. Debet igitur vaſculo, aquam laudatam temperate calidam continenti ita imponi infundibulum metallicum, ut patiens raucus e canali infundibuli ore aperto vaporem commode haurire queat. Atque hæc vaporis admiſſio ad ſufficiens tempus fieri, & aliquoties de die repeti, ac tam diu continuari debet, donec raucedo deſierit. Commode vero ſimul vel linctus mellis, vel olei amygdalorum dulcium recentis & ſine igne expreſſi, cum ſirupo violarum vel papav. rhœad. mixti, in uſum vocatur.

Admodum notabilem & elegantem de uſu ejuſmodi vaporis aquoſi in raucedine, a criſpatura fibrarum orta, obſervationem recenſet in ſua *diſſertatione inaugurali. de præcipuis diverſitatis morborum fundamentis & curatione diverſa*, habita Lugduni Batavorum a. 1712. Experientiſſimus *D. D. Reimannus*, Phyſicus meritiſſimus Eperiis in Hungaria, olim in noſtra academia auditor & inquilinus noſter ſuaviſſimus, his verbis: „ Celeberrimus „ D. (Bernhardus) Albinus, vir defecatiſſimi judicii, non ita pridem il- „ luſtriſſimum quendam Germaniæ principem, a primis ſuæ ætatis annis „ aſthmaticum cum raucedine magna, reſtituit plenarie, ſolo vapore aquæ „ calidæ in dies ore excepto, & linctu mellis, quem magni nominis medi- „ ci fruſtra caſtorinis, nervinis, ſuccinatis, omniſque generis pectorali- „ bus curare tentarunt, utpote non attendentes, ad criſpaturam fibrarum, „ morbum hunc producentem.

Ab eo tempore, quo laudatam obſervationem legimus, aliquoties in raucedine, quam a criſpatura fibrarum & glandularum dictarum partium prognatam judicavimus, vaporem ejuſmodi aquæ, cum uno vel altero vegetabili appropriato decoctæ, commendavimus raucis, tanto cum ſucceſſu, ut idem ſaluturem præſtiterit opem, aliis antea incaſſum adhibitis.

Non ita pridem matrona primaria febri catarrhali, tuſſi vehementiſſi na ſtipa-

ſtipata, laborans corripiebatur nocte raucedine ſumma, ut eam mane ſequente vix intelligere poſſemus: quare ſuſpicantes criſpaturam & aſperitatem circa laryngem hujus affectus cauſam eſſe, mox ordinabamus aquæ, cum furfuribus triticeis & flor. chamomill. decoctæ, vaporem, qui decenter ope infundibuli admiſſus, & pauliſper continuatus, mox omnem delebat raucitatem, & matrona clara voce ſui animi ſenſa iterum pronunciare valebat.

Sed commendantes vaporem aquæ modice calidæ, ceu remedium raucitatis; hoc ipſum nullo modo tanquam univerſale plane & omni raucedini unice ſalubre laudamus, ſed tunc ſolum, quando criſpatura fibrarum, a ſiccitate & defectu lymphæ roridæ orta, eſt in culpa. Nam utique prolixior & adæquata raucedinis cura ſuſcipienda eſt, ſi eadem a cauſa ſcorbutica vel venerea fuerit producta.

FINIS.

XXXVIII.

ABRAHAMUS VATER

ET

FRID. AUG. IM. ZINCKERNAGEL,

DE

DEGLUTITIONIS DIFFICILIS

ET

IMPEDITÆ CAUSIS ABDITIS

Witembergæ 1750 Auguſt.

HISTORIA I.

ANno 1745. *civis hujus urbis ſanus & robuſtus, & in flore ætatis conſtitutus, edendo juſculum carnis bovinæ, cum herbis coctæ, dolorem in œſophagi principio, cum deglutiendi moleſtia conjunctum, ſenſit. Viſitando ferculum, fragmenta & ſpicula oſſium herbis admiſta deprehendit, unde facile concludere potuit, unum vel alterum eorum in gula ſubſtitiſſe. Accerſivit mox chirurgum, qui ad illud propellendum, ſtylum flexilem, ſpongia oleo impregnata inſtructum, per œſophagum ad ventriculum uſque adegit. Crevit nihiloſecius dolor, ſive quia oſſiculum ibidem hærens, detruſum, œſophagum vulneraverit, ſive quod illud ejuſdem ſubſtantiæ infixum, hoc ipſo profundius in eandem penetraverit, de quo nihil conſtat, quia oſſiculum nunquam in conſpectum prodiit. Dolore itaque & deglutiendi difficultate ingraveſcente, conſilium a Domino Præſide in his anguſtiis petiit, qui nullum aliud dare potuit, quam ut oleum & pinguedinem, cum decocto avenaceo mixta, in copia deglutienda eidem ſuaſerit. Ab his tamen nihil auxilii eſt allatum, ut potius dolor atque difficultas deglutiendi ſingulis momentis creſceret, eo uſque, ut caput, artus, totumque corpus in conſenſum traheretur. In capite enim dolorem atrociſſimum, cum intumeſcentia faciei, in dorſo vero inter ſcapulas preſſionem vehementem, cum ſpaſmis & ſtupore brachiorum, percepit. Durarunt hæc ſymptomata ſine intermiſſione cum anxietatibus, vigiliis in dies auctis, nihil ſolatii afferentibus injectionibus decoctorum ex herbis lenientibus & vulnerariis paratorum, melle roſarum cum eſſentia myrrhæ & balſami peruviani mixtis, nec non linctibus, ex oleo amygdalarum dulcium cum ſyrupo violarum ac balſamo peruviano, in vitello ovi ſoluto, ita, ut de vita actum eſſe videretur. Nihilo tamen ſecius injectiones has, nullo vitio in faucibus conſpicuo, & cauſa profundius in œſophago hærente, per ſiphonem roſtro curvo inſtructum injicere, ſpongiam etiam ſtylo flexili alligatam, linctibus balſamicis imbutam, ad locum affectum uſque detrudere juſſit Præſes, ad nodum in illo loco hærentem, & ulteriorem ſtyli intruſionem impedientem, irrigandum; præter ea exterius collo ſacculos & cataplaſmata, ex ſpeciebus emollientibus, applicari curavit. His itaque tandem factum eſt, ut abſceſſus, ibidem generatus, decimo quarto die aperiretur, & inſignis copia materiæ purulentæ evacuaretur, atque ſic æger, hucuſque perpetuis doloribus atque vigiliis miſere excruciatus, adeoque in certiſſimo vitæ diſcrimine conſtitutus, mortis faucibus eriperetur. Subita enim nunc rerum mutatio facta eſt, dolor remiſit, deglutitio ſenſim facilior reddita eſt, atque continuatis antecedentibus, vir cum ſanitate in gratiam rediit, atque ad hunc uſque diem pancratice vivit.*

Similem caſum obſervavit *Benivenius*, & in ſuo *de abditis morborum cauſis*, *cap.* 104. commemoravit, quo hominem ex abſceſſu gulæ pene ju-

 gu-

gulatum, ſed eodem rupto ſervatum ſiſtit; nullius vero cauſæ occaſionalis externæ mentionem facit.

HISTORIA II.

Ante aliquot annos virgo nobilis, inſultu febrili correpta, Magnifici Præſidis petiit auxilium. Febris primis diebus typum intermittentis habuit, quam ob rem, præmiſſis conſuetis digeſtivis, vomitorium blandum ex ipecacuanha, die a paroxyſmo libero, propinavit, quod effectus deſideratus ſecutus eſt. At nunc febris faciem continuæ induere cœpit, ægramque lecto alligavit, propter calorem continuum in dies auctum, ſupervenientibus ſimul anxietatibus præcordiorum, atque deliriis ſubinde recurrentibus, cum notabili virium lapſu. Acceſſit præter ea faucium ſtrangulatio, deglutitionem, reſpirationem & loquelam difficilem reddens, ita ut ægra, ob vocem ſuſpenſam, ab adſtantibus vix percipi potuerit. Haud levem hoc in animo ſuſpicionem malignitatis, ac purpuræ aut aliorum exanthematum imminentium, excitavit, præprimis quia urina naturalis fere coloris apparuit. Hoc rerum ſtatu, cum optimis licet cordialibus & alexipharmacis, per aliquot dies continuatis, nihil effici videretur, nec quicquam exanthematum appareret, ægra cum agnatis de vita actum eſſe judicavit, ac propterea ultimam voluntatem conſignari juſſit. Quandoquidem autem alvus ab aliquot diebus obſtructa fuit, ad deglutitionem difficilem conjunctam removendam, clyſterem blandum injici ſuaſit Præſes. Ab hoc, eductis quibuſdam fecibus, mox levamen aliquod ſenſit ægra, & ſequente nocte, dum alvus denuo excretionem urgeret, in ſella perforata ſedens durum ſcybalum prorumpere, & in vas ſubjectum decidere, percepit. Quo facto inſigniter recreata, ſtatim melius habere cœpit, atque per reliquam noctem tranquille dormivit. Ancilla mane conſulto durum excrementum, juglandis magnitudine, ad interiora luſtranda, baculo ligneo fregit, & in ejus medio detexit fruſtum vitri, articulum digiti æquans, quod cum ſcybalo excrementitio ex parte ambiente ad Præſidem attulit. Omnes cum ipſo in admirationem conjecti, illud cauſam progreſſorum ſymptomatum extitiſſe agnoverunt, quia ægra poſt hac nullum incommodum percepit, ſtatim a morbo libera, confeſtim vires recuperavit. Sciſcitantes ex ea, qua occaſione vitrum ab ipſa deglutitum ſit, reſpondit: ſibi de eo non conſtare, niſi quod ante duos & quod excurrit annos, hauriendo aquam ex vitro, hoc in ore fractum fuerit, unde forſan factum ſit, ut fruſtum hoc cum aqua, inter deglutiendum, ad ventriculum deſcenderit.

HISTORIA III.

Vir honeſtus ab aliquo tempore cardialgia, ſeu dolore in regione ſcrobiculi cordis, tranſverſim erga dorſum ſe expandente, vexatus, cum nauſea & conatibus vomendi, nec non tuſſi cum exſcreatione materiæ pituitoſæ, ac inprimis deglutiendi difficultate conjuncto, auxilium a Magnifico Domino Præſide petiit.

Qui,

Qui, uti affectum ſaburræ cruditatum, in ventriculo & primis viis hærentium, propter errores diætæ commiſſos adſcripſit, præmiſſis digeſtivis, vomitorium ex ipecacuanha propinavit, quod, unum vel alterum vomitum levem & paucas ſedes efficiens, nullum levamen attulit. Quam ob rem efficaciori opus eſſe autumans, poſt aliquod temporis intervallum, alterum ex tartaro emetico, cum radice ari præſcripſit, ſed eodem cum priori, id eſt, nullo emolumento ſecuto. Continuavit quippe dolor eodem in loco fixus, & crevit deglutitio difficilis, adeo ut nihil fere, præter liquida, propter obſtaculum in ipſo orificio ſiniſtro perceptum, idque non niſi magno conatu, in ventriculum detrudere poſſet. Quandoquidem igitur duplici vomitorio nihil effectum fuit, mox ſuſpicatus fuit Præſes, vitium partium ſolidarum, aut polypum in œſophago, vel tumorem durum ſcirrhoſum, aut apoſtema ſubeſſe, ſuamque ſuſpicionem ægro detexit, & morbum monſtri quid alere monuit. Nihilo tamen ſecius eidem curæ continuationem deſideranti, vinum laxativum, & poſthac uſum aquæ amaræ Sedlicenſis commendavit, quæ ſufficiens operatio ſecuta quidem, ſed abſque ullo levamine. Sed quid fit? Dum Magnificus Præſes, itinere ad alium ægrum ſuſcepto, paucis diebus abfuit, inter uſum aquæ dictæ, æger ſubitanea faucium ſtrangulatione, cum ſuffocationis metu, correptus, maſſam digiti longitudine & craſſitie, cum ſanguine multo, vomitu ejecit. Corpus egreſſum, elotum atque cultro diſſectum, ſubſtantiam membranoſam atque carnoſam intus monſtravit. Poſt ejectionem hujus maſſæ, æger per aliquot momenta melius habere ſibi ipſi & circumſtantibus viſus eſt, ſed rediit mox dolor & in dies auctus eſt. Æger culpam in aquam amaram conjiciens, ex conſilio medici in his anguſtiis advocati, ab ulteriori uſu ejuſdem abſtinuit, ſed accedente alvi obſtructione, per aliquot dies continuante, denuo bibere cœpit. Cum interea domum reverſus Præſes ſuſpicionem & prognoſin, de cauſa ſymptomatum huc uſque perpeſſorum, excluſione ſupra memorati concreti confirmari vidit, ægrumque propterea examinavit, an non recordaretur, præceſſiſſe læſionem aliquam, cui hæc adſcribi poſſint; narravit idem, ſe ante duos annos, lapſu per ſcalas, contuſionem gravem in dorſo, eo ipſo in loco, in quo dolor adhuc ſubſiſtat, accepiſſe, ſed quia tum temporis nihil incommodi exinde ſenſerit, illam ſe neglexiſſe. Cum itaque æger remotionem doloris urgeret, deglutitio tamen difficilis applicationem medicamentorum ſufficientium per os impediret, & alvus ſuo officio non ſatisfaceret, conſilium Magnificus Præſes cepit, clyſteribus injectis tentare, an forte abſceſſus, intus e regione ventriculi latens, rumpi poſſet. Ordinavit propterea clyſteres ex ſpeciebus emollientibus, cum terebinthina in vitello ovorum ſoluta, & melle roſarum, quotidie injiciendos, &, quantum poſſibile, diutius retinendos. Quid fit? Poſt unum vel alterum clyſterem injectum, nocte ſubito æger dolore abdominis atrociſſimo percepto, ſurgere volens, omnium ſenſuum uſu privatus, viciſſim in lectum incidit, ac totus frigidus, convulſis ſimul & incurvatis manuum digitis, mortui inſtar proſtratus jacuit, donec ab uxore & miniſtra, frictionibus fortioribus & acclamationibus tandem excitatus, in vitam quaſi revocatus videretur. Nunc ſtimulum ad excretionem alvi

 ſen-

ſentiens, e lecto ſurrexit, & ad ſellam perforatam properavit. In hac dum ſederet, cum laxgo ſanguinis profluvio excluſa fuit, & in vas ſubjectum incidit, maſſa informis & incondita, pugnum magnitudine excedens, quæ examinata, ſubſtantiam mere membranoſam & polypoſam exhibuit. Duravit hæc evacuatio per plures dies, ab applicatis clyſteribus, ſed nihil præterea per alvum redditum eſt. Muſſam hanc, & fruſtula eam componentia, ab ipſa ſubſtantia inteſtini cujuſdam ſeceſſiſſe, ſuaſit non tantum dolor acutiſſimus, cum lipothymia & ſpaſmis epilepticis, excretionem antecedens, ſed etiam larga ſanguinis in excluſione profuſio, ipſaque inſpectio fruſtulorum excretorum, quorum quædam, ob ſanguinem in ſubſtantia eorum hærentem, & maceratione in aqua non eluendum, rubeſcebant, & molas ex utero excluſas referebant; æger quoque poſthac de dolore interno, ac ſi inteſtina vulnerata & excoriata eſſent, conqueſtus eſt. Non obſtante hac copioſa evacuatione, æger nullum levamen ſenſit, manſit dolor fixus, in regione orificii ventriculi ſiniſtri, a ſcrobiculo cordis tranſverſim dorſum verſus pertingens, cum deglutitione moleſtiſſima, ac ſi cuneus, in orificio hærens, tranſitum omnem ad ventriculum intercluderet. Periculum enim fecit, utrum micam panis ſaccharati, vino malvatico imbuti, deglutire poſſet, at fruſtra; adhibito enim omni conatu, eandem per os rejicere coactus eſt. Continuata inde & aucta in dies deglutiendi difficultate, tandem perſuaſionibus Domini Præſidis commotus, permiſit æger, ut chirurgus ſpongiam oleo imbutam, & ſtylo flexili ex pinna balenæ facto alligatam, per fauces & œſophagum ad ventriculum uſque detruderet, ut ſi forte quidpiam in orificio ejus ſiniſtro adeſſet, illud hoc ipſo forte removere, aut abſceſſum ibi latentem rumpere poſſet. Obſtitit maxime obex in orificio hærens, quam ob rem in ventriculum ipſum primum inſtrumentum adigere non potuit. Facto tamen iterum periculo, cum dolore quodam, in ventriculum penetravit; ſed extracto ſtylo, ſpongiæ guttula ſanguinis adhærere obſervata eſt. Quoniam tamen ſtatim poſt extractionem ſpongiæ, ſat magnum vitrum cereviſia pleuum, ſine moleſtia exhaurire potuit, ſpes haud levis affulſit, fore ut hac ratione, impedimento remoto, deglutitio facilior redderetur. Sed non diu duravit gaudium. Rediit enim mox ſumma deglutiendi difficultas, ad vitæ uſque finem perdurans. Poſt paucos enim dies, fractis penitus viribus, & accedentibus deliriis interruptis, refrigerationibus extremorum, aliiſque ſymptomatibus, peractis in miſero hoc ſtatu tribus, & quod excurrit, menſibus, æger tandem exſpiravit. In corpore aperto, nulla quidem in œſophago prope orificium ventriculi inſignis excreſcentia aut caruncula; anguſtia tamen, & rugoſitas ab intumeſcentibus membranis interioribus, tranſitum ad ventriculum difficilem reddens, apparuit. Sed eo ipſo in loco ſugillatio notabilis, ſeu macula livido cœrulea viſa eſt, unde haud dubie caruncula prima, vomitu edita, abrupta fuit. De hoc quo minus dubitemus, confirmat eadem conſtitutio in inteſtino ileo, in loco haud procul a jejuno diſtante, ubi pariter contractio atque rugoſitas præternaturalis, & circa eam macula talis cœru-

leo

leo livida obſervata fuit, unde carunculæ plures, cum ſanguine copioſo per alvum evacuatæ, avulſæ haud dubie fuerunt. Præter hæc in alimentorum canali, exceptis aliquot lumbricis, ut & in reliquis abdominis viſceribus, nihil præternaturalis obſervare licuit.

HISTORIA IV.

Juvenis quatuordecim annorum, ante aliquot annos, ſubitaneo terrore adeo perculſus fuit, ut per aliquot momenta temporis aperto ore ne verbum quidem proferre poſſet. Ab iſto tempore ſenſim difficulter reſpirare cæpit, ob ſtrangulationem faucium, cum continuo ad tuſſiendum ſtimulo. Inſpectis faucibus nullus in iis tumor apparuit, neque exterius collum intumuit, ſed a latere pomi Adami in collo, inter tuſſiendum, ex profundis elevabatur tuberculum durum, nucis moſchatæ magnitudine, ut non tantum tactu, ſed etiam viſu, perciperetur. Æger hoc loco inter reſpirandum & degluttiendum, epiſtomium quaſi aperiri, & mox claudi, ſentire ſibi viſus eſt. Duravit hoc malum per duos, & quod excurrit, annos, & hyeme in primis moleſtius fuit, ſenſimque ita crevit, ut eundem tandem, ob reſpirationem difficillimam, atque deglutitionem ſimul impeditam, lecto alligaret. Varia, ad obſtaculum, ibi hærens, amovendum, adhibita fuere remedia, non tantum gargariſmata, quia ob metum ſuffocationis idem injectiones liquorum mediante ſyringa ferre non potuit, ſed etiam linctus cum gummi ammoniaco, & interne expectorantia validiora, tandemque etiam vomitorium, quibus tamen omnibus nihil effici viſum eſt. Æger enim, quia nihil niſi liquida deglutire potuit, & quia elapſis quatuordecim diebus collum exterius in eo latere intumuit, de ſuffocatione imminente parentes ſolliciti eſſe cæperunt. At bono omnine tumorem externum enatum, durumque hoc ipſo nodum latentem ſolutum fuiſſe, eventus docuit. Tumore enim iſto, in collo per reſolventia, poſt quatuor ſeptimanas diſcuſſo, reſpiratio cum deglutitione ſenſim facilior facta eſt, ægerque convaluit, nullo veſtigio tuberculi, in collo antea latentis, relicto.

THESIS

Digitized by Google

THESIS I.

Deglutitio quomodo & quibus organis peragatur.

QUia de deglutitione difficili & impedita, ex cauſis abditis, agere animus eſt, ante omnia diſpiciendum, quomodo & quibus organis deglutitio naturalis peragatur. Conſiſtit vero, ut quilibet in ſe experitur, deglutitionis actus in eo, quando alimenta ſolida, dentibus in ore comminuta, & ſaliva mixta, aut liquida ori infuſa, ſingulari volutatione linguæ, prius ad anteriora palati motæ, deinceps retractione verſus faucium poſteriora, in pharyngis infundibulum urgentur, & ab hoc recepta, conſtrictione ejus ſphincteris, & contractione totius canalis reliqui, ope fibrarum circularium, tunicam ejus muſculoſam componentium, per orificium ventriculi ſiniſtrum, in ipſius cavum detruduntur. In translatione deglutiendorum verſus fauces, uvula ad narium canales, regurgitatione, elevatur, glottidiſque rimula, ad arcendum ingreſſum in aſperam arteriam, depreſſione epiglottidis clauditur. Confert etiam ad detrudenda alimenta occluſio oris, coarctatio cavitatis ejus internæ per applicationem labiorum & genarum ad dentes, & cohibitio ſpiritus. Ex quibus itaque apparet, œſophagum quidem primarium eſſe deglutitionis organon, ad eam tamen abſolvendam concurrere & conſpirare omnes partes, cavitatem oris formantes, nulla earum excepta, quæ actione muſculorum ſuorum varie moveri debent, uti eleganter & concinne expoſuit *Boerhaave in inſtitutionibus medicis*, §. 48. *de deglutitione*, quæ legi merentur.

THESIS II.

Differentia deglutitionis in non natis & natis.

NOtabilis differentia deglutitionis eſt, in fœtibus utero adhuc concluſis, & in animalibus natis, in libero aëre viventibus. Hæc quippe ſine reſpiratione deglutire nequeunt, iſti vero in utero concluſi, ſuccum amnii circumfluentem per os hauriunt, & in ventriculum recipiunt. Fuit hoc primarium dubium, circa nutritionem fetus per os motum, quam tamen controverſiam dirimit experimentum a celeberrimo *Heiſtero* in fetu vaccino, hyemali tempore congelato, bis inſtitutum, ubi liquor amnii fœtum ambiens conglaciatus, cum illo in ore & œſophago atque ipſo ventriculo contento, itidem in glaciem mutato, continuum corpus exhibuit.
Vid.

Digitized by Google

Vid. *Comp. Anat. Not.* 35. *p.* 87. Poſteaquam vero fetus exclufus aëri liberiori exponitur, reſpiratio inchoatur, per omnem vitam durans, ſine qua animal nec vivere, nec deglutire poteſt. Infantes etiam propter obſtructionem narium, & defectum liberæ per eaſdem reſpirationis, lac ſugere & deglutire nequeunt.

THESIS III.

Diverſitas deglutitionis quoad liquida & ſolida.

OBſervatur præterea ſingularis diverſitas in deglutitione læſa, quoad ſolida & liquida, dum modo hæc præ illis, interdum iſta præ his, facilius deglutiri poſſunt. Liquida ſane fluiditate ſua minus reſiſtunt, & impulſui cuivis facilius cedunt. Hinc bibones quidam, qui ſive nativa, ſive diuturno exercitio & ingurgitatione potulentorum, tali gulæ & orificii ventriculi amplitudine contracta, habitum ſibi acquiſiverunt, ut potulenta ori & œſophago infuſa ſine deglutitionis ſenſu, & immoto gutture, in ventriculum, tanquam in vas patens, infundere queant, qualia exempla in *Schurigii Chylologia c.* 5. §. 8. legi poſſunt. Propterea etiam in variis faucium & œſophagi affectibus liquida facilius deglutiuntur, de quo exempla frequentiſſima & ubivis obvia ſunt. Ibidem *loc. cit.* §. 9. Ex *Ephemerid. Germ. Dec. I. Ann. V.* à *Johanne Schmidio* exemplum Senatoris commemoratur, in quo poſt levem apoplexiam curatam, relictum fuit hoc ſymptoma, ut ſolida omnia in ore circumvolutaret, ſed deglutire, imo multo potu diluta, detrudere non poſſet. Addit *Schurigius* aliud ex propria obſervatione, fœminæ, quæ poſt tumorem glanduloſum in colli ſiniſtro latere hærentem, reſolutum, & a dimidii ovi magnitudine ad fabæ vel piſi magnitudinem imminutum & diſparentem, per ſeptem ſeptimanas nil quicquam ſolidi, optime tamen & abſque impedimento potulenta aſſumere valuit. Poſt varia medicamenta uſurpata, tandem per alvum excrevit aliquot corpuſcula oblonga, rotunda, ſeu ovalia, ratione coloris & magnitudinis inſtar cucumerum, muria conditorum, quæ diſciſſa, materia ſebacea fuere repleta. Qua excretione ceſſante, & tumore colli imminuto, poſt paucos dies ægra cibos molliores, probeque dilutos, deglutire cœpit, & convaluit. E contrario interdum fit, ut ægri nulla liquida, ſed tantum ſolida, deglutire queant, ut non tantum in hydrophobia, a morſu animalium rabidorum inducta, ſed etiam in aliis morbis obſervatur. Solida facilius, liquida difficilius, & non niſi cum ſuffocationis imminentia, ad ventriculum remitti, inquit *Bohnius* in *Circ. Anatom. Phyſ. Progymn. IX. p.* 138. *Paradoxon valde, experientiæ nihilominus*

quoque conforme eſt. Variæ hujus rei cauſæ ab auctoribus allegantur, quæ ibidem examinantur.

THESIS IV.

Cauſæ deglutitionis difficilis in ore & faucibus ſubſiſtentes communiter oculis patent.

Vidimus ſupra, ad deglutitionem perficiendam varia conſentire organa, unde neceſſario ſequitur, actionis hujus læſæ & impeditæ cauſas modo in his, modo in illis, hærere. Ubi igitur vitium in ore & faucibus ſubſiſtit, inſpectione facile cognoſcitur. Frequentiſſime hoc malum in infantibus recens natis contingit, quando hi ob brevitatem linguæ, a frenuli nimia adſtrictione, mammam arripere atque lac ſugere nequeunt. Sed notabilis caſus a *Wedelio* in *Miſcell. Nat. curioſ. Dec. II. Ann. V. obſerv.* 5. de infante recenſetur, qui lac ſugere non potuit, ſed cum moleſtia & anxietate per nares mox rejecit. Judicatum eſt, vitium hærere in lingua, at, frenulo forſice diſciſſo, nihil emolumenti allatum eſt. Examinatis autem faucibus, uvula abfuit, qui defectus cum reparari non poſſet, ſuaſu *Wedelii* mater papillam profundius immerſit in os, ut infans linguæ concurſu facilius deglutire poſſet, quod feliciter ceſſit, & puella crevit. Sed in alio infante ibidem commemorato, ſine uvula nato, quinque hebdomadum acceſſerunt convulſiones, idemque fatis ceſſit. Alius infans, referente *Salmuth* in *obſerv. 6. cap.* 3. ſine columella & tonſillis deſſæ natus, itidem diu ſuperſtes non fuit, ſed vigeſimum primum tantum, ætatis diem attigit. Deglutitionem pariter difficilem reddunt elongatio uvulæ, tumores & inflammationes tonſillarum, nec non polypus e naribus poſt uvulam propendens, de quibus tamen cauſis nunc ſolliciti non erimus, quia tantum de deglutitione difficili ex cauſis abditis agere ſuſcepimus.

THESIS V.

Cauſæ abditæ profundius in gula hærentes, inprimis res ab extra illapſæ.

Tales autem ſunt, quæ profundius in gula ejuſque peripheria hærent, utpote quæ non niſi probabiliter atque per conjecturam judicantur. Equidem res extraneas deglutitas, aut quocunque modo in œſopha-

phagum illapſas, ex relatione ægrotorum ipſorum, vel aliorum, interdum cognoſcere licet: ſed ſi tale quid in infantibus, cum ejusmodi rebus ludentibus, contingit, ex circumſtantiis concurrentibus ſubſumi debet. Admodum multa autem & varia ſunt, quæ vel inter edendum cum alimentis aſſumuntur, vel alia ratione, caſu gulam ingrediuntur, quæ omnia hoc loco enarrare non licet. Videri tamen poſſunt in *Schurigii Chylologia cap.* 5. *de deglutitione impedita*, ex autoribus collecta. Quod ſi talia in & cum cibis aſſumta & deglutita in œſophago ſubſiſtunt, & deglutitionem turbant, probabiliter quidem ex varietate alimentorum aſſumtorum concludimus, utrum oſſiculum, vel ſpina piſcium, vel chela cancrorum, aut ſimile quid inter mandendum deglutitum difficilis deglutitionis cauſa ſit, ſed niſi illud per ſuperiora, vel inferiora, rurſus prodeat, nihil certi de eo conſtat. Sic in *Ephem. Germ. Dec. III. Obſerv. V. Gerbezius* affert exemplum deglutitionis ex cauſa ignota impeditæ, in ancilla, quæ à quatuor diebus nihil plane deglutire potuit, illi autem in cauſam mali inquirenti reſpondit, ſe eam plane ſcire non poſſe, ſibi autem hoc in cœna, in primo fagotritici deglumati cochleari aſſumto, accidiſſe. Poſtquam autem Chirurgus advocatus, cum ſtylo æneo, in ſui extremitate ſpongiola alligata & oleo amygdalarum dulcium imprægnata, inſtructo, locum affectum exploravit, & eo uſque in fauces aliquoties adegit, ut locum affectum contigerit, deglutitio libera reddita eſt, ut ulterioribus remediis non opus fuerit. Concludit ergo idem: *Ego tam pertinacis, & in ſextum uſque diem excluſive omnia alia remedia eludentis mali, genuinam cauſam non concipio. Wurſbainius* quidem in ſcholio adjecto judicat, aut ſemen fagotritici triquetrum, aut pelliculam ab eo decidentem, aut leve palearum recrementum, cum fagotritico aſſumtum, ventriculi orificio aut œſophago infixum adhæſiſſe, & ſpaſmodicam contractionem excitando, deglutitionem impediviſſe. Sed quid harum rerum fuerit, ignotum manet, ſicut etiam in Hiſtoria noſtra prima, de oſſiculo probabiliter deglutito, annotavimus. Eccui enim ignotum eſt, non tantum res ad cibum pertinentes, ſed alia longe extraordinaria & aliena, interdum cibis admiſceri, & ſic deglutiri? e. g. acus, fruſtula ligni aut vitrorum, uti in hiſtoria noſtra ſecunda, & ſexcenta alia, quæ, niſi per ſuperiora rurſus ejiciantur, vel per inferiora expellantur, abſcondita manent. Hoc idem etiam eſt, quod in cura ſat difficultatis creat, ſiquidem de harum rerum tam diverſarum, & quoad figuram variantium, ſitu in gula nihil certi conſtat, an iſte ſit rectus, vel tranverſus, & ſi aculeis vel angulis præditæ ſunt, utrum hi ad ſuperiora vel inferiora vergant; unde dubium eſt, an vomitoriis, vel ſternutatione, egreſſus earum per ſuperiora provocandus, vel detruſione verſus inferiora ad ventriculum urgendus.

THESIS VI.

In œſophago vel ventriculi orificio enatæ, vel extrinſecus adjacentes.

SEd præter hactenus enumerata, ab extra illapſa aut deglutita, in ipſo œſophago aut ventriculi orificio ſiniſtro naſcuntur tumores varii, vel in peripheria eorum hærent, & œſophagum vel ventriculum comprimentes, deglutitionem impediunt. Hujus generis ſunt cartilagines, polypi, ſteatomata, aneuriſmata arteriæ aortæ, ipſius œſophagi coalitus, quorum exempla ab autoribus notata *Schurigius l. c.* enumerat. Hæc autem ſunt talia, quæ in tenebris ſepulta manent, & non niſi poſt mortem, apertione cadaverum, cognoſci poſſunt, nullamque propterea curam admittunt; quam ob rem infeliciſſimi ejuſmodi homines, fame & ſiti diuturnis extreme emaciati, poſt perpeſſos innumerabiles cruciatus, lenta tandem morte extinguuntur; uti teſtatur caſus noſter tertius. Exempli loco eſſe poteſt caſus ſingularis & oppido rarus, ab illuſtri Domino Conſiliario Aulico *Trillero* obſervatus, & haud pridem in diſſertatione inaugulari erudítiſſima, *de fame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia*, propoſitus. Plane peculiare tamen & inauditum exemplum commemorat *Williſius Pharmaceutica rationali de Medicamentorum operationibus*, *Cap. III. de vomitione*, his verbis: „ Vir robuſtus Oxonienſis, & quoad cætera ſatis ſanus, à longo tempore vomitu „ crebro laborans, comeſta quæque ſæpius, etſi non ſemper, mox rejicere ſolebat. Tandem victis omnibus remediis morbus in eum ſtatum „ devenit, ut valde eſuriens comederet ille, donec œſophagus ad gulam „ uſque impleretur, dein, nihilo in ventriculum illabente, ingeſta quæque „ cruda regereret; cum pharmacis minime juvantibus, præ fame ſumma „ elangueſceret, & propediem interire periclitaretur, inſtrumentum ei inſtar „ virgulæ, e pinna cetacea, cum ſpongiæ fibula apici ejus affixa, parabam, „ hoc ægrotans, ſtatim à cibo & potu aſſumtis, gutturi unaque œſophago immitens, alimenta ſecus reſtagnatura, in ventriculum, orificio ejus reſerato, detrudebat, atque hujus ope per ſedecim annos pabulum quotidie „ ſumſit: eademque adhuc machina utitur, & etiamnum vivit, valetque, „ ſecus inedia periturus. Procul dubio in hoc caſu os ſtomachi, ſive à tumore, „ ſive à paralyſi ſemper occluſum, nihil, niſi violenter reſeretur, in ventriculum admittit. Congruit cum hac hiſtoria exemplum, à *D. Baſtero* in *act. phyſ. med. Vol. VIII.* relatum, virginis, ob paralyſin œſophagi, deglutitione impedita laborantis, quæ, eodem conſulente, detruſione ciborum bene maſticatorum, ope inſtrumenti ex virga balænatica confecti, in gulam & ſtomachum, per quatuordecim menſes vitam ſuſtentavit, & corpore paulatim ex bono nutrimento vires recuperante, & aliquatenus munere ſuo fungi incipiente, ſine ullo alio remedio, perfecte tandem curata fuit.

THESIS

THESIS VII.

Cauſæ in locis a gula remotioribus hærentes, quarum operandi modus obſcurior.

Hactenus enarratæ cauſæ, deglutitionem impedientes, in & circa gulam hærent, quarum propterea operandi ratio manifeſta eſt. Sed fit non raro, ut tales in locis diſſitis & remotioribus reperiantur, quarum ideo operandi modus obſcurior difficilius indagari poteſt. Sic in caſu noſtro ſecundo manifeſtum eſt, vitri fruſtum, ante tantum temporis intervallum à virgine deglutitum, nec in œſophago, nec in ventriculo, nec in inteſtinis tenuibus, ſubſtitiſſe, ſed ſine dubio in angulo quodam inteſtinorum craſſorum, inprimis coli, ob valvularum conniventium copiam, commodam ſedem inveniſſe; quia per omne illud tempus, uſque ad ultimum morbum ſine omni incommodi ſenſu in corpore latuit; nulloque indicio ſui præſentiam prodidit, uſque dum in morbo iſto, loco motum, irritatione ſua ſpaſmum canalis univerſi alimentorum, propter ſubſtantiam nervoſam, toti canali communem, concitavit. Videmus enim in variis nervoſi generis ſpaſmodicis & convulſivis affectibus, per conſenſum jungi ſpaſmum œſophagi, nempe in ſuffocatione hyſterica, colica convulſiva virorum, ipſa epilepſia, nec non in incubo. Conf. *Hoffmannus* in *Med. rational.. ſyſtem. Tom. IV. Part. III. Sect. II. Cap. V. de Morbis œſophagi ſpaſmodicis*, §. *XXII.* Singularis epiglottidis convulſio, deglutitionem tam ſolidorum quam fluidorum impediens, commemoratur in *Ephem. Germ. Cent III. & IV. Obſ. CXII.* à D. *Behrens.* Huc etiam, eodem judice, referri debent ſpaſmi œſophagi ab animi affectibus, ſpeciatim faſtidio & imaginatione fortiori, inducti. Huic inprimis tribuit laudatus vir deglutitionem impeditam ſingularem, cujus notabilem hiſtoriam, à Medico Lovanienſi, *Sommers*, ſibi relatam, *Lentilius* in *Actis naturæ curioſorum Cent. VII. Obſ. LXI. p.* 125. communicavit, nimirum mulieris, quæ, ut omnia tam eſculenta quam potulenta promtiſſime deglutire ſciret, hoſtiam tamen conſecratam nullo modo poſſet, quin adhibita magna vi faucibus ingeſtam vomitu rejicere cogeratur. Dixit idem, malum jam diu duraſſe, quæſitaque & applicata varia ſine fructu remedia, nec eſſe mulierem aliis morbis obnoxiam, non hyſtericam, non ſpaſmis affligi ſolitam, nil inſoliti circa menſium negotium unquam accidiſſe, eam appetere, hilarem eſſe. Hoc nomine autem ſe pro infeliciſſima reputare, contriſtari, animo angi, metumque eſſe, ne denique malum in melancholiam veram terminetur. Lentilius Sommero, ſententiam ejus de hac re poſtulanti, & nullam ejus rei originem & cauſam occaſionalem ſcienti, reſpondit, veriſimile eſſe, *quod iſta tragœdia ludatur à cauſa morali.* Quod in deglutitione difficili ſpaſmus gulæ, ſive idiopathicus ſive ſympathicus, præſtat, idem etiam ab

 ejuſ-

ejuſdem, vel muſculorum ejuſdem paralyſi & reſolutione pendere poteſt; de quo exemplum *Tulpius Obſ. Med. Lib. I. Cap. XLII.* refert, mulieris quinquagenariæ, in qua poſt vomitum, vertiginem ac ſpaſmum cynicum, muſculi deglutitionis tam pertinaciter reſoluti fuerunt, ut, gula propterea flacceſcente, ne guttulam quidem deinceps potuerit tranſmittere; licet nec dolor, nec tumor, nedum ulla ipſam urgeret anguſtia. „ Hoc reſolutæ gulæ impedimentum, ipſo pergente, ablaturi Medici, intruſere faucibus plumam, „ acribus medicamentis imbutam, ex ſententia Aetii; quod autem ægram in „ præſens mortis periculum conjecit, quæ hoc ipſo deterrita ſalutarem illum „ tubulum Capivaccii admittere noluit, cujus ope licuiſſet fortaſſis per os „ juſculenta ventriculo infundere, eaque ratione vitam, ſi non integre, „ aliquamdiu ſaltem ipſi prolongare. Hoc autem auxilio obſtinate repudiato, „ ſategit Tulpius tamen, qua licuit, vires ipſius tueri, infundendo idem „ illud jus per alvum beneficio clyſteris. Quod remedii genus, ut idem „ aſſerit, quamtumvis plurimi ſit Abenzoari, Oribaſio, imo ipſi Celſo, „ tantum tamen haud profuit huic mulieri, ut propterea, licet infunderetur „ inteſtinis ſatis deterſis, extenderit vitam ultra diem ſeptimum, in quo diem ſuum obiit.

THESIS VIII.

Clyſteres nutrientes in caſu neceſſitatis cum fructu adhibitos fuiſſe, aliquot exempla adducuntur.

DUcit hæc obſervatio Tulpiana ad quæſtionem illam vexatiſſimam, utrum dentur clyſteres nutrientes, quibus, in deglutitione penitus impedita, ad aliquod temporis ſpatium conſervari poſſit vita? Celſum primum aut inter primos fuiſſe, qui clyſterum nutrientium uſum litteris mandavit, inter alia illius loca memorabilia annotavit *Almeloveniu*, teſtantibus id *Actis eruditorum 1724. menſe Julii p.* 287. Locus *Celſi* habetur in *Lib. III. Cap. XIX. de Cardiacis*, ubi dicit: „ Ultimum eſt auxilium, in alvum ptiſanæ vel „ alicæ cremorem ex inferioribus partibus indere, ſiquidem id quoque vires „ tuetur. Abeunt circa hanc rem medici in diverſas ſententias, quorum alii affirmant, aliquem uſum clyſterum nutrientium eſſe, alii negant. Inter illos eſt *Theod. Craanen*, qui in *Tractatu Phyſico medico de Homine Cap. XI. de Clyſteribus p.* 93. præprimis contra illos pugnat, qui lactea vaſa in inteſtinis craſſis negant, & clyſteres nutrientes propterea commendat. Provocat ad experientiam his verbis: „ hominem phrenitide laborantem per X. dies „ fuiſſe ſervatum in vita, idque ſolo uſu clyſteris nutrientis. Danturque „ alia exempla in aliis morbis acutis, ubi homines ſolo uſu clyſteris nutrientis conſervati fuerunt aliquandiu; ſic in angina laborantibus hoc ſæpe

„ obti-

„ obtinuit, ubi ægri ne guttam liquoris quidem aſſumere poſſunt, propter „ gulam occluſam, tunc niſi ſuccurratur ægris clyſteribus nutrientibus, ne- „ ceſſario mori deberent. Progreditur deinceps ad demonſtrationem exiſ- „ tentiæ vaſorum lacteorum, quam his verbis concludit: Libenter „ quidem concedimus, quod multo pauciora lactea reperiantur in craſſis, „ quam tenuibus inteſtinis, quod etiam ipſa ratio docet; in primordio „ generationis, cum inteſtina eſſent adhuc mollia, & eorum integumenta „ ita eſſent, ut rudimenta eorum tantum eſſent jacta, chylus ex ventriculo „ effuſus in inteſtina priora dilabitur, illic oſcula ſibi parat, inteſtina per- „ tundit, & lactea deſcribuntur, ex quo ſequitur, illic plurima reperiri „ oſcula, id eſt plauribus in locis pertundi inteſtina, ubi copioſior exiſtit „ chylus, at chylus copioſior reperitur in prioribus inteſtinis, cum ex ven- „ triculo ſtatim in illis deponitur, ita ut pauca vel ſaltem exigua ejus copia „ progrediatur ad craſſa inteſtina; concludimus, in primordio generationis „ illic reperiri plura lactea, ubi eſt copioſior affluxus chyli, at hoc eſt in „ inteſtinis prioribus, ergo habuit majorem occaſionem chylus perforare „ inteſtina, ad lactea formanda, in prioribus inteſtinis. Valde equidem du- bito fore, ut idem multos conſentientes inveniat, quantum ad theoriam ejus, de vaſorum lacteorum generatione, in prima formatione, attinet. Nihilo tamen ſecius exempla recenſentur ab auctoribus ſingularia, quibus, nutritionem per clyſteres factam eſſe, perhibetur.

THESIS IX.

Exempla ab aliis auctoribus allata.

INter illa notatu digniſſimus eſt caſus, qui in *Actis Phyſico Med. Academiæ naturæ curioſorum Vol. III. obſerv. VI.* inter alios a *D. Valliſnerio* ad Academiæ præſidem *B. Baierum* miſſus recenſetur. Virgo nimirum religioſa, poſt integrum biennium febre lenta laborans, incidit tandem in iſchuriam moleſtiſſimam ſeu totalem urinæ ſuppreſſionem, ob quam per quindecim menſes nauſea & vomitu urinæ genuinæ laboravit, tandem tamen, excluſo e veſica calculo plano, polito, triangulari, & urina hoc ipſo ordinariam viam recuperante, à graviſſimo hoc morbo liberata, convaluit. Durante autem iſchuria cum nauſea & vomitu urinæ, uti refert obſervationis hujus Auctor, neceſſitas efflagitavit, ut ad clyſteres confugeretur; quorum etiam uſu, dicta virgo per 15. menſes vitam produxit. Per omne enim hoc temporis ſpatium iſchuria, cum vomitu urinæ & nauſea, conſtanter durarunt, excepto tantum brevi quodam intervallo, in quo, cum urina per vias urinarias, quamvis parce admodum, excerneretur, confeſtim vomitus ceſſavit, & hinc nonnihil cibi levioris ægra aſſumere potuit; quod tamen per univerſum morbi decurſum, accuratiſſimo computo, quantitatem

tem 20. ovorum non æquavit, ſi forte excipias rarum ſacchari perlati fruſtum, & paucas julepi guttulas quotidie ſumtas. Occaſionem hoc dedit obſervationis hujus Auctori, duo illa phænomena, admirationem in hoc caſu moventia, examinandi: „ primo, quomodo & per quas vias urina „ ad ſtomachum pervenerit; ſecundo, quomodo ova in juſculo conquaſſa- „ ta, & in forma clyſteris adhibita, quum à ſtomacho nequaquam di- „ geſta ſint, virtutem nutriendi, ægrotamque per longum adeo tempus „ vivam conſervandi, exercere potuerint. Mittimus prius argumentum, cum hoc ad noſtrum præſens negotium non pertineat, de poſteriori tantum ſolliciti erimus. Præmiſſo ſuppoſito illo, quod clyſteres ultra colon non penetrent, propter valvulam in principio illius poſitam, iſti tamen in ægrota, per omne temporis ſpatium, deficiente alia materia, nutrimentum ſuppeditarint, neceſſario credendum eſſe, inquit, eoſdem in inteſtino colo ſuam ſuſtinuiſſe digeſtionem, adeoque hoc inteſtinum non eſſe ſimplicem cloacam, ſed ſimul inſtrumentum, ad digeſtionem alimenti idoneum, & hoc nomine ventriculi ſuccedaneum, contendit. Ad hujus aſſerti probationem facere dicit, quod religioſa ſubinde excrementa dura reddiderit, colore ovis applicatis ſimilia; unde haud obſcure colligit, ova cum juſculo ſoluta & infuſa, prius digeſta fuiſſe in colo, & pro meliori ſaltem parte ad vaſa chylifera tranſiiſſe, magis vero craſſam materiam in inteſtino remanſiſſe, & in excrementa globulorum forma coiiſſe. Quod vero facultatem hanc digerendi inteſtinum colon habeat, probat ex analogia ejus cum tenuibus inteſtinis, ipſoque ventriculo, quod tunicas, vaſa & glandulas, ut ita ſuo loco, perinde ac ſtomachus, cum reliquis inteſtinis digerere valeat. Provocat ad teſtimonium *Bohnii*, qui *in Cap de Chylif.* monuit: „ nolit ſibi quis perſuadere, ſolum ventriculum huic „ muneri vacare, prout à pleriſque hactenus factum, ſed chylificationem „ in ventriculo inchoatam, in inteſtinis continuari & abſolvi; quatenus, „ ratione non minus ſubſtantiæ ſolidæ ſeu tunicarum, quam fluidæ ſeu „ lymphæ affluentis, hæc ventriculus revera continuatus exiſtunt. Pergit deinceps ad inteſtinum colon, quod licet in ordine quidem ultimum, adeoque magis ad recipienda excrementa, quam ad digerendum, eſſe deſtinatum videatur. Non tamen ideo ab illo officio excludi debere, monet, & adducit propterea *Gliſſonium*, qui *Capite XI. de inteſtinis*, redarguit Aquapendentem, addens hæc verba: „ Quod vero nec in homine ſola „ excrementa contineantur in craſſis, elucelcit ex eo, quod venæ lacteæ „ ad hæc quoque inteſtina ſatis numeroſæ diſpergantur, indeque ſuccum „ lacteum eliciant; *& in alio loco*, lacteæ inteſtini coli venæ nec infre- „ quenter nec obſcure reperiuntur, & quidem lacteo ſucco opulento refertæ „ cernuntur, unde conſtat, non ſolis excrementis damnari, ſed & craſ- „ ſioris chyli attractioni inſervire. Concludit demum Auctor obſervationis, exemplo hujus virginis religioſæ diſſolvi quæſtionem, a medicis tam frequenter agitatam, utrum clyſteres nutriant.

THESIS X.

Exiſtentia vaſorum lacteorum in craſſis, a recentioribus Anatomicis admiſſa.

QUod vero attinet ad vaſa lactea in inteſtinis craſſis, ea non tantum illuſtris *Heiſterus* in *compendio anatomico n.* 213. *p.* 84. admittit, eaque in equo obſervata, cum *Ephemeridibus naturæ curioſorum* communicavit, vid. *cent.* 5. *p.* 234. ſed etiam du *Vernoi* in *Commentariis Academiæ ſcientiarum Petropolitanæ Tom. I.* cujus recenſio habetur in *actis eruditorum* 1719 *Menſe Octobri*, obſervavit inteſtina cum craſſa, tum tenuia, iſtiuſmodi vaſis gaudere, eorumque numerum verſus finem inteſtinorum continuo decreſcere. Nec diſſentit ab his *Morgagnus*, qui in *Adverſariis Anatomicis III. Animadverſione XVII. p.* 31. lactea ex craſſis inteſtinis oriri, non eſſe negandum docet, quia ad eorum exiſtentiam probandam faciant obſervationes clyſmatum, vel nunquam redditorum, vel longo tempore nutrientium, quo in genere maxime admiranda ſit illa hiſtoria, quam Ramazzinus ipſi narravit, atque illo hortante, conſtitutionibus ſuis epidemicis adjecit. Reperitur hæc hiſtoria in dictis *conſtitutionibus epidemicis p.* 173. ubi teſtatur *Ramazzinus*, virginem nobilem paralyſi œſophagi affectam fuiſſe, quam ob rem uſque ad 66 dies nihil eſculenti aut potulenti deſcendere potuerit in ſtomachum, quæ tamen per ſolum clyſterem, ex jure cum duobus vitellis ovi, ſingulo die meridianis horis inditum, vixit. Inde concludit: „ aſſerere itaque oportet, clyſterum nutrientium uſum non eſſe, ut quidam „ putant, improbandum, hocce experimento, rei veritatem atteſtante, „ credere itaque neceſſe eſt, venarum lactearum ramos diſpergi per inteſti- „ num rectum, & ab iis ſuccum alibilem in ſumma neceſſitate abſorberi.

THESIS XI.

Concluſio.

EX hactenus expoſitis exemplis deglutitionis impeditæ clarum eſſe judicamus, quanto cum vitæ periculo ea ſit conjuncta, inprimis ubi a cauſis latentibus & profundius hærentibus dependet, quæ ſæpiſſime non niſi poſt mortem cognoſci, multoque minus curari, poſſunt; & quam parum propterea ad ejus curam valeat medicina. Nihilo tamen ſecius in caſu ancipiti nihil negligendum eſt a medico, ſed omnia tentanda ſunt remedia, quibus cauſas iſtas removere, aut ſymptomata mitigare, vel ſaltem vitam ad aliquod

tempus ſervare, poſſit. Eam itaque ob cauſam alienum non eſſe a medico rationali judicamus, in ſummo neceſſitatis caſu ſuadere applicationem clyſterum nutrientium, quia exempla ſupra allata, & experientia auctorum fide digniſſimorum confirmata, de eorundem utilitate teſtantur. Docent etiam caſus a nobis propoſiti, inprimis 1, 2 & 4, ægrotos, ob deglutitionem inhibitam, in præſentiſſimo vitæ diſcrimine conſtitutos, indefeſſa remediorum applicatione non raro in vita ſervatos eſſe.

FINIS.

ALEXAN-

XXXIX.

ALEXANDRI BRUCE,

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

HYDROPHOBIA.

Edimburg 10 Junii 1755.

Digitized by Google

MEdicinam adfectanti, varia mihi obverſabantur argumenta, quibus ſolenni academiæ inſtituto obſequerer. Quum vero medicorum ſit non leviora tantum mala amovere, & gravioribus ſuccurrere mederique, ſed etiam deploratiſſima quæque debellanda aggredi, omnique opera caſus humanos lenire; *Hydrophobiam*, malum mortalibus maxime horrendum, potiſſimum ſelegi, de cujus medela, quæ tenuitati noſtræ liceat, diſſeram, quæque ſi minus ſatisfaciant, me conſoler, quod magnis tamen excidam auſis.

Ὑδροφοβία, *aquæ metus*, vel ab aliis ὑγροφοβία, uti monuit Aurelianus (*a*), quia non ſolum *aquæ*, ſed *cujuſvis liquoris* metus, a cane rabido morſos infeſtat. Δυσκατάποσιν tamen, *deglutiendi difficultatem*, nominari maluit Meadius (*b*).

Latinis plerumque dicitur *rabies canina*: quoniam vero ab aliis animalibus præter *canem* oritur morbus, & ejus fere ſolum eſt ſignum pathognomonicum *hydrophobia*, hocce vocabulo potiore utimur.

Ab aliis animalibus, maxima ex parte, genus humanum vitiatur: obſervata tamen quædam docuerunt eundem in *homine* morbum ſponte productum fuiſſe.

Sic quidem narratur (*c*) de juvene viginti novem annorum, temperamenti bilioſi, qui ſumma excandeſcens ira, proprium digitum momordit, unde intra viginti quatuor horas *hydrophobus* factus eſt; & quidem adeo, ut ad ſolam aquæ mentionem ſtrangulari videretur.

Salius Diverſus (*d*) in muliere triginta ſex annorum, febre peſtilenti detenta primo, dein hoc morbo expugnato, dyſenterica reddita, atque denuo curata, manente tamen quadam febricula, vidit *hydrophobiam* naſci, & eatenus quidem, ut alios coram ſe bibentes ſuſtinere non poſſet: mens tamen ſemper conſtabat, & octavo die mortua eſt. „ Ægra autem & „ mater ejus ſancte aſſeverabant, quod nunquam, nec à *cane rabido*, nec „ à ſano, tacta fuiſſet, cum nec domi unquam *canem* educaſſet, nec ex- „ ternis unquam communicaſſet ".

Caſum notabilem memorat Van Swieten (*e*), quem, uti ait, auditoribus ſuis Boerhaavius recitare ſolebat, „ vidiſſe ſe lictorem, qui carnificem aliunde accerſere debuerat, ut publica de ſceleſto homine ſumeretur pœna, incidiſſe in febrim ardentiſſimam, omnemque potum oblatum „ ſummo cum horrore repudiaviſſe, & tertio die periiſſe. Miſer ille calidiſ-

„ ſima

(*a*) Acutor. morb. l. 3. c. 9. p. 218.
(*b*) Eſſay on poiſons, p. 146.
(*c*) Epiſtol. Joh. Bapt. Scaramucci ad Ant. Magliab. in miſcel. curioſ. dec. 3. a. 9. & 10. append. p. 249.
(*d*) De febre peſtilenti, c. 19. p. 362.
(*e*) Comment. in Boerhaav. aphor. tom. 3. p. 537.

„ ſima tempeſtate multum corpus moverat, deinde per quatuor horas nu-
„ dato capite, ſolis radiis expoſito, in ſcapha ſederat, totoque hoc die,
„ ſolo fere ſpiritu vini uſus fuerat. ”

Johannes Innes, haud ita pridem clarus in hac academia medicinæ pro-feſſor (*f*), refert, *hydrophobiam*, ventriculi inflammationi cum convul-ſionibus ſupervenientem, larga & repetita ſanguinis miſſione, ſanatam fuiſſe.

Aliam Wauchius (*g*), a tumore in œſophago natam; quo rupto, puris copia & odore ancilla fere ſuffocata eſt.

Meadius (*h*) obſervat, ſe vidiſſe horrendum hocce ſymptoma in acme morbi *hyſterici* violenti, per plures horas, donec gutturis motus convulſi-vi medicaminibus idoneis ſedati eſſent. Quod ſane & ipſe vidi in juvene *hypochondriaco*.

Melancholiam communem in *hydrophobiam* fataliter terminatam, nota-runt Galenus (*i*), Aëtius (*k*), & Celſus (*l*).

Plura hiſce de rebus apud autores inveniuntur.

De *antiquitate* hujus morbi multa afferuntur.

Aurelianus locum Homeri (*m*) citat, ubi Teucer nuncupat Hectorem κυνα λυσσητῆρα. Alia tamen loca magis ſunt appoſita. Sic vafer Ulyſſes introducitur compellans Achillem heroëm (qui medicinam ſtudiis interpo-ſuerat) his verbis (*n*).

—Ἕκτωρ δὲ μέγα σθένεϊ βλεμεαίνων,
Μαίνεται ἐκπάγλως, πίσυνος Διὶ, οὐδέ τι τίει
Ἀνέρας, οὐδὲ θεούς· κρατερὴ δὲ ἑ λύσσα δέδυκεν.

Iterum (*o*), a Neptuno Hector nuncupatur λυσσώδης; & obſervan-dum eſt, quod λυσσα, λυσσητηρ, & λυσσωδης, proprie ſignificent hanc rabiei ſpeciem: ita enim uſurpantur à Galeno (*p*), & Dioſcoride (*q*).

Plura quidem circa hanc rem collegit Le Clerc (*r*).

Animalia huic malo præ cæteris obnoxia ſunt (*s*), canes, lupi, vul-pes,

(*f*) Medical Eſſays, vol. 1. obſ. 29.
(*g*) Medical Eſſays, vol. 1. obſ. 27.
(*h*) Eſſay on poiſons, p. 146.
(*i*) De ther. ad Piſ. l. 1. c. 16.
(*k*) l. 6. c. 24.
(*l*) l. 5. c. 27.
(*m*) Iliad. VIII. l. 299.
(*n*) Iliad. IX. l. 237.
(*o*) Iliad. XIII.
(*p*) De loc. affect. l. 6.
(*q*) l. 6.
(*r*) Hiſt. de la med. part. 2. l. 4. §. 1. c. 6. p. 463.
(*s*) Boerh. aphoriſ. 1132.

pes, feles, equi, aſini, muli, boves, ſues, ſimiæ, galligallinacei (*t*), homines, aliquando etiam urſi & leopardi; quæ *rabioſa* id vitium in alios propagant: frequentius vero cæteris, cani, lupo, & vulpi, quippe quod ejuſdem fere ſint generis, à cauſis internis, abſque contagio, morbus oritur.

Horrendi adeo morbi cauſas operæ pretium erit indagare in *cane*, quo plerumque in humanum genus propagatur.

Canes etiam valide exercitatos nunquam ſudare notum eſt; eorum enim cutis nullatenus madida invenitur: ſed dum æſtuant, glandulæ ſalivales magnam liquoris copiam effundunt. Præterea carnivori ſunt, & ſemiputrida ſæpiſſime devorant. Alacres, in iram proni, & dum, ſecundum Boerhaavii experimentum, clibano immittuntur, in putredinem facillime verſis humoribus donati apparent.

A natura autem adeo conſtituti ſunt, ut vice perſpirationis, præter majorem ſalivæ excretionem, in ſacco quem odoriferum vocant, juxta perinæum ſito, fœtida ſubflavaque ſecernatur materia, quæ humorum acerrima pars eſſe videtur. Ea ſi, quacunque de cauſa obturato ductu, in ſanguinis maſſa retineatur, acrimonia ſua mala ſumma pariet. Ad hoc præcavendum, vi quadam mechanica utuntur canes, ſcilicet, dentibus haſce partes rodunt, & ſedentes, eaſdem antrorſum protrahendo, humi corradunt. Sacculus porro rectum inter & ani ſphincterem poſitus, fæcibus duris per anum tranſeuntibus, quaſi prelo utrinque comprimitur, &, per ductus in limine ſe aperientes, liquorem, ad lubricanda fæcum itinera, effundit.

Obſervatur etiam, quod, in æſtate, ſub ſolis ardoribus, ſit piger eorum venter, & albeſcunt fæces, hac materia inungente deſtitutæ, ab obſtructis ductibus odoriferis; ſic humor inimicus in ſanguinem reſorbetur, vel ex eo rite minus ſecernitur. Si vero adſit aquæ defectus, ſaliva ſpiſſeſcens parvulas œſophagi glandulas inferciet: unde oritur rabies. Sic quidem vir fide dignus me certiorem fecit de *cane moloſſo*, qui, capiſtro conſtrictus, & quatuor vel quinque milliaria, fervente æſtate, ductus, proximo die in rabiem incidit. Ex ultima cauſa conjicere licet, unde *œſophagum* præcipue morbus efficiat, orta nempe primo in ejus glandulis obſtructione: & cum eas vi quadam ſpecifica affectat *mercurius*, in reſerandis glandularum obſtructionibus pollens adeo remedium; *canibus* in hoc morbo *mercurialia* haud inutiliter videntur adhibenda, præſertim antequam ad ſummam rabiem pervenerint. Atque ita medicus quidam Gallus, Deſault dictus, & Richardus James, Anglus, *mercurium* tanquam certam hujus veneni antidotum prædicarunt. Poſterior, inſtituto experimento (*u*), duobus *canibus rabidis* turpethi mineralis grana duodecim primo die exhibebat; die ſequenti, grana viginti quatuor, tertio die, grana quadraginta & octo, ſeque-

(*t*) Baccius de venen. & antid. p. 16. & 71.
(*u*) James's new method of curing madneſs, *&c. p.* 45.

Digitized by Google

ſequebatur ptyaliſmus, vomitus, purgatio: ſed & ſimul eo uſque debellabatur morbus, ut lac tepidum ſponte biberent. Die quarto, alteri adhuc *cani* data fuerunt *turpethi mineralis* grana viginti, alteri nulla. Prior ſalivam uberrime effudit, & diris cruciatibus agitabatur; eventus tamen erat proſperus. Alterum morbus, nondum penitus devictus, denuo aggreſſus eſt & confecit.

Poſtea, in ducentis animalibus a *rabido cane* vulneratis, hæc adeo feliciter ceſſerunt, ut ex tanto numero, ne vel unum periret: unde concludit autor ille, morbum hunc graviſſimum, ſaltem ubi primum gradum non exceſſerit, mercurio, ſive ſalivam moveat, ſive non moveat, cedere. Atque adeo in homine ejus uſum laudat. Experimenta autem, quibus illud probare aggreditur, in hoc laborant, quod *hominibus* non *mercurium* ſolum, ſed alia quidem remedia notabilia exhibuerit, *viz. lapidem contrayervæ*, *theriacam Andromachi*, & his ſimilia.

Præterea, toto cœlo diverſus in *homine* & *cane* eſt morbus, uti poſtea patebit.

Magnis ſub aëris fervoribus, & ſicca ſimul tempeſtate, frequentius *rabioſos* fieri *canes*, fere omnes teſtantur. Ita olim Ægineta (*w*), Aëtius (*x*), & Dioſcorides (*y*); ſimul tamen agnoverunt, interdum, & intenſiſſimo ſub frigore, *rabiem* naſci. Victus etiam ex carne putrida; potus abſentia; vermes renibus, inteſtinis, cerebro, cavis narium olfactoriis innati; ſunt cauſæ *præcedentes* (*z*).

,, Cum primum incipit *rabies*, fiunt triſtes, ſolitarii, ſe abſcondentes;
,, muti quoad latratum, murmurantes tamen; cibum, potumque omnem
,, adverſantes; in ignotos quoslibet irati & irruentes, heri tamen adhuc &
,, memores & reverentes; aures, caudamque dimittentes; ſomnolentorum
,, inſtar incedentes. Hactenus *primus gradus* mali eis adeſt: morſuſque tum
,, exceptus, periculoſus quidem, non vero peſſimus eſt.

,, Dein anhelare; linguam exſerere; ſpumam plurimam emittere; hia-
,, re; nunc ſegniter ut ſemiſopiti, nunc ſubito celeriter incedere, nec recta
,, ſemper via; mox ne herum quidem amplius agnoſcere; oculos habere de-
,, miſſos, lachrymoſos, pulverulentos; linguam plumbeo habere colore;
,, ſubito gracileſcere, inſanire, furere. Hic *ſecundus* eſt *gradus* mali, quem
,, vix triginta horis ferunt, quin moriantur. Morſus hoc tempore fere in-
,, ſanabilis: quo vero animal vehementius fuit, diutius malo laboravit,
,, morti propius eſt, eo morſus lethalior, acutior, & ſymptomata citiſſi-
,, me creans violentiſſima; & contra". Hæc optime collegit Boerhaavius (*a*).

Aliud

(*w*) l. 5 c 3. p. 74.
(*x*) l. 6. c. 24. p. 107.
(*y*) Theriac. c. 1. p. 423.
(*z*) Boerhaav. aphor. 1134.
(*a*) Aphoriſm. 1135.

Aliud ſignum memoratur ab autore recentiore (*b*), nempe, quod omnes alii *canes rabioſum* fugiant inſtinctu naturali, capita nutando, cum notis magni terroris.

Aliud etiam adjici poteſt, latratus tonum prorſus mutari, & fuſcum raucumque videri.

In *ultimo* morbi *ſtadio*, ab omnibus facile cognoſcuntur; haud tamen ita res ſe habet in *incipiente*. Magni igitur momenti eſt primordia obſervaſſe, vel ut *rabioſum* ſtatim occidatur animal, ne hominibus aliiſve noceat; vel ut a *cane* non *rabido* morſus, ab anxietudine liberetur. Aliquando tamen accidit, ut in dubio hæreat an *rabioſus* fuerit *canis* occiſus. Hoc in caſu forſan haud abs re foret experimentum capere; nempe, fruſto carnis elixæ fricentur fauces, dentes, & gingivæ *canis* mortui, & deinde illa offeratur *cani* ſano: ſi mortuus fuerit *rabioſus*, oblatam carnem repudiabit cum clamore & ejulatu; ſin minus, avide comedet (*c*).

Ut igitur minus *humano generi* communicetur morbus adeo terribilis, obtinendum; præſertim ubi, ſi qua fides adhibenda eſt hiſtoriis, quas tradiderunt viri ſane magni nominis, vix ullius *veneni* ſit tam multiplex *contagium* (*d*): abſque enim vulnere per cutim integram tranſit (*e*); ab halitu ſolo communicatur (*f*); ſalivæ contactu etiam exſiccatæ, labiis vel lingua exceptæ (*g*); eſu carnis (*h*) ſanguinis (*i*).

Hæc quamvis recentiorum obſervationibus conſentanea minus appareant, tamen magna opus eſt cautela, ut, ubi vel minima contagii ſuſpicio eſt, evitetur dirus ille morbus (*k*).

Ubi vero *venenum* in *corpus humanum* receptum eſt, ſæpe diu latet antequam vim ſuam exſerat, aliquando per plures menſes; imo poſt integrum annum à morſu ſuſcepto *hominem hydrophobum* vidit Galenus (*l*); *quendam*, undecim poſt menſes, *furentem*, Meadius (*m*); frequentiſſime vero circa quadrageſimum à ſuſcepto veneno diem (*n*). Interdum tamen etiam primo die, præſertim ubi ſaliva immediate infecta fuerit, ſeſe oſtendere, mulieris exemplo, probat Sauvages (*o*).

Quæ

(*b*) James's new method, &c. p. 36.
(*c*) Acad. des ſciences 1723. hiſt. p. 39.
(*d*) Boerhaav. aphoriſm. 1136.
(*e*) Sauvages diſſert. ſur la rage, p. 7.; & Palmar. de morb contag. p. 266.
(*f*) Aurel. acut. morb. l. 3. c. 9. p. 218.; & Aret morb. acut. l. 1. c. 7. p. 5.
(*g*) Aurelian. acut. morb. l. 3. c. 9. p. 219.; & Hildan. obſerv. chir. cent. 1. n. 86. p. 61.
(*h*) Fernel. de morb. contag. c 14. p. 509.
(*i*) Acad. des ſciences 1707. hiſt. 30.
(*k*) Van Swiet. comment. tom. 3. p 545.
(*l*) Comment. 2. in l. 1. prædict. Hippocrat. chart. tom. 8. p. 735.
(*m*) Eſſay on poiſons, p. 137.
(*n*) Aeginet. l. 5 c. 3. p. 74; & Aët. l. 6. c. 24. p. 107.
(*o*) Diſſert. ſur la rage, p. 4.

Quæ de *hydrophobia* viginti poſt annos erumpente narrantur, fide minus digna videntur, & potius a varia admodum cauſa originem traxiſſe.

„ *Diverſitas* autem hæc forſitan pendet à calore tempeſtatis anni, à va-
„ rio gradu morbi in animali mordente, à temperie *hominis* morſi, à diver-
„ ſo victu medica mentiſque adhibitis (*p*)".

Signa *incipientis rabiei* apud alios autores ſparſim tradita, ſumma cura collegit Boerhaavius (*q*), qui longe accuratiſſimam & elegantem ſimul ſic depingit morbi hujus imaginem.

„ Dolet (*r*) locus, cui impreſſa *contagii* labes primo fuit; dein vagi per
„ alia maxime vicina loca, dolores, laſſitudo, gravitas, tarditas in toto
„ muſculoſo genere; ſomni inquieti, turbati, terribiles, cum convulſio-
„ nibus & ſubſultibus; inquietudo aſſidua; ſuſpiria; triſtitia; ſolitudinis
„ ſtudium: atque his fere *primus mali incurſus* incipit, his ferme *primus* ejus
„ *gradus* finitur: ſanguis tunc venis emiſſus omni nota bonus (*s*).

„ Tum poſtea, prima augentur; acceditque porro ingens circa præcor-
„ dia anguſtia; reſpiratio difficilis, ſuſpirioſa; horror; ad conſpectum a-
„ quæ, liquorum quorumcunque, & rerum vel pellucidarum, vel inſtar
„ ſpeculi reflectentium, horripulatio, tremor (*t*); proſtratus appetitus,
„ deglutitio tamen ſolidæ cujuſque offæ poſſibilis (*u*); attactus humoris
„ cujuſque, maxime labiis vel lingua, incredibilem anxietatem, tremo-
„ rem, convulſiones immanes, atque furorem fere creans; vomitus gluti-
„ nis fuſci, bilioſi, aut bilis porraceæ (*w*); incaleſcentia; febris (*x*);
„ vigiliæ aſſiduæ; priapiſmus (*y*); cogitationum alienarum & inſueta-
„ rum perturbata valde ſeries. Sic procedit malum; atque hic ſolet *ſe-*
„ *cundi gradus* limites ponere.

„ Poſtea autem omnia enarrata exacerbantur continenter; ſoletque ſe-
„ qui linguæ aſperæ exſertio; hiatus oris; vox rauca; ſitis ingens; fu-
„ ror ad conatum bibendi, humorum adſpectum, contactumve; ſpumæ in
„ ore collectio; eam in alios exſpuendi conatus vel invitus; ardor obvia
„ quæque mordendi invitus, nec tamen à voluntate comprimendus; ſpu-
„ mante rictu frendit; pulſus & reſpiratio deficiunt; ſudor gelidus; *rabies*
„ *ſumma*, dum interim, quod mirabile, mens prudens, conſtans, aliis
„ à ſe metuens adeſt: hinc intra quartum fere ſemper à primo gradu
„ diem, *mors* convulſiva cum ſumma in reſpirando anguſtia."

Alia

(*p*) Boerhaav. aphoriſm. 1137.
(*q*) Ibid. 1138.
(*r*) Sauvages diſſert. ſur la rage, p. 52.
(*s*) Philoſ. Tranſact. abridg. tom. 3. p. 277.
(*t*) Sauvages diſſert. ſur la rage, p. 12. in notis.
(*u*) Philoſ. Tranſact. abridg. tom. 3. p. 277. 280.
(*w*) Ibid. tom. 5. p. 366.
(*x*) Sauvages diſſert. ſur la rage, p. 12. in notis.
(*y*) Bonet. ſepulchr. anatom. tom. 1. p. 216.

Alis quidem his adjecit Meadius (*z*) mirabilia, & ad reconditi hujus morbi naturam eruendam, haud paulum conducentia; quæ in *hydrophobis* fere omnibus, gradu tantum varia, ſe manifeſtare ſolent.

Objectorum in ſenſus impreſſionem ægre ferunt. Attrectatio quæcunque dolorifica eſt. Sonitus quicunque levis moleſtiam adfert. Forium motus, dum aperiuntur vel occluduntur, terrorem excitat æque ac domus ruina. Oculi lucem adeo horrent, ut rei cujuſdam albidæ conſpectum pati nequeant. Pulmonibus aura lenis ingrata eſt. Ægritudinem in meatibus urinariis etiam lotii egeſtio parit. Aſpectus horridus, furibundus vel lamentabilis.

In *hydrophobo*, quem in clinicis tractaverat Cl. *Johannes Rutherfoordius* medicinæ profeſſor, urina erat pallida; manus gelidæ; gemitibus altis & corporis convulſionibus ſæpiſſime ſomnus interrumpebatur; validos, plerumque etiam irritos vomendi conatus faciebat, aliquando tamen materiem pellucidam & viſcidam ejiciebat; ſpaſmi & tormina ab inferiori abdominis parte incipientia ventriculum verſus omnia comprimebant: his tandem quaſi ſuffocatus animam efflavit miſer.

Ut vero magis eluceſcat morbus, haud à propoſito alienum erit, quæ docuerunt *cadaverum diſſectiones*, enarrare.

Deglutitionis organa ſæpe inflammata (*a*) inveniuntur. *In altero* autem non tantum œſophagus, ſed & ventriculus & inteſtina inflammata rubeſcebant (*b*). Nulla tamen aliquando apparent inflammationis ſigna (*c*). Meadius (*d*) quoque affirmat in *hydrophobi* cadaveris capite, faucibus, pectore, & ventriculo, inſoliti nihil oſtendi: in quo etiam inventa fuit ingens copia viſcidæ, virideſcentis bilis; uti quidem fere omnes teſtantur. Pericardium ſiccum (*e*). Nigerrimus iu dextro cordis ventriculo ſanguis inveniebatur, quo omnino carebat ſiniſter: erat autem hic, per pulmones mire accenſos & tumidos, plurimus diſperſus (*f*). Cordis ventriculi, majora vaſa circa cor & pulmones, omnia concreto ſanguine, omni propemodum ſero fluido deſtituto, plena (*g*). In alio dextra auricula inſigniter tumebat, dexter ventriculus ſanguine grumoſo plenus erat (*h*). Arteriæ plenæ, venæ vacuæ; cruor valde liquidus, & vix in aëre concreſcens, quamvis, dum viveret, e vena miſſus ante triduum concreverat (*i*). Omnes muſculi, viſcera, cerebrum, ſpinalis medulla, ſicciora ſolito (*k*).

 In

(*z*) Eſſay on poiſons, p. 135.
(*a*) Acad. des ſciences, 1699. hiſt. p. 55.
(*b*) Hernandez rerum Mexic. theſaur. p. 494.
(*c*) Bonet. ſepulchr. anat. l. 1. § 8. p. 211.
(*d*) Philoſ. Tranſ. abridg. tom. 5. p. 368.
(*e*) Bonet. ſepulchr. anat. tom. 1. p. 212.
(*f*) Hernand rerum Mexic. theſaur. p 494.
(*g*) Bonet. ibid. §. 13. tom. 1. p. 342.
(*h*) Ibid §. 8. p. 212.
(*i*) Acad. des ſciences 1699, hiſt. p. 55. 56.
(*k*) Ibid. p. 156.; & Bonet. tom. 1. l. 1. §. 8. p. 210. & 212.

In *cadavere hydrophobi*, cujus antea mentionem fecimus, poſt mortem die proximo, inveniebantur inteſtina magna in immenſam molem aëre diſtenta; coli ſaccus caput humanum magnitudine æquans, in quo, præter aerem, fæces quædam induratæ aderant; ilei levis inflammatio cum maculis paucis lividis; hepatis portio livida; ventriculus inanis, & haud valde contractus; viſcera omnia abdominalia è ſitu ſuo amota; in thorace nihil inſoliti: quo minus cranii contenta, laryngem & pharyngem, ſcrutaretur quis, conſanguinei impediebant.

Hiſce penſitatis, quis non in *ſyſtemate nervoſo* tragœdias ludere *venenum* dixerit? Hæc enim omnia fere in *hyſtericis* mulieribus ſymptomata evenire, nemini non notum eſt. Ita quidem cenſebant *veteres*, uti patet ex uſu medicamentorum *nervoſorum*. *Recentiores* etiam hoc confirmarunt. Sic Hoffmannus (*l*) ait "venenorum omnium, & præſertim hujus, actionem referendam eſſe ad violentas & *convulſivas nervoſarum* partium contractiones."

Meadius obſervat (*m*), alios eſſe morbos, præter hunc, (& omnes quidem *generis nervoſi*), in quibus horrenda hæc ſymptomata notantur.

Ipſe quoque Boerhaavius (*n*), ſecum reputans morbi hujus decurſum & phænomena, concludit, eum "primo conſiſtere in *affectione nervorum*, proxime referenda ad *convulſiones*, quæ viſcera, horumque vaſa occupent."

Atque hæc ſententia confirmatur teſtimonio Cl. *Rutherfoordii*, qui, poſt omnia ſedulo obſervata in prædicto *hydrophobo*, in prælectionibus ſuis docuit quotannis, morbum hunc omnino referri debere ad illos, qui a turbato *genere nervoſo* naſcuntur, & remediis *antiſpaſmodicis*, non quidem *antiphlogiſticis*, curandum eſſe.

Autor denique *recentiſſimus* (*o*) omnino *convulſivum* hunc eſſe morbum aſſerit. Quamvis autem ſæpiſſime corpus *hydrophobi convulſiones* patiatur; tamen, quia ſatis longa ſint intervalla, in quibus nulla adſint *convulſionis* ſigna, mallem exiſtimare eum eſſe *ſyſtematis nervoſi* ſtatum, ut, à levi cauſa, externa vel interna, muſculi ferme univerſi in *motus convulſivos* agantur.

His poſitis, opus nunc arduum aggredimur; ſcil. *rationem ſymptomatum ſyſtema nervoſum* occupantium. Terra quidem hæc eſt quaſi incognita; ſi igitur labi deprehendar, eo facilius veniam me impetraturum eſſe confido.

Dolet locus; cui impreſſa contagii labes primo fuit; deiu vagi per alia, maxime vicina loca, dolores. Certiſſimum *inſtantis rabiei* ſignum hoc eſſe olim

(*l*) Tom. 1. p. 2. c. 2. §. 23.
(*m*) Eſſay on poiſons, p. 146.
(*n*) Aphoriſm 1142.
(*o*) Nugent's Eſſay on the hydrophobia, p. 48.

olim credidit Salius Diverſus (*p*). Pro univerſali regula ſtatuit Aurelianus (*q*), & rationem addidit: "Præpatitur enim eà pars, quæ morſu fuerit „ vexata, unde initium denique paſſionem ſumere nemo negat." Non ſecus ac in *variolis* ab inſitione fit; cum primo in actum deducitur illud contagium, ſimul tunc vulnus incipit dolere atque inflammari; quia & ibi *pars* hujus contagii *notabilis* remanſerat.

Laſſitudo, gravitas, tarditas, in toto muſculoſo genere.] *Spontaneas laſſitudines* morbos denunciare, dixit Hippocrates (*r*); *κόποί αυτοματοί Φραζȣσι νȣσους.* In variis morbis, varias agnoſcunt cauſas. Patet enim experimentis, requiri liberum commercium inter encephalon & muſculos movendos, per nervos intermedios, ut motus muſcularis cauſa illis adplicari poſſit. Sic, ubi adeſt liquidorum *viſciditas*, qua adunatæ ſanguinis moleculæ non patiuntur ſe ſeparari, ut per ultimos vaſorum fines tranſire queant: ſive *errore loci*, dilatata minorum vaſorum orificia majores moleculæ ingreſſæ fuerint, per ultimas illorum anguſtias tranſitui ineptæ: vel *ſpaſmis turbato ſyſtemate nervoſo*, uti potiſſimum in hoc caſu evenit, liber ſpirituum influxus in muſculos prohibetur. Præterea, iidem producuntur effectus, cum *ſanguinis arterioſi* in corpore eſt *defectus*, & nimis *languet* ejus motus; liquidi enim *nervoſi* ſecretio & motus æquabilis per cerebri medullam & nervos, requirunt applicationem ſanguinis *arterioſi*, debita copia & impetu, ad corticis fabricam; ſic à *defectu* ſpirituum animalium. Oriuntur denique a magno nimis eorum *diſpendio*, uti fit poſt labores diuturnos, vigilias, &c. quæ quidem in *hydrophobis* locum habent.

Somni inquieti, turbati, terribiles, cum convulſionibus & ſubſultibus.] Ab eodem fonte proveniunt: vel, *ſanguiferis* vaſibus *ſpaſmo* contractis, ſanguis è corde dextro per pulmonem tranſire non poteſt, adeoque ſuffocatio & mors imminet; vel *ſpiritus* animales minus recte immittuntur ad perficiendas vitales actiones, cerebello aut nervis *ſpaſmo* affectis: ut enim placidus fiat ſomnus, neceſſe eſt abeſſe omnem irritationem in capite & corpore toto; dolores autem corporis animique, & omnia quæ non ſinunt ſpiritus in ſenſorio communi quieſcere, aut nervos collabi, ſomnum arcent. Hinc etiam.

Suſpiria.] Quia ſanguis in pulmone hæret & præcordiorum vaſis, hinc, ut tranſitus ejus promoveatur, magnas *inſpirationes* efficiunt: porro, ubi corporis pars quævis dolet, *ſuſpiria* ſemper edimus. Hinc quoque

Triſtitia, & ſolitudinis ſtudium.] Leviſſimo enim ſtrepitu afficiuntur; univerſis *nervoſi ſyſtematis* morbis ſymptoma commune. Hæc vero omnia inde confirmantur, quod

Sanguis venis emiſſus omni nota bonus.] Et quidem in *hydrophobo* noſocomi-

(*p*) De affect. partic. c. 19. p. 364.
(*q*) Acut. morb. l. 3. c. 14. p. 226.
(*r*) Aphoriſm. 4. §. 2.

comico, per totum morbi decurſum, bonus erat ſanguis, nullaque inflammationis ſigna exhibebat.

Primus hic morbi *gradus* in quibuſdam durat diutius, in aliis cito ſuccedit *hydrophobia* (*s*).

Durante adhuc morbo, omnia augeantur ſymptomata neceſſe eſt; tandemque terribilis ſeriei anteſignanus apparet.

Horror.] Qui cutis *motus* eſt *undulatorius*, à ſpaſinis vaſorum exhalantium ora afficientibus, ortus; eadem ratione qua corpus, dum nudum frigori exponitur: forte etiam ſubito ſic retropellitur humor exhalans, & inſueto quaſi motu perculſum corpus *horret* totum.

Tandem vero heu! ad conſpectum aquæ, liquorum quorumcunque, & rerum vel pellucidarum, vel inſtar ſpeculi reflectentium, horripulatio, tremor.] Mirus ſane corpus inter ac mentem conſenſus eſt: certæ enim ac perpetuæ obſervationis eſt, quod corpori communicata venena menti vim inferant, eique ſanæ rationis uſum eripiant: nihil vero eſt, quod ſenſum ac mentis uſum tam vehementer interturbet, quam graves ac violentæ partium *nervoſarum* contractiones, quibus ſanguis ad caput cum impetu urgetur, & liberior ejus curſus per cerebri vaſa mire diſtenta, intercipitur: unde eſt quod *hypochondriaci* plerumque phantaſia vitioſa laborant, & erga quædam mirabili quadam antipathia afficiuntur. Quamvis teſtante Meadio (*t*), multi, ſub morbi initium ſaltem, nequaquam *aquæ viſum expaveſcant*, neque à *liquoribus abhorreant*; ſed, è contrario, cum *jucunditate* aſpiciant; bibere cupiant ſiticuloſi; aggredientes autem, quid impediat, mirentur; dum interim, ut potiantur variis conentur modis, ſugendo per calamum, &c.; fieri tamen nequit, exclament! Hinc, cum in variis tentaminibus mala adeo multa mens ſit perpeſſa, non mirum eſt ſi cauſam, & quicquid cauſæ ſimile eſt, poſtea cum *horrore* repudiet. Præterea, quum ſenſiles admodum ſint partes *nervoſæ*, & iſta, quæ averſantur vivide lucem reflectant, organa viſus fortiter nimis ſtimulata, ſenſu quodam ingrato afficiuntur, & fere ſpaſmos excitante: non ſecus ac in ſani oculis ſubito expergefacti, ubi lux, alias haud nimis vivida, immittitur, nervi diaphragmatis, &c. in convulſiones trahuntur, & fit iſte motus *convulſivus*, ſternutatio.

Proſtratus appetitus.] Totum enimvero corpus turbatur; haud rite procedunt ſecretiones, & *viſcida*, *gravi materia* ventriculus oneratur; quod in *cadaverum diſſectionibus* videre licuit.

Deglutitio tamen ſolidæ cujuſque offæ poſſibilis; attactus humoris cujuſque, maxime labiis vel lingua, incredibilem anxietatem, tremorem, convulſiones immanes, atque furorem fere creans.] Vel quia deglutitionis organa (quæ ſunt præcipue dorſum linguæ, poſterior palati pars, & œſophagi ſuperior) efficacius amplecti queunt, & agere vi juncta melius in *ſolida*

(*s*) Sauvages differt. ſur la rage, p. 12. in notis.
(*t*) Eſſay on poiſons, p. 137.

ſolida quam *fluida*; præterea epiglottiden, quæ quidem, hoc tempore, ſemper arcte debet claudi, *liquido* fortius deprimit *ſolidum*: quando igitur harum partium vis *convulſionibus* tollitur, *liquidorum* pars in aſperam arteriam illapſa ſuffocationem minitatur (*u*). Vel quia majorem ad deprimenda *liquida* vim edi neceſſe eſt, haud etenim fulcrum adeo ſtabile exhibent ac *ſolida*; hinc *paralytici* fere muſculi convelluntur. Revera tamen fatendum eſt, *aquoſis* ignoti quoddam ineſſe, quo ſtimulant *nervos*: cum enim primum ori immiſſa fuerunt, antequam ad deglutitionis organa pervenerint, intumuit ventriculi regio (*w*): ſic oris vaſa tangens *liquor* excitat *ſpaſmos*, qui fere ſtatim, adeo mobile eſt *genus nervoſum*, cum diaphragmate, ventriculo, &c. communicantur. *Hypochondriacum* novi, qui mane e lecto ſurgens, abſorpta, uti mos erat, *aqua* frigida, ut os lavaret, ſtatim ſumma vi *laticem* rejecit, *convulſione* toto corpore mirifice turbato: hic, tuſſi *convulſiva* ſæpiſſime vexatus, ab ore arido & ſalivalibus ductibus quaſi *ſpaſmo* clauſis, paroxyſmum ingruentem præſentiebat.

Vomitus glutinis fuſci, bilioſi, aut bilis porraceæ.] Hoc aliquando tantum obſervatur; attamen facile evenire poteſt, *ſpaſmis* ſurſum prementibus *bilem*, ut in aliis morbis *ſpaſmodicis* non raro accidit.

Incaleſcentia, febris.] Hæc quoque non ſemper eveniunt; quidam enim caſus ab auctoribus recenſentur, ubi *hydrophobi* perierunt, abſque ulla etiam incaleſcentia (*x*). Nugentius (*y*) caſum narrat mulieris, quæ, à *rabido cane* demorſa, paucos poſt dies demortua eſt, uti videbatur, è mera *debilitate* & *languore*. Plures (*z*) memorantur, ubi *febris nulla* aderat: quin imo Salius Diverſus (*a*) idem teſtatur; exceptis duobus caſibus, quorum in uno, *cane rabido* demorſus vir, ulcere jam ſano, ingentem in imo ventre contuſionem acceperat, unde valida *febre*, & paulo poſt *rabie* correptus, tertio die vita functus eſt; in *altero*, abſque *contagio*, in morbo acuto *hydrophoba* facta eſt mulier: his exceptis, ait, "reliquorum *rabientium*, quos ego vidi, neminem ſenſi ulla conflictari *febre*; nec hujus adeſſe ſuſpicionem, ne dixerim ſignum, obſervavi. Hinc colligo, *rabientes*, ratione proprii virus, non febricitare; ſi autem aliquando febricitent, hoc è corporis prævia altera indiſpoſitione fieri."

Ex his & antedictis conjicere licet, cum alii caſus ab auctoribus fide dignis memorentur, ubi fortiter quidem *febricitabantur hydrophobi*, morbum à diverſa plerumque cauſa, quam à *rabidi canis* morſu, originem duxiſſe. Quamvis tamen nullus dubito, quin ipſe morbus in principio *nervoſus*, ſub finem, poſtquam terribiles adeo convulſiones perpeſſi ſint ægri, inflam-

(*u*) Mead's Eſſay on poiſons, p. 145.
(*w*) Philoſ. Tranſ. abridg. tom. 3. p. 277.; Bonet ſepulchr. anat. tom. 1. p. 215.
(*x*) Sauvages diſſert. p. 12. in notis.
(*y*) Eſſay on the hydrophobia, p. 90.
(*z*) Miſcel. curioſ. dec. 3. an. 9. 10. ſupplem. p. 254.
(*a*) De febre peſtilent. p. 558.

inflammationis ſigna, tandemque gangrænam, adſciſcat. Sic enim aliquando fit in morbis hyſtericis & hypochondriacis.

Vigiliæ aſſiduæ.] Ab eadem cauſa, qua *ſomni turbati*, paulo majore.

Priapiſmus.] Perpetua eſt & conſtans membri virilis erectio, ſive adſit acer in venerem ſtimulus ſive non. In pluribus hoc morbo detentis obſervatum eſt ſymptoma. Affectio eſt *ſpaſmodica*, &, dum corpus *ſpaſmo* afficitur, plerumque evenit, haud, uti vult celeberrimus Meadius (*b*), à penis muſculis erectoribus *ſpaſmodice* affectis; anatomici enim recentiores (*c*) illos hoc officio defungi negant: ab aucto potius motu vaſorum *oſcillatorio* (*d*).

Cogitationum alienarum & inſuetarum perturbata valde ſeries.] A ſenſorio communi *ſpaſmis* turbato.

Linguæ aſperæ exſertio; hiatus oris]. Sic in epilepſia, muſculi *ſpaſmo* laceſſiti quaſi *paralytici* deveniunt: relaxatis igitur linguæ & maxillæ inferioris muſculis, hæ partes gravitate ſua delabuntur; ſic hiat os, exſertaque lingua ab aere fit arida, aſpera. Silentio tamen hic mirabilem præterire caſum vix ſane deceret; ipſe enim loquitur Meadius (*e*), *Hydrophobum* vidi validis reſtibus lecto conſtrictum, qui uno niſu omnes perfregit, & ſtatim *paralyticus* morti occubuit.

Vox rauca.] Quia muſculi glottidem arctantes quaſi *paralytici* deveniunt, & vocem modulari nequeunt; vel deficiente liquido inungente, areſcit fiſtula; fere enim univerſæ, præter ſalivam, cohiberi videntur ſecretiones.

Sitis ingens.] Ab acrimonia ſalivæ nerveas fibrillas ſtimulante; liquor enim diluens quicunque repudiatur.

Furor ad conatum bibendi, humorum adſpectum contactumve.] De his antea.

Spumæ in ore collectio.] Salivæ, etiam ſanis, niſi omni fere momento deglutiretur, ſat cito magna fieret in ore collectio; in *hydrophobis*, etiam ſuo in fauces ſtimulo, augetur, &, hiante ore compreſſis ductibus ſalivalibus, exprimitur; ipſe porro ventriculus afficitur, quem inter & os magnus eſt *nervorum* conſenſus: hæc vero ſaliva, ſæpius in ore agitata, *ſpumæ* formam induit.

Eam in alios exſpuendi conatus vel invitus.] Salivæ, magna in ore facta collectione, ſi forte pars in fauces delabitur, nervis in pharynge irritatis, violenti ſtatim fiunt *motus convulſivi*, quibus *latex* inimicus ſumma vi, ægro etiam invito, projicitur, non ſecus ac in ſano homine dum *liquores* laryngem invadunt. Quamvis autem, *ſpaſmis* liber, damnum alicui inferre nolit; tamen, his invadentibus, *maniæ* ſpecie corripitur, & ſanæ rationis uſus, pro tempore, abripitur: unde etiam.

Ardor

(*b*) Eſſay on poiſons, p. 133.
(*c*) Halleri primæ lineæ, p. 526.
(*d*) Whytt on vital and involuntary motions, p. 100.
(*e*) Eſſay on poiſons, p. 136.

Digitized by Google

Ardor obvia quæque mordendi invitus, nec tamen à voluntate comprimendus; ſpumante rictu frendit.]

Pulſus & reſpiratio deficiunt.] A pulmonum vaſis *ſpaſmo* conſtrictis, vel à *defectu* ſpirituum animalium, affecto communi ſenſorio, adeo ut diaphragma & muſculi intercoſtales munere ſuo non rite fungantur.

Sudor gelidus.] Adeo fortiter agunt *ſpaſmi*, ut tandem venæ afficiantur, & humor, inhalantibus abſorptus, *ſudoris gelidi* ſpecie exprimitur: vel potius, ut in omnibus fere morbis paulo ante mortem, à totius corporis *paralyſi*, fit ſyncope.

Dum interim mens prudens, conſtans, aliis à ſe metuens adeſt.] Intervallum habere videntur, in quo *ſpaſmi* paululum ceſſant, vel in viſcera nobiliora haud agunt; uti quidem fit in aliis morbis intermittentibus vel remittentibus dictis. Hinc igitur obſervatu dignum eſt, etiam in hoc ſtadio, non multum lædi cerebrum, & ſi, qua ratione, potuerimus *ſpaſmos* ſedare, vel *materiem morboſam* debellare, etiamnum adhuc ſcopum attingi; &, dum vita eſt, nequaquam ſpem abjici debere: hinc, "nihil „ crudelius, quam, abjecta curatela omni, ſtatim negligere, aut ſuffoca- „ re;" uti humaniſſimus exclamat Boerhaavius (*f*).

Alia quidem omnia ſymptomata, quamvis mirabilia, tamen facilem ex antedictis explicationem accipiunt.

De *phænomenis* in *cadaveribus hydrophoborum* obiter notandum eſt, mirum non eſſe, ſi dubitetur, an omnia inflammationem indicantia, in *cadaveribus* inventa, à *rabie canina* ortum duxerint: ſic enim, in eo quod diſſecuerat Meadius, talia quidem nulla invenit, & in *hydrophobo noſocomico* fere nulla inveniebantur: attamen hæc evenire poſſe ſub finem morbi, etiam in vera *hydrophobia*, non negaverim. Ita Hoffmannus (*g*), quo nemo melius morbi hujus naturam indagaſſe videtur. "*Spaſmorum* eſt „ ſoboles, quibus ſanguis, intra vaſa congeſtus, irretitus ac refluere neſ- „ cius, ſtaſin concipit; tandemque in putredinem abit, unde *ſphace-* „ *li*, &c."

Alia autem omnia *ſpaſmorum* veſtigia adeo plane indigitant, ut explicatione haud opus ſit.

Sic, poſita morbi natura, variiſque ante & poſt mortem *phænomenis*, nunc de *prognoſi* agendum eſt.

Magnum eſſe *diſcrimen*, omnes uno ore agnoſcunt; haud tamen tam *deſperandum* mihi videtur malum, quam multi crediderunt: major autem certe vel minor eſt ſpes, prout ſymptomata hæc leviora vel graviora fuerint.

Morbi igitur ingenium ſecuti, ad ipſum debellandum enixe operam demus, veteris adagii memores,

(*f*) Aporiſm. 1145

(*g*) Vol. 1. p. 2. c. 2. §. 25.

Principiis obſta; ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

/ OVIDIUS.

Antequam pergamus, monendum eſt, ſumma opus eſſe cautela, ut *hydrophobiæ* cauſam compertam habeamus; variæ etenim ſpecies varia admodum ratione tractari debent: *e. g. hydrophobia*, febris acutæ & inflammatoriæ comes, feliciter *venæ-ſectione* & *antiphlogiſticis* excipitur, ſi vero ſit *nervoſa*, vel a *rabidi canis* morſu orta, ſane diverſa prorſus medendi ratione opus eſt.

Curatio prophylactica in *demorſo* requirit, ut, "primo, ſtatim à contagio ſuſcepto, totus locus affectus, una cum vicinis, profundis pertundatur *ſcarificationibus*, multumque mittat ſanguinis; applicentur magnæ *cucurbitæ* fortiter trahentes; vel *ferro* inuratur *ignito* ſatis profunde; dein adigatur in *ſuppurationem perpetuam*, applicatu eorum, quæ aſſidua roſione *exulcerant*; interim toto illo tempore, ab initio in finem, ſemper foveatur *muria* ex *ſale marino* & *aceto*, nunquam intermittendo; id continuetur uſque ad ſextum quidem menſem. Hæc Boerhaavius (*h*), Galenum (*i*), Aetium (*k*), Celſum (*l*), & Hildanum (*m*), ſecutus.

Præter hæc, laudaverunt veteres *animalia viva diſciſſa* partibus demorſis admota. Quod etiam imperat Celſus (*n*): "Vivum oportet *gallinaceum pullum* per medium dividere, & protinus calidum ſuper vulnus imponere, ut pars interior corpori jungatur; facit id etiam *hædus agnuſque* diſciſſus, & calida ejus caro ſtatim ſuper vulnus impoſita".

Ita etiam *pullos gallinarum*, vel eorum podices admovendos, ſuadet Foreſtus (*o*).

"Neque alia profecto ratione juvat *viſcus*, vel pars quædam *animalis rabidi*, quod plagam inflixit, appoſita, vel *oleum ſcorpionum* tantopere adverſus eorum ictus commendatum, quam emolliente ac demulcente virtute," inquit Hoffmannus (*p*).

Omnium tamen efficaciſſimum auxilium ab *igne* exſpectavit Dioſcorides (*q*), merito, ut ait Van Swieten (*r*): "Cum omnia deſtruat vivus *ignis*, ſic cuncta luſtret venena, ſimulque ſeparatio eſcharæ inuſtæ „ diu-

(*h*) Aphoriſm. 1143.
(*i*) De theriac. ad Piſon. l. 1. c. 16.
(*k*) L. 6. c. 24.
(*l*) L. 5. c. 27.
(*m*) Obſerv. cent. 1. obſ 87.
(*n*) L. 5. c. 27.
(*o*) Obſervat. chirurg. 34. l. 6.
(*p*) Tom. I. part. 2. c. 2.
(*q*) Theriac. c. 2. p. 424.
(*r*) Comment. in Boerhaav. aphor. §. 1143. Tom. III. p. 569.

Digitized by Google

„ diuturnius tempus requirat, adeoque cita conſolidatio vulneris prohi-„ beatur. Simul monet, eſchara ſeparata, crudum vulnus *ſalſis* & *acribus* „ irritandum eſſe, ne coaleſcat; & ſi ante quadrageſimum diem coiverit, „ renovandum vulnus eſſe, ſive *ſcalpello*, ſive nova *uſtione*. Recentiorum „ autem obſervata docuerunt, non ſufficere levem & ſuperficialem *inuſtio-„ nem*; ſed requiri profundam, ut certi ſimus venenum vulneri inhærens „ integre per *ignem* deſtructum fuiſſe".

Mirabilem ſane pro comperto caſum habeo, à matrona mihi in inſula Barbada cariſſima, quæ ſervulo Æthiopi à *rabido cane* demorſo, *candenti ferro* ſtatim vulnus profundum inuri juſſit; quo facto, nihil inde mali ſenſit. Alter autem, qui alium agnoſcebat dominum, ab eodem *cane* vulneratus, paulo poſt *hydrophobus* periit.

Alia quidem ſimilia leguntur apud Hildanum (*s*).

Unguentum mercuriale vulneri illinitum laudat Deſſaultius (*t*).

Hanc tradit medelam Nugentius (*u*): vulneri applicata valent. *ſal*, *cepæ aſſula*, *raphani ruſticani raſura*, *cantharides*, *acetum*, *ſpiritus vini camphorati*, vel alia quævis ſtimulantia innocua. Præterea, *oleo* quodam penetrante & leniente *camphora* imprægnato circumcirca vulnus partes fricentur: hunc ſcopum *olea* quædam *animalia* melius quam *vegetabilia* quæcunque forſan attingere valent, cum plerumque magis ſint penetrantia, haud tamen lenia minus.

Præter hæc, ſuadet Boerhaavius (*v*), "ut veſtimenta, & cætera, quæ „ venenum attingere vel afflare potuit, caute abjiciamus, vitemus".

Nunc ad *generalia*, externa & interna, *prophylactica*, pergamus.

Veteribus in more fuit veneno tactos *balneo calido* immittere; quod Celſus (*x*) hiſce verbis teſtatur. "Quidam poſt *rabioſi canis* morſum ægrum „ protinus in *balneum* mittunt, eumque ibi patiuntur *deſudare*, dum vires „ corporis ſinunt, vulnere aperto, quo magis ex eo quoque virus deſtil-„ lat; deinde multo meracoque *vino* excipiunt, quod omnibus venenis „ contrarium eſt. Idque cum ita per triduum factum eſt, tutus eſſe ho-„ mo à periculo putatur". Eodem loco graviſſimus hic autor ſuadet, „ *vinum* calidum cum *ruta* quamplurimum ingerendum, & in *calidum bal-„ neum* mittendum eſſe eum, qui cicutam bibit". Quod curationis genus, apud veteres uſu receptum, probat Hoffmannus (*y*), atque, "*Tem-„ peratum balneum* in omni inſania ego magnopere laudo atque commen-„ do; quia partium nervoſarum ſtricturas laxat, poros cutis recludit, &

(*s*) Obſervat. chirurg. cent. 1. obſ. 87. p. 66.
(*t*) Differt. ſur la rage, p. 173.
(*u*) Eſſay on the hydrophobia, p. 178.
(*v*) Aphoriſm. 1143.
(*x*) L. 5. c. 27.
(*y*) Tom. I. part. 2. c. 2. §. 26.

Digitized by Google

„ & motum ſanguinis, ſpaſmorum vi, ad cerebrum retroverſum, ad cor-
„ poris exteriora revocat : poris autem apertis, *vinum* propinatum ſan-
„ guinis motum liberiorem reddit, & tranſpirationem juvando, omnem
„ conceptam venis virulentam materiem ex intimis ſedibus expellit. Qui-
„ buſdam vero magni nominis viris commendatur *immerſio* in *aquam fri-*
„ *gidam*. Id vero remedii genus non ſemper ſecurum, ſed valde infi-
„ dum eſſe puto; quia verendum eſt, uti ait Celſus, ne infirmum cor-
„ pus *aqua frigida* vexatum nervorum diſtenſio abſumat. Nam ſi *balneum*
„ *frigidum* in ejuſmodi caſibus juvat, illud exinde contingit, quod ter-
„ ror, & vehementior ſanguinis ad interiora repulſio in robuſtis & cali-
„ dioribus ſubjectis, motum ſanguinis & humorum intenſiorem cum ca-
„ lore ac ſudore efficiant, quo vis morbi infringitur & venenum elimi-
„ natur. Quum vero id non ſemper & ubivis eveniat; hinc utique fri-
„ gus, ſpaſmi à veneno excitati vehementiam augens, majorem potius
„ noxam affert. Quam ob rem Celſus, loco citato, monet, ut, ſi ta-
„ lis ſpaſmus incidat, æger protinus à *piſcina* in *oleum* vel *balneum calidum*
„ demittatur". Hæc magnus ille vir. Quid igitur ſentiendum eſt de uſu *balnei frigidi*, fere omnibus etiam vulgo remedii decantatiſſimi? Hæc tamen profert Boerhaavius (z). "Statim poſt infectionem, magno cum
„ apparatu, metu incuſſo, ſæpe minitando, tandem præcipitem in *mare*
„ vel *fluvium* dando, aliquamdiu ſubmerſum tenendo, iterum mergendo,
„ id repetendo aliquoties, cum iiſdem omnino circumſtantiis : eas enim
„ ſanare *ſpiritum turbando*, non *aquam ſalſam*, docuit funeſtus exitus ho-
„ minis poſt morſum naufragi, multis horis natantis, ſæpe diu fluctibus
„ ſubmerſi, tamen poſtea hydrophobi".

Cui reſpondet Nugentius (a). Nonne exemplum illud allatum, à *terroribus* quoque Boerhaavium abalienare ſufficeret, doceretque eos, æque ac *immerſiones*, parum valere? Cum enim miſero illi, *ſubmerſiones* inter & *conflictus*, quos in naufragio paſſus eſt, *timoris* haud minus incuteretur, ac ſi, ſanandi cauſa, arte productos toleraſſet. Narrato tunc caſu, in quo feliciter minus hæc ceſſerant, pergit : *his*, non tantum non amovebatur, nec inducias ferebat morbus, ſed & omnia augebantur *ſymptomata*; præterea, inter innumeros *a rabido cane* demorſos, & *hydrophobia* interfectos, pauci tantum infidum hoc ſpeciale remedium neglexerant.

Acetum ac *theriacam* laudat Hoffmannus (b); hæc enim, aſſerit, "in
„ omnibus fere venenorum generibus, ſolis corroſivis exceptis, diſcutien-
„ do ac ſudorem movendo, opem ferunt præſtantiſſimam. Quod reme-
„ dii genus adverſus viperarum morſus jam olim commendatum fuit à
„ Celſo, quia ſpiſſeſcentem intus humorem diſcutit, & hac ratione ſanita-
„ tem dat".

Ubi,

(z) Aphoriſm. 1143.
(a) Eſſay on the hydrophobia, p. 191,
(b) Tom. I. part. 2, c. 2.

Ubi, primis diebus, neglecta erat medela, nec amplius ſatis educi poterat virus, quod per vulnus communicatum fuerat; Dioſcorides (*c*) *purgantia* commendat, dicitque, "Alia curationis ineunda ratio; nimirum „ imperanda *purgatio*, quæ, dum, corpus agitando, ipſius habitum tranſ„ mutat, magnum adfert adjumentum". Laudat *hieram*; uti etiam Aëtius (*d*) & Ægineta (*e*), inprimis illam, quæ, addita *colocynthide*, purgabat fortius.

Omnium autem efficaciſſimum remedium notabat *helleboriſmum* Dioſcorides (*f*), ſi frequentius ante diem quadrageſimum, vel etiam poſtea, adhiberetur. "Tantam enim vim habet id genus auxilii, ut nonnulli, qui „ jam *aquæ metu* prehendebantur, in ipſo *primo* morbi *inſultu*, *helleborum* „ ſumentes, evaſerint incolumes: nam *ipſo malo* jam detentos ne quidem „ *helleborus* ſervare poſſet".

Magnis laudibus extulit *hellebori* uſum Salius Diverſus (*g*) in hoc morbo, & tuto dari poſſe ejus *infuſum* certis experimentis ſe noviſſe affirmat: ubi majorem hujus remedii efficaciam deſideraret, dabat *merum helleborum*, ſed prius binis coctionibus in *aceto* mitigatum.

Alia autem monuit Dioſcorides (*h*): "Præter hæc, *ſudores* & ante „ cibum & poſt cibum eliciendi, qui & *dropaces* & *ſinapiſmi* univerſo cor„ pori alternatim applicandi". Poſtea *cibos acres* (δριμυφαγίας) & *meracos potus*, quibus vis veneni egregie retundi poteſt, quotidie aſſumendos ſuadet. Magnum imprimis effectum exſpectabat ab *alliis*, *porris*, & *cepis*.

Baccius (*i*) tradit, Rhazem & Joannem Damaſcenum, antidotum ex *cantharidibus* commendaſſe; ſi, nempe abſciſſis alis ac pedibus, infuſæ per noctem & diem, in lacte ebutyrato & acetoſo, mox exſiccatæ, ac in lenticulæ farina exceptæ, formarentur in trochiſcos ad pondus ſcrupuli unius ex vino, & exhibeatur trochiſcus ad multos dies. Si autem æger ſanguinem eminxerit, lacte recenti attemperari poſſet urinæ acrimonia.

Poſt hos, idem remedium ab aliis medicis commendatum legitur (*k*).

Hoffmannus (*l*), poſtquam *ſudoriferorum* laudes extulerit, ait, "Ex „ quo perſpicitur, quam, egregie ad expellendum venenum conferat ſolus „ *motus*, & *exercitatio* corporis, qua *ſudor* prolicitur. Et quoniam in *tarantiſmo* ſpaſmi cutim conſtringunt, unde *ſudor* gelidus fluit, & corpus „ refrigeratur, quod etiam in ſcorpionum morſibus obſervatum fuit; hinc „ etiam *motus*, & corporis *agitatio*, quæ *ſudorem* provocat, optimum & fre-

(*c*) Theriac. c. 2. p. 426.
(*d*) L. 6. c. 24. p. 108.
(*e*) L. 5. c. 3. p. 75.
(*f*) Theriac. c. 3. p. 425.
(*g*) De febre peſtilen. p. 371.
(*h*) Theriac. c. 3. p. 425.
(*i*) De venenis & antidot. p. 80.
(*k*) Medical Eſſays, Tom. V. part. 2. p. 985.
(*l*) Tom. I. part. 2. c. 2.

„ frequenti experientia comprobatum in *tarantiſmo* eſt præſidium. Probe „ enim animadverſum fuit à ſagacioribus, non *muſicam*, qua tantopere „ delectantur *tarantula icti*, genuinum eſſe *tarantiſmi* remedium, ſed po- „ tius *motui* ac *ſudori*, quem movet *ſaltatio* adſcribendum eſſe, quidquid „ *muſica* præſtari fingitur."

Quoniam vero de *muſices* uſu in *tarantiſmo* agitur, haud alienum videtur, quæ de hac re memoriæ prodidit Meadius (*m*), præcipua attingere. Eo prodeſt, quod *motus* membrorum continuus protulum eliciat *ſudorem*, quo particulæ inflammatoriæ auferuntur, & ſpirituum animalium febris minuitur: præterea & ad vim determinatam & ſpecialem tremuli aëris vibrati modulationem, chordis muſicis ad elaſticas cerebri fibras allatam, aliquid forſan referendum: corpora enim contractilia certo quodam motus gradu in fluido ambiente afficiuntur; quanquam gradus major varie modificatus effectus haud ſimiles efficiat: *v. g.* in inſtrumentis muſicæ duobus apte modulatis, ſi chordæ unius feriantur, chordæ alterius concordantes ſonant: tamen motus in aëre multo major, ab alia cauſa, fere nullos, qui ſentiri poſſunt, effectus producet. Alios homines aliud delectat *muſicæ* genus; tenſæ enim varia ratione eorum fibræ, iiſdem agitationibus non afficiuntur. Apud veteres frequens erat *muſicæ* uſus. Sic refert Galenus, Æſculapium, illos quibus animi motus violenti temperamentum corporis fervidum induxerant, *μελει* & *cantu* ad ſanitatem revocaſſe: ejuſdem meminit hiſce verbis, *μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς*, Pindarus (*n*): unde etiam nomen *incantamenti* originem cepiſſe videtur.

His miſſis, ad *ſpecifica* dicta progrediamur, quæ non tantum in *primo* morbi *gradu*, ſed & *ultimis ſtadiis* fere omnia laudantur.

Cinerem cancrorum, vel ſolum, vel additis *radice gentianæ* & *thure*, laudat Galenus (*o*), tanquam remedium natura ſua efficaciſſimum ad hunc morbum præcavendum, ſi homini demorſo quotidie detur per quadraginta dies, ad menſuram magni cochlearis. Ubi vero non ſtatim à morſu inflicto, ſed poſt aliquot dies datur hocce remedium, tunc duplicatam doſin requiri monebat. Modum autem præparandi ſequebatur, quem Æſchrion empiricus, medicamentorum peritiſſimus, tradiderat: *cancros* enim viventes comburebat, in patella æris rubri, in cineres, qui in pollinem facile conteri poterant: decem partibus *cinerum cancrorum* addebantur quinque partes *radicis gentianæ*, & una pars *thuris*: vulneri ſimul impoſuit *emplaſtrum è pice*, *opopanace*, & *aceto acerrimo* (*p*). Idem remedium commendant Dioſcorides (*q*), & Aetius (*r*).

Scribo-

(*m*) Eſſay on poiſons, p. 118.
(*n*) Pyth. od 3.
(*o*) De ſimpl. med. facult. l. 11. c. 1. n. 34. Charter. tom. 13. p. 310. 311.
(*p*) Van Swiet. comment. in Boerh. aph. §. 1147. p. 584.
(*q*) Theriac. c. 11. p. 423. 424.
(*r*) l. 6. c. 24. p. 107.

Digitized by Google

Scribonius Largus (*s*) mentionem facit antidoti, quam quotannis componebat præceptor ejus Apuleius Celſus, & in Siciliam mittebat, quia ibi ſunt plurimi *canes rabioſi*. Componebatur è *nardo Syriaco*, *croco*, *myrrha*, *coſto*, *caſia*, *cinnamomo*, *&c.* & *opio*. Dabatur autem fabæ Ægyptiæ magnitudine ex aqua, per dies triginta, demorſis hominibus, ad præcavendam *hydrophobiam*; imo etiam jam *aquæ metu* correptis (*t*).

Palmarius (*u*) tradit remedium, cujus tantam eſſe credebat efficaciam, ut, nulla etiam vulneris habita cura, quacunque victus ratione uterentur demorſi, certa ſanatio ab ejus uſu ſperari poſſet, non tantum *prophylactica*, ſed etiam dum *aquæ metus* aderat. Hujus eſt formula. ℞ Foliorum *rutæ*, *verbenæ*, *ſalviæ minoris*, *plantaginis*, *foliorum polypodii*, *abſinthii vulgaris*, *menthæ*, *artemiſiæ*, *meliſſophylli*, *betonicæ*, *hyperici*, *centaurii minoris*: ſingulorum æquale pondus in pulverem tenuiſſimum redigebat, & hujus drachmam dimidiam demorſis quotidie præbebat, cum duplo ſacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex juſculo, vel ex butyro, vel ex melle, opiatæ forma, jejuno ſtomacho, & tribus horis ante cibum. Drachmam unam & dimidiam aut drachmas duas credit ſufficere, tum homini, tum omni animali, quantumvis crudeliter ſauciato: interim monet non nociturum, ſi ad tres quatuorve drachmas detur; imprimis, ſi longo poſt morſum tempore, vel nata jam *hydrophobia*, curatio inſtituatur: vulnus autem foveri juſſit, bis vel ter de die, *vino* aut *hydromelite*, in quo ejuſdem pulveris drachma diluta fuerit; dein more communi tractandum vulnus jubet, illudque cicatrizari poſſe aſſerit, abſque ullo *hydrophobiæ* metu (*w*).

Alterum exhibuit Mayernus in actis ſocietatis regiæ Londinenſis (*x*). Sumebantur *rutæ* foliorum à caulibus mundatorum & contuſorum unciæ ſex, *theriacæ* Londinenſium, vel Venetæ, *allii* contriti, & tenuis *limaturæ ſtanni*, ſingulorum unciæ quatuor: vaſe terreo, rite clauſo, digerebantur in quatuor libris *vini* albi generoſi, vel & Canarienſis, balneo per quatuor horas, leni ebullitione, cavendo ne vapor exiret; dein colatura expreſſa ſervabatur. Pro tenera vel calida ægri conſtitutione, loco *vini* ſubſtituebatur *cereviſia* generoſa bene fermentata. Dabatur ille liquor medicatus ad duas vel tres uncias, in quibuſdam ægris etiam majori copia, omni mane per novem dies; & à cibo, per tres horas poſt ſumptum remedium, debebat abſtinere æger. Fæces reſiduæ, quæ in colo remanſerant, applicari debebant vulneri, & ſingulis viginti quatuor horis renovari. Simul monetur, illud remedium potari debere frigidum, vel ſaltem leviter tantum tepefactum, propinarique ante nonum diem poſt morſum inflictum; ſecus enim ſanguis veneno jam nimis infectus eſſet.

Simile

(*s*) N°. 171. 172. p. 120.
(*t*) Van Swiet. comment. ib. p. 585.
(*u*) De morb. contag. p. 276.
(*w*) Van. Swiet. comment. in Boerh. aph. §. 1147. p. 586.
(*x*) N°. 191. p. 409.

Simile remedium ibidem deſcribitur electuarii forma, niſi quod *ſcordium*, *ſerpentaria Virginiana*, & *hyperici flores* addantur (*y*).

A Meadio (*z*) celebratur *pulvis antilyſſus*, quem hac ratione præſcribit. ℞ *Lichenis cinerei* pulverizati unciæ dimidium, *piperis nigri* in pulverem triti drachmas duas. Hoc modo exhibebatur: præmiſſa *venæſectione* in brachio ad novem aut decem uncias. Pulveres bene miſti in quatuor doſes dividebantur, quarum una quatuor diebus ſucceſſivis mane, vacuo ventriculo, dabatur cum dimidia libra lactis vaccini calidi; his quatuor doſibus ſumptis; omni mane jejunus æger, *balneo aquæ frigidæ*, per menſis ſpatium, immergi debebat, hac lege, ut totus mergeretur, &, tantum per dimidium minutum horæ, in aqua maneret, ſi admodum frigida eſſet. Poſtea adhuc ſexies eodem balneo uti debebat, duarum ſeptimanarum ſpatio.

Apud Chinenſes pro certo remedio habetur ſequens formula. ℞ *Moſchi* optimi grana ſedecim, *cinnabaris nativæ*, *factitiæ* ana grana viginti. Seorſim terantur in pulverem impalpabilem, dein miſceantur, & exhibeantur cum hauſtulo *ſpiritus* fermentati ex *oriza præparati* (Arrack). Plerumque intra duarum aut trium horarum ſpatium, blandus ſequitur ſomnus & perſpiratio (*a*). Laudatur & ad curam *prophylacticam*, ſi ſtatim poſt morſum inflictum, vel quam fieri poteſt citiſſime, detur; tuncque per triginta dies ab *hydrophobia* tutum reddit hominem demorſum; quo tempore elapſo, datur denuo eadem doſis. Ubi vero jam aliqua ſigna *hydrophobiæ* adſunt, tunc ſecunda doſis *hujus pulveris*, tribus horis poſt primam doſin aſſumptam, dari debet, & certa promittitur cura (*b*). Succeſſiſſe hanc curationem ſæpius teſtantur autores (*c*).

Alii laudant *mercurialium* uſus. Sic Deſſaultius (*d*), qui exempla perhibet hominum duorum alupo rabido vulneratorum, quibus ſtatim cicatrices vulnerum & totum brachium illevit *unguento mercuriali*; tribus diebus ſucceſſivis hanc *innunctionem* repetiit; tuncque inceperunt cicatrices, antea elevatæ & induratæ, deprimi ac emolliri; dedit ſimul *pulverem Palmarii* quotidie: poſtea, alternis diebus, *innunctionem mercurialem* adhibuit, tali cum eventu ut uterque curatus fuerit integre.

Eadem cura ſucceſſit (*e*) in juvene à *cane rabido* demorſo, cui poſt ſex dies jam aderat inſolita mœſtitia, tremores, ſomni perturbati, tendinum ſubſultus; datus fuit veſperi bolus confectus è quatuor granis *turpethi mineralis*, ſcrupulo *lapidis contrayervæ*, & *theriacæ Andromachi* pauculo, ut

(*y*) Van Swiet. comment. in Boerh. aph. §. 1147. p. 587.
(*z*) Eſſay on poiſons, p. 164. 165.
(*a*) Philoſ. Tranſ. N°. 474. vol. 43. p. 226.
(*b*) James's new method, &c. p. 33. 34.
(*c*) Ibid. & Sauvages differt. ſur la rage, p. 34. Philoſ. Tranſ. N°. 474. vol. 43. p. 215. 216.
(*d*) Differt. ſur la rage 1734, in 12mo.
(*e*) James's new method, &c. p. 4. 5.

ut inde bolus fieri poſſet. Nocte ſequente bis alvum liquidam depoſuit: die ſequente veſperi *ſimilem bolum* ſumpſit, unde ſomnus longior & ſudor largior; bis etiam alvum depoſuit, atque omnia ſymptomata minuebantur. Tertium autem bolum ſumpſit veſperi denuo; unde placide dormivit, & mane ſanus vegetuſque ſurrexit: in *frigidum balneum* quotidie per dies quatuordecim deſcendit, poſtea ſanus vixit. Cruſta autem arida, quæ vulnus manui inflictum tegebat, poſt *tertium bolum* ſumptum, ſponte decidit, vulnuſque probe cocto pure per aliquot dies manavit, dein facile ſanatum. Hæc omnia adduxit Van Swieten (*f*), *mercurialia* laudaturus.

In muliere *hydrophoba*, quæ *pulverem antilyſſum*, &c. fruſtra tentaverat, ſequenti medela felici cum eventu uſus eſt Nugentius (*g*).

Statim fiebat *venæ-ſectio* ad uncias quindecim. *Emplaſtrum è galbano* cum *extracti thebaici* uncia dimidia, gulæ & collo ſtatim applicabatur. Dein quamprimum tertia quaque hora exhibebatur chartula *remedii-Chinenſis* ad hanc formulam. ℞ *Cinnabaris nativæ* & *factitiæ* ana grana viginti quatuor; *moſchi optimi* grana ſedecim: in pulverem ſubtiliſſimum redacta. M. f. bolus ſyrupo quovis ſimplice. Una cum his dabatur pilula granorum duorum *extracti thebaici*, donec conciliaretur ſomnus. Vulnerata manus & totum illud brachium *calido oleo* ſæpius de die fricabatur, toto morbi decurſu.

Enema è vino antimoniali injiciebatur, & cum aliis, pro re nata, repetebatur.

Pro potu communi ptiſanarium nitratum, ut ſedaretur ſitis. Poſtea quibuſdam ſymptomatibus recrudeſcentibus, optime ſucceſſit ſequens remedium. ℞ *Aſæ fœtidæ* grana duodecim; *moſchi* grana decem; *camphoræ* grana ſex. M. f. bolus ſtatim ſumendus, interpoſitis hauſtibus ſalino-nervoſis. Optima tanquam remedia in hoc morbo, laudat *camphoram*, *aſam fœtidam*, *moſchum*, *opium*, *caſtoreum*, & *valerianam ſylveſtrem*. Obſervat denique (*h*), in omnibus fere morbis ſpaſmodicis, ſudoris excretioni valde proclivem eſſe naturam; nihilque adeo feliciter ſpaſmos ſolvere, ac ſolutos indicare; & quidem antiſpaſmodica inſigniter diaphoreſin promovere; porro in muliere *hydrophoba* variis convaleſcentiæ gradibus *ſudorem* ſemper præiiſſe (*i*).

Mihi autem obſervata quædam ſubjicere liceat.

1*mo*, Non tantum ante ſed etiam poſt *hydrophobiam* enatam, ſolis *nervinis* & *ſudoriferis* ſanatorum fide dignæ narrantur hiſtoriæ: & in aliis, ubi adjectis medicaminibus tribuebantur laudes, merito quidem his tribuendæ videntur.

2*do*,

(*f*) Comment. in Boerh. aph. vol. 3. p. 581.
(*g*) Eſſay on the hydrophobia.
(*h*) Ibid. p. 104.
(*i*) Ibid. p. 34.

2do, Nullam vidiſſe contigit hiſtoriam fide dignam, ubi, ſine his, alia adhibita perfectam ſanationem effecerint.

Nunc autem, ut ex antedictis optimam medendi rationem pro virili hauriamus, æquum eſt.

Indicationes curatoriæ hæ ſunt.

In primo morbi gradu.

Prima eſt, quam ocyſſime ulteriorem veneni progreſſum ſiſtere.

Secunda, accepti expulſionem tentare.

In ultimis gradibus.

Prima eſt, ſpaſmos quam primum ſopire.

Secunda, venenatam materiem eliminare, ſudorem movendo.

Primi gradus indicationi primæ, ſatisfaciunt remedia ad rationem Boerhaavianam: attamen magnopere comprobo *inuſtionem* à Dioſcoride & aliis adeo laudatam, partibus vulneratis profunde adactam: dein haud abs re foret ipſas *oleo* quodam *animali camphorato* ſæpius inungere.

In ſecunda forſan & uſui foret *balneum tepidum*, in quo bis de die ægro deſudare liceat; antea mane & veſperi accepta doſi *remedii Chinenſis*, cum *vini* cujuſdam generoſi cyatho. Interdum *rhei*, *elixiris ſacri*, vel *tinctura bellebori nigri*, decantati adeo remedii, doſin parvulam accipiat, ut primæ viæ leniter purgentur: hæc enim in morbis *hypochondriacis* ſæpe proſunt.

Vitanda autem ſunt omnia, quæcunque nimium debilitant corpus; quod reficiendum eſt *ruris amœnitate*, *exercitiis* omnium generum, præſertim *equitatione* varia; vel etiam *ſaltatione* ad ſonum *inſtrumenti muſici*, quocunque maxime delectetur. Tranquilla, quantum fieri poteſt, ſervanda mens eſt. Hæc per menſis ſpatium continuentur: tum poſtea per bimeſtre ſpatium, omni mane & veſperi, ad molem nucis caſtaneæ ſumat electuarium ſequens. ℞ *Corticis Peruviani* pulverizati unciam; *theriacæ* Pharmacopœiæ pauperum unciam dimidiam. M. f. electuarium cum *ſyrupo croci* q. ſ. Sæpius in diæta *cepis* & ejuſdem generis radicibus utatur.

Hæc vero, ſi morbum hunc truculentum arcere non valeant, ad medicamina *ultimis gradibus* adaptata feſtinandum eſt.

Ad primam indicationem, nihil melius videtur, quam ſtatim Nugentii *emplaſtrum nervinum* gulæ imponere; dein interna alia ejuſdem antea memorata; qualia ſunt *opii* grana duo omni trihorio, cum chartula *pulveris Chinenſis*: hæc enim *ſpaſmos* optime ſedant, & quidem *ſudorem* movendo inſerviunt etiam.

Secundæ indicationi, cui & aliud ejus remedium è *camphora &c.* prioribus aliquando interponere operæ erit pretium. Hæc medicamina ſi deglutire nequeat æger, in ore tamen diſſoluta forſan probe ſatis effectus ſuos exſerent.

San-

Sanguinis miſſio, quamvis multum laudetur; tamen, quia ægrum debilitet, niſi in ore, pulſu, & urina inflammationis indicia ſint vel præſentis vel cito à *ſpaſmis* orituræ, vix celebranda videtur. Alvus, ſi nimis tarda ſit, *enemate* quovis *leniente*, vel *oleo mero*, ſolvatur; ſi vero æger aquoſa ano immiſſa horreat, *ſuppoſitorio* è *ſapone* in *ſale* convoluto utendum.

Muſica etiam nunc forſan auxilio erit, & *ſaltatio* quæ *ſudorem* elicit.

Vita[illegible] ſunt omnia quæcunque ſpaſmos excitare queunt; talia ſunt, aquæ [illegible]us, tactus, vel rei cujuſcunque aquoſæ aut lucidæ: ne quidem minimo ſtrepitu turbetur homo, vel ingratæ ullius rei mentione: in loco lucis radiis pervio minus detineatur: aër, quantum fieri poterit, moderate caleat.

Si quidem, his cautelis ac medicamentis feliciter inducias ferat morbus, nullum novi remedium aptius ad *recidivam* præcavendam; quam *cortex Peruvianus* electuarii forma, ut antea.

FINIS.

RUDO:

Digitized by Google

X L.

RUDOLPHI JACOBI CAMERARII

E T

THEOD. CHRISTOPH. SCHARFF;

DISPUT. INAUGULARIS

D E

ALYSSO CLAVE.

Tubingæ 1709. Menſ. Mart.

Digitized by Google

THESIS I.

PAgus eſt, hinc verſus occaſum ſitus, diſtans ab urbe ultra milliare, *Altingen* dictus; ad hunc frequens hominum fit confluxus ex vicinia, ſi quos per infortunium contingat morderi à cane (*a*) rabido, ut liberentur à periculo metuendæ noxæ (*b*), per cauteriſationem (*c*) ibi ſuſtinendam.

I I.

Operationis inſtrumentum [vel ſi mavis medium, quia uſurpatur ignitum] dicitur eſſe clavis (*d*), ſed talis profecto mihi non comparuit, quicquid olim fuerit; nam non ſupereſt niſi vix ſphitamam longum ferri fruſtulum, ligneo manubrio infixum, neſcio quo caſu vel longo uſu multum de ſua ſubſtantia deperdidit. Interim ſervat communiter nomen per omnem viciniam clavis, & diminutionem ſui tantam paſſa, nihil tamen ſuæ virtutis prætenditur amiſiſſe.

I I I.

Materia ipſius non videtur alia, quam communis clavium, ferrum; Quanquam dicuntur eſſe, qui metallum (*e*) aliud, vel illud ſingulariter præpa-

(*a*) De rabioſi canis morſu ſermonem aliis venenis animalibus præpoſuit *Dioſcorides* Mat. Medic. lib. 6. cap. 36. quod id animal domeſticum ac frequens eſſe conſuevit, & in rabiem ſæpius agitur, ab eoque caveri difficile, inde periculum inevitabile hominem manet, niſi multis utatur auxiliis. *Liſterus* autem in Exerc. med. tert. vehementer miratur, id non frequentius contingere, idcirco divinam magnopere laudat providentiam, à morbo omnium longe ſæviſſimo humanum genus etiam invitum tueri quæ velit.

(*b*) Præterquam quod inde mors eſt ſatis certa, iter ad mortem eſt nimis miſerabile. Cornel. *Celſus* de re med. lib. 5. cap 27. *Miſerrimum genus morbi, in quo ſimul æger & ſiti & aquæ metu cruciatur*, inter angores & inquietudines, ad ipſam uſque rabiem interdum; non ſemper. Ita limitantur verba *Helmontii* in tum. peſt. *Pavet demorſus, ſtata periodo, ad liquidorum cunctorum conſpectum, concipit caninam invidiam, optatque viventes omnes poſſe perdere, ſuamque multiplicare rabiem*; Item illud *Liſteri* l. c. *novam inde naturam caninam aliquatenus homini ſuperinduci.*

(*c*) Actum Medico-Chirurgicum, vi aphoriſmi Hippocrati adſcripti: *Quæcunque Medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat; quæ ignis non ſanat, ea incurabilia putare oportet.*

(*d*) Hinc famoſum etiam clavis nomen ſervavi, & ipſam dixi *Alyſſon*, eo ſenſu, quo herbam Græci, quæ nomen accepit juxta Plinium nat. hiſt. l. 24. c. 11. *quod à cane commorſos rabiem* (lyſſam) *ſentire non patitur.* Maxime, cum alyſſon veterum vel ſit dubium, vel non uſuale inter nos. Sic & *ad ipſos* audit bona glycyrrhiza.

(*e*) Auri & argenti pro cauterio ad hunc uſum mentionem facit *Matthiolus* in comment. Dioſcor. c. l. Cupri etiam *Helmontius filius* d. Marc. & Mirc. Prunam ardentem morſui viperæ deſtinat, quin pulverem pyrium deſuper accendi jubet, *Lemery* curſ. chym. An & *W. ten Rhine* moxa locum haberet?

præparatum, velint arguere ex hoc, quod non exciter veſicam, cuti admotum, ſed nigrum modo circulum relinquat (*f*), non ultra triduum durabilem, quin ſenſim evaneſcat.

I V.

Ferrum iſtud perhibetur eſſe nullis conſpicuum externis prærogativis, non inſignitum characteribus, figuris, aut ſigillis (*g*), ſed ut aſpectu vile, ita ſola vetuſtate & prætenſa facultate celebre.

V.

Origo (*h*) ejus incerta eſt, principium vel ignorant vel occultant pagi incolæ, totus autem ipſorum proceſſus nititur traditione majorum, & autoritate antiquitatis (*i*).

V I. Locus

(*f*) Ubi omnino habenda ratio tam gradus ignitionis, quam modi impreſſionis, quia dolor ab uſtione levis eſſe dictus contactum arguit levem atque ſuperficialem. Et ipſos ruſticos rationem habere teneritudinis perſonarum, ex diſcurſu comperi. Inclemens tamen hic eſſe poteſt clementia, docente *Tulpio* ob. l. 1. c. 21.

(*g*) De qualibus vide ſis *Em. Kœnig* Regn. Anim. *Matthioli* Comment. l. c. cap 37. Ad figuram ſpectat, quod è vulgo quidam claves cum Crucis ſigno quaſcunque ſimilibus viribus pollere nuper prætenderunt; qualiter cruciatam noſtram non poſſum dicere. Ad *Frommannum* de faſcin. remittens, de crucis ſignaculo ſi quis plura velit.

(*h*) Altius aſcendendum ſibi putavit pro remedio hydrophobiæ *Plinius;* ita enim l. 25. c. 2. *Anceps ratio inventionis herbarum, quippe etiam in repertis alias invenit caſus, alias [ut vere dixerim] Deus. Inſanabilis ad hoſce annos fuit canis rabidi morſus, pavorem aquæ, potuſque omnis afferens odium Nuper cujuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, ut radicem ſylveſtris roſæ, quam Cynorrhodon vocant, eblanditam ſibi aſpectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam in lacte. In Luſitania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte: caſuque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis, ut pareret religioni, ſervatuſque eſt ex inſperato: & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit.* Pervenerunt ad noſtra uſque tempora hæ laudes rubi vel roſæ caninæ, [an communis, an odoratæ ?] leguntur ut paſſim, ſic & in anat. pract. *Boneti*; ſed confer ſeq. theſin. nr. 18.

(*i*) *Cœlii Rhodigini* verba huc omnino tranſcribenda ex l. 9. c. 53. antiquarum lectionum, ubi medicamen recenſet, item cœlitus petitum; *Eſt in Rhodiginis paludibus Divi Bellini templum, miraculorum frequentia celeberrimum, & affluxu hominum etiam notiſſimum. Erectæ ædis, cauſa fere publica eſt; Pulſus is Divus Patavio, graſſantibus nobilium pleriſque, quod ſeverius, ſanctiuſque, quam ab illis probari poſſet, Epiſcopum ageret, inſectantibuſque inimiciter adverſariis, in paluſtre agri noſtri ſolum quindecim millibus paſſuum Rhodigio diſtans, divertit, cum manus hominum evaſiſſe videretur, canum rabiem non evaſit, à quibus è veſtigio convulſus diſcerptuſque mox in Divorum indigitamenta relatus, templum in illis emeruit locis, in quo & arca marmorea ferreis occluſa cancellis latet ſanctiſſimum ejus corpus. Templi v. ex necis genere ea eſt cæleſtis proprietas, ſi quis clavem ſibi quæſierit, qua ædis valvæ recludantur, ac ea candente, quicquid rabie agitari orſum ſit, attigerit, præſentiſſimum eſt remedium, & nunquam non verum.* Similes alibi laudantur claves Petri. Si clavis eſſet vel fuiſſet illud Aitingenſe ferri fruſtum, forte Rhodigo aut aliunde ipſis miſſa poſſet credi; Jam vero ubi, an vel cui, aut à quo, ſancto fuerit conſecratum, nos latet.

VI.

Locus operationis non eſt templum (*k*), ubi olim hoc cauterium aſſervabatur, nec curia, ubi etiam olim læſi ſolebant uri, ſed uſtrina, ſive officina publica fabri ferrarii, ubi alias toties candefieri ſolet ferrum.

VII.

Locus cuſtodiæ non amplius eſt templum, ego quipe id ferrum inveni in ædibus prætoris ſive Sculteti; unde & operator eſt faber pagi; Directores duo Senatores ruſtici, unus ſacris (*l*) Pontificiis addictus, alter Evangelicus, qui totius operationis curam gerunt ſpecialem.

VIII.

In caſum caſus tamen etiam per duos illos theſauri cuſtodes, clavis mittitur extra pagum, ad demorſos hinc inde, ſiquidem eo venire nolint vel nequeant.

IX.

Habent porro, quod curent duo illi ſive teſtes ſive cuſtodes, ſcil. ut poſt uſum ferrum hoc ignitum ſenſim ſponte refrigeretur in aqua (*m*), quod omnino caveri volunt.

X.

Operator nullas dicitur obſervare ceremonias, nihil muſſitare, nullas audiri

(*k*) *Baglivius* diſſert. d. Tarantul c. 12. ubi de frequenti copia canum rabidorum in *Apulia* ſub exurentiſſimo Solis calore. hoc addit: *Benignitate tamen ſummi numinis à rabidis canibus homines demorſi brevi ſanantur, ſi ante quadrageſimum à morſu diem ſe contulerint ad oppidum S. Viti, ubi effuſis ad Deum pura mente precibus, Divi illius interceſſione mox liberantur, ut cuivis in Apulia conſtat.* Sed confer quæ de Pharmacopœo ☉ 7. Item Viti chorea dicitur affinis tarantatis; atqui Tarantulæ nullum Sanctum opponit, ab ea læſis nullum Patronum aſſignat. Alias, ut ex Schol. *Colloq. Eraſmi* didici, *Hubertus*, creditur eſſe neſcio formidabilis aut amabilis, hydrophobiam vel immitendo vel pellendo. At non pro amentia hactenus quod ſciam Patronum aliquem invocant cœlitem, addit *Helmontius* tr. demens idea.

(*l*) Matthiolus l. c poſtquam tractationem medicam morſorum à rabido propoſuiſſet, ſubjungit: *Verum enim vero, per pauci noſtra hac ætate habentur à rabioſo cane demorſi, qui Medicos conſulunt. Nam tanta eſt religionis vis, ut omnes, quos momorderint, partim ad Divi Donini templum confugiant, partim v. ad Divi Bellini ſacellum.* Et *Helmontius* l. c *Catholici deſperantes nec fidentes remediis academiarum, noſtrates ad S. Hubertum confugiunt.* Præſidem vel Patronum inter cœlites hujus curationis, ut dictum, Altingenſes vel non habent, vel ipſi non norunt, niſi celent.

(*m*) Cui ad latus poni poterit illud, quod prudentioribus cautum eſt, vulnus aqua non eſſe eluendum.

audiri precatiunculas (*n*), nec quid fieri ſingulare vel geſtibus, vel verbis (*o*); Item operationem peragi gratis; Eleemoſynæ, ſi quæ detur, duas partes cedere ſiſco pauperum, tertiam operatori.

X I.

Ex parte ſubjecti nihil requiritur, non eſt, quod dicat, vel faciat, ſed habet morſus ſe pure paſſive: Farinam (*p*) tamen in pago per amorem Dei emendicare jubetur, quæ prætereaque nihil inſpergi debeat parti aduſtæ.

X I I.

Forſan & hoc notari meretur, quod averſo (*q*) vultu ſuſtineat aduſtionem homo, tergum uſtrinæ obvertens.

X I I I.

Uritur tandem vola (*r*) manus, monticulus pollici (*s*) ſubſtratus, brachio retrorſum reflexo ad dorſum; Locus hic homini omni & ſoli eſt unus & idem. (*t*).

XIV. Buta

(*n*) *Matthiolus* locis citatis exorciſmos inſtitui ſcripſit.

(*o*) Prætenſam Judæorum curationem verbalem communicat ſub finem epiſtolæ de hydroph. Cel. *Lentilius.*

(*p*) *Baglions* l. c. c. 8. ubi de cauteriis in genere: *Succo petroſelini inuncta pars brevi de ſe eſcharam emittit, ſi ſuper ambuſtum locum inſuffletur flos farinæ tritici, in tenuiſſimum alcohol redactæ*, &c.

(*q*) *Helmontius* inculcat, ritus talium curationum extraordinariarum eſſe præciſe obſervandos, ſub gravi periculo.

(*r*) Hoc præcipuum paradoxum, non uri locum affectum, partem ipſam murſu læſam, cui communiter omnes autores deſtinant cauterium. *Dioſcorides* c. 38. *Contra virulentos ictus uſtio expeditiſſimum eſt auxilium, ut pote cum ignis cætera viribus præſtet, quod virus domet, & ferri penitius non patiatur, ſimul quod pars ignem experta poſtea non vulgare fundamentum curationi futuræ præbeat, manente diutius exulceratione.* Limitat tamen *Celſus: Si locus neque nervoſus neque muſculoſus eſt, vulnus id adurendum eſt; ſi uri non poteſt*, &c. Et *Dioſcurides* tandem etiam occipiti & poſt aures urentia cataplaſmata deſtinat. Qui de frequenti inuſtionis uſu apud Japones prolixus agit *W. ten Rhyne*, hoc quam maxime inculcat, in uſtorio hoc artificio omne momentum acumen atque experientiam in locorum electione eſſe poſitam; ita ut ſimplici locorum prævaricatione membri alicujus motus depravari, vel etiam viſceris cujuſpiam vitalis facultas vitiari queat.

(*s*) Æquum videtur poſtulare, ut Chiromantæ, ſi quam habent, hujus loci dent rationem.

(*t*) Ordinarie hoc fit in dextra & ſemel modo. Reiterari actum poſt aliquot dies rarum eſt: Factum tamen aliquando, cum in loco eſſent vel vicinia, quibus magis periclitari viſis certius ita proſpici putabant.

Digitized by Google

XIV.

Bruta vero aduruntur in fronte (*u*) ſeu antica parte capitis, nam & ad illa ſe extendit hæc curatio, e. g. ad canes (*x*) à rabido morſos, pro quibus præ homine candefaciunt ferrum.

XV.

Hac occaſione incidit, me oblitum quærere, an cum iſto ſuo ferro etiam urant à lupis morſos? Hos enim canibus ſimiles ſimiliter rabioſos fieri, paſſim legitur; Commune itaque ambobus videtur deſtinari remedium.

XVI.

Remedium hoc eſt excluſivum (*y*) aliorum, removeri jubetur, ſi quid parti læſæ prius fuerit (*z*) impoſitum, nec aliud intra triduum imponi

(*u*) *Helmontius*: Præſcindunt noſtrates de ſtola Huberti partem, ut filamentum ſingulis demorſis à rabido intra cutim frontis incarnent.

(*x*) *Helmontius* iterum tr. d mag. cur. *Contra canem rabidum nullum animal ſe tuetur aut defendit, quoniam eſt poteſtas magica ligans, contra quam non valent dentes aut cornua.*. Sed in tum. peſt. *Mirum, quod canis venaticus omnium ſuæ matris primogenitus ſolus canem rabidum adoritur & ſuperat. Dos ipſi eſt invictæ imaginationis, etiam, ut ſi à rabido demorſus, minime tamen rabioſus fiat; ubi interim reliqui omnes per morſum rabiem contrahunt, à rabido fugiunt, nec ſe contra hunc, defendere audent* Talia confirmari merentur, interim ita conſternatum tale animal, ſic actum quaſi eſt de ipſo, antequam patiatur; ſecus ac homo, qui tam ignarus, ut Baldus J Ctus, quam pugnans & reluctans, ut ruſticus *Zwingeri* in E. N. C. huic fato æque ſuccumbit, ac pavidus.

(*y*) Dubium, cur excludantur quæcunque alia, vel ſolum ut ſuperflua, qualia in proverbio dicuntur non nocere, vel ut incompatibilia? An irritum reddunt illud remedium? An diſtrahunt animum? Aliter *Dioſcorides* l. 6 c. 37 poſtquam auxilium ex cancris propoſuiſſet, quod optimum vocat, quod & pleriſque unum ſatisfecerit, & quo cum fiducia uti liceat, tamen addit: *Sed ut aliis etiamnum auxiliis contra inevitabile periculum muniamur, nihil cæteris uti probibet Satius autem multo fuerit inhumano: tolerare cruciatus, quam per inertiam ac deſidiam in diſcrimen adduci.*

(*z*) Externorum paſſim magnus legitur numerus; non minus autem admirationis habent præſidia, quæ deſumuntur ab ipſo cane. *Dioſcorides* l. 2. c 18. *Utuntur ad arcendos aquæ pavores dentem, qui caninus dicitur; hunc à cane, qui momordit, exemptum & folliculo inditum, pro amuleto brachio adnectunt.* *Plinius* l 29. c. 5. *Aliqui & vermem è cadavere canino adalligavere, &c. Ipſius caudæ pilos combuſtos inſuere vulneri.* Hoc poſterius manſit ad noſtra tempora, abiit in proverbium & applicatur capiti ab heſterna crapula dolenti conſilium de vino adverſus vini noxam remedio. Sed hæc famoſa quæſtio: *Quid de pilorum canis rabidi impoſitione vulneri per ejus morſum inducto facta tenendum?* peculiari diſſertatione ſub præſidio *Schaperi* fuit ventilata: Ubi periculoſum id, ſuſpectum, inefficax, dubia proin conſcientia non ſuadendum, concluditur. Nos certiorem experientiam deſideramus, antequam judicemus, notantes paucis diſcrimen inter pilos impoſitos ita crude, & eos juxta *Plinium* uſtos, qualia plus minus ſalſeſcunt. Commune ſal morſui etiam virulento utiliter inſpergitur.

poni volunt (*a*), quia prætenditur illud ſolum ſufficere.

XVII.

De medicamentis internis (*b*) nulla facta fuit mentio, nec alexipharmaca vel ſpecifica (*c*) vel generalia exhiberi dicuntur, ſed abſolvitur curatio ſola cauteriſatione.

XVIII.

Denique remedium illud oportet eſſe tempeſtivum (*d*), nam præſervativum

(*a*) Sufficiens an ſit Altingenſium uſtio, determinatu non eſt facile, quia qui ex urbe eo fuerunt ducti, ſcarificationem, cucurbitulas, reliquamque chirurgi tractationem, non neglectis alexipharmacis internis prius ſuſtinuerunt. Omiſſis & neglectis omnibus præſidiis medico-chirurgicis, qui ſola uſtione fuerint præſervati, talium exempla produci deberent. Ex vicinio quodam pago puer ſeptem annorum, ut ab ipſis parentibus habeo, altero ſtatim à morſu die Altingæ uſtus, manſit quidem ſine omni alia ope liber ad uſque finem illius medicæ, quam *Wedelius* vocat, quadrageſimæ, ſed tunc inopinato factus hydrophobus periit acutiſſime, ſcil. intra 24. horas, maxime cum diris viſcerum imi ventris ad medium contentionibus, & miris curſitationibus, vociferationibus, frictionibus imo lacerationibus ſui capitis: Morſus autem fuerat ad labium ſuperius & frontem, qui locus alias valde ſuſpectus, perdiderat ſimul dentem, & effluentis ſanguinis nonnihil deglutiverat, quod etiam conſiderandum. Adde hoc: Neminem morſu petiit, nec alia ratione quenquam infecit hic puer.

(*b*) Panes characteribus obſignatos a ſacerdotibus templi D. *Donini* exhiberi tradidit *Mathiolus* l. c.

(*c*) Iterum mederi, qui læſit, canis creditur. *Plinius* l. 29. c. 5. *Saliuntur carnes eorum, qui rabidi fuerunt ad eadem remedia cibo danda. Multo tamen utiliſſime jecur ejus, qui in rabie momorderit, datur, ſi poſſit fieri, crudum mandendum: ſi minus, quoquo modo coctum, aut jus incoctis carnibus.* Idem ex *Dioſcoride* proponit *Matthiolus*, ſed addit ex *Galeno*: *Scio certe quosdam qui ipſum ſumſere manſiſſe ſuperſtites, verum non illo ſolo: ſiquidem aliis præterea remediis uſi ſunt, quorum fecimus periculum in rabioſorum morſibus. Andivi vero quosdam, cum illi ſoli fidem habuiſſent, poſtea mortuos.* Etiam *Liſterus* agnoſcit, quod à ſuis adhibeatur jecur canis rabidi, ſed cum addito, *quantum intelligo fruſtra. Mihi quidem videntur antiquitatis religioſa quædam deliramenta* [quod ipſi vix condonabunt alii.] *alia certe antidota ſupra comprehenſa non negligant, ſuadeo.* Sed talium modo ſatis eſt; niſi forte accerſenda videatur etiam fabula *Æſopi* nr. 25. edit. *J. Camer.*

(*d*) Si cum illo ſuò ferro valerent curare dirum malum, tum utique haberent, de quo gloriarentur Altingenſes; ſic autem communi ſubſunt fato, nec melior eſt ipſorum conditio. *Fracaſtorius* olim l. 3. c. 9: *In principio ſi debita adhibeantur remedia, totus interficietur morbus.* (Dixerat autem l. 2. c. 10. nec febrem ullam ſentiri, nec ullum aliud malum in principio, neſciente ægro, quanta pernicies lateat.) *Si vero principium jam præteriiſſe putes, & contagem jam radices altius egiſſe, ne quidem urendum eſſe amplius locum vult.* Nec opus eſt cumulare confeſſiones propriæ impotentiæ veterum vel recentiorum, quæ paſſim proſtant: *Ger. Joh. Voſſius* theol. gent. & phyſ. critt. lib. 3. c. 96. l. 4. c. 37. univerſaliter pronuntiat de ſuis collectaneis, *ea ſolum prodeſſe ante aquarum formidinem: poſtea malum eſſe immedicabile.* Ad exempla autem perpauca curatorum

tivum eſt, non curativum, aque adeo quam certum (*e*) & efficax ad præcavendam prætendunt, tam fruſtraneum adverſus præſentem hydrophobiam fatentur ipſi ruſtici.

XIX.

An ergo neceſſarium (*f*) eſt illud remedium? an opus eſſe videtur illo ferro, num vero illo carere poſſemus?

XX.

Hiſtoria huc uſque deducta, quæritur: quid de curatione hactenus paradoxa ſit judicandum? An religioſa, ſuperſtitioſa, vel medica ſit dicenda †?

torum reſpondet diſtinguendo, canis rabioſi præſentius eſſe venenum, quam furioſi hominis, quem canis momorderat. Et tunc quidem tempus perbreve eſt, nam hydrophobia, ſi vel maxime tardet, uti dictum, ubi tamen ſemel erupit, cito hominem conficit; *cum aquæ formidine raro ſuperſtites in diem tertium vel quartum*, vidit *Tulpius*. In hoc frangenti qui heterogeneum cantharidibus per vias urinarias cum ſero, & ſi hoc non ſufficit cum ipſo ſanguine, ſuderit, aut helleboro hydrophobos bene tortis & purgatis præcordiis, ut inſanos, liberarit, ſive tandem mercurio intus dato, extuſve illito hoc, uti illud ſiphylidis, fermentum per ſalivæ organa eduxerit, quo quidem natura tendit in ægris, qui *Liſtero* notante canem oretenus plus imitantur &c. nondum in publico comparuit. Nec tum refert, talium quoſdam forte tandem bibere, nam ejuſdem *Tulpii* ſenex rabioſus potuit interdum bibere, licet moleſte, præſertim ſub finem vitæ bibiſſe dicitur affatim, nihilominus periit convulſus.

(*e*) Interim modo certa ſit experientia & fides præſervationis! Optarem fidele protocollum multorum uſtorum, & diligentem annotationem eventuum.

(*f*) *Dioſcorides* l. c. cap. 36. de hydrophobia: *Moleſtiſſimum genus morbi, à quo multos antea quam ipſum experirentur vindicavimus, & complures ab aliis medicis ſervatos novimus.* Item *Wedelius* in Exerc. ſemiot. patholog.: *Rarus inter nos affectus, ſiquidem citius ſoleamus bezoardicis debitis rem expedire.* Nec in urbe quenquam morſum ex iis, qui Altingam non fuerunt ducti, aliquid mali paſſum fuiſſe conſtat, ſed ordinaria medicina atque chirurgia fuerunt præſervati. Ex alio capite dubitari poſſet de neceſſitate clavis Altingenſis, ſcil. ex illo *Fracaſtorii*, quod quidam à cane rabido morſi contagem tamen non contrahunt, vel ſuperant: à talium enim uſtione, & conſequente immunitate ad ipſius utilitatem, non valeret conſequentia. Quales autem ſint illi, vel unde ſit tale privilegium, non determinat. An ſimiles illi cani venatico, de quo in ſchol. ad theſ. 14? niſi id fiat ex rationibus à *Liſtero* propoſitis l. c. p. m. 128. Memento tamen diffidere! Cave etiam confundas diverſos diverſorum canum morſus, quippe juxta *Helmontium* & *C. Muſitanum* trut. chir. morſus canis ludentis tutus, irati periculoſus, omnino periculoſiſſimus rabidi.

† Sc. quid de facto fiat, ſatis conſtat, non æque de hac quæſtione: quam recte? An licitum ſit hoc remedium; & approbandus vel tolerandus ille confluxus? Noſtrine mittendi Altingam, vel retrahendi? Si prius experientiæ fides, de cujus certitudine vel univerſalitate dubitare adhuc

licet, rite firmaretur, in rationibus dein quærendis & judicio ferendo liberius exercere ſe poſſent, quibus libet. Itali ſatis confidenter loquuntur de ſuis etiam paradoxis curationibus: applicabo interim illorum verba ad noſtrum caſum, in quo ſane ad hæc tria præcipua videtur redire tota difficultas, utrum ex his tribus ſit potius: clavis, locus, uſtio. *Fracaſtorius* de Sacerdotibus, ad quos deducantur, qui demorſi ſunt, ſcripſit olim, quod hos curent tum religione, tum medicorum officio & inſtrumentis utentes; urunt enim & ipſi locum. *Matthiolus* comm. ad. cap. 37. *Dioſc.* hæc habet: *Cogitanti mihi, quonam pacto hoc tam facile eveniat, nonnullæ ſeſe obtulerunt rationes, quas libere dicam. Haud dubie inprimis divina auxiliatur gratia: quippe cum non parum moleſtiæ maliqne morſu canis rabioſi affectis inferre poſſint cacodæmones, ut qui in atrabilariis humoribus ſuam habeant ſedem, ii quidem exorciſmis cedentes abeunt, & afflictorum corpora munda relinquunt, ſublato ſecum veneno.* Sed hæc ratio *C. Muſitano* eſt barda, quia Dæmon obſeſſurus non indiget morſu canis, & quia exorciſmus non eſt prophylacticum hydrophobiæ, quod tamen modo dixerat ipſe, quia tandem non ſit perpetuum ſeſe immiſcere dæmones, quod eo ipſo in tantum concedit. In noſtro caſu de exorciſmo ullo non conſtat: ad divinam gratiam quis non anhelet? Quis non in ſolidum adſcribat ipſi omne bonum? Sed cur non auſint ægri eam accedere, niſi interpoſito ſancto, quibus ſuppetit ſoter: & an fas ſit prætendere miracula ordinarie ſanari ſine mediis, aut cum mediis non adæquatis? De ſpiritibus vero morbiferis quid olim ſenſerit *Joh. Sophr. Kozak*, & quales requiſiverit medicos, vel ex dedicatione & præfationibus ad tractatum ejus de hæmorrhagia ſingularem conſtat.

Pergit *Matthiolus*: *illud præterea addiderim, quod fortaſſe Sacerdotes ipſi aliquod nobis occultum habent antidotum, quod panibus admiſcentes ægris devorandum præbent.* Hoc iterum cum circumſtantiis noſtris prius allegatis non convenit: vidi utique panes in diminutivo tales, quaſi trochiſcos, apud Arch. Würt. Exc. *Mæglingum*, figuræ quadratæ, cum ductis diagonali lineis parallelis, & in ſcriptis literis, ſed quas explicare l. combinare ego quidem non poſſum; nec Altinga tales conficit, nec interni quid præbet.

Tandem addit *Matthiolus*: *His denique accedit magna laborantium fides, quam ſuſcipit Deus opt. max. cujus ſolius munere omnia noſtra delentur incommoda, atque omnes auferuntur ægritudines.* Hic *Muſitanus* diſtinguit inter fidem chriſtianam, cui talia competunt prædicata, quæque operatur mirabiliora, & inter fiduciam ſive confidentiam, tanquam medium animoſitatis naturale, pugnax, & valide terrori reſiſtens, quo poſito anima in p. n. ſe adigebat motus. *Nec iſta fides debet eſſe poſitiva, credo, ſed potius negativa, non horrens, non timens; hac confidentiæ idea vita, quæ eſt morborum effectrix, virulentiam non amplius ſentit, imo per partem demorſam, urinam, tranſpirationem alioſque ductus foras propellit.*

In

In noſtro caſu forſan locum habère aliquando poterunt animi pathemata. Hæc enim inter poſitiones medicas; quas dedit olim *Præſidi B. Parens*, fuit tertia: *Paſſiones animi ſæpe cauſa, frequenter productum, non raro remedium morborum, nonnunquam impedimentum curationis ſunt.* Fides quædam forte medica hic poſſet concipi ex fama publica, intendi ſpes deſiderium in itinere, ſuſpenſus expectare animus, averſo corpore uſtionem præſtolans, donec ſub ipſo actu complementum acquirat: Sed fides non eſt omnium, uti omnes advenæ uruntur indiſcriminatim à ruſticis. Alia itaque animi perturbatio per uſtionem ſuperveniens, nempe terror, hic videri poſſet, univerſalior & majoris eſſe momenti, in tantum vel in totum, ad reprimendam aliquorum vel ſuperandam forte omnino hydrophobiam, quia non tam firmat, quam atterat illam perverſas turbas molientem animam, percellendo ipſam motu non ſolum novo ſed & alieno, adverſo; ſive concipiatur anima male nimis morſui intenta revocari aliorſum, ad hoc objectum, per modum quaſi revulſionis, ſive ſufficiat ſimpliciter excitari hanc ideam metuendi ignis, ſine determinatione loci, uti quidem videtur *Helmontio* filio, conformiter theſi Parentis, qui in tum. peſt. pro curatione requirit remedium, quod poſſit ingenerare æquivalentem, aut præpollentem fatuæ ideam. Nam non poteſt dici peregrinus hoſpes, hoſtis verius, in limine ad huc ædium interfici, quia pars ipſa læſa non uritur. Quin potius videtur huic ſimilive curationi non bene convenire cum tanta potentia veneni, ſalis, mumiæ, fermenti, &c. Quod per morſum inferri & abſolute irritare atque immutare prætenditur, utpote cui nullum ibi opponitur remedium, & cui non amplius ſubjacet, ex hypotheſi, quem ſemel ita dicta clavis tetigit.

Illa vero *Muſitani* vita, per fidem obfirmata, quæ non deſtructo virulentæ ſalivæ ſtimulo cum fermento, ſed quaſi neglecto, poteſt non moveri, non infici, aut vias alias modoſve tenet meliores, quibus illum aggrediatur & ſuperet, quonam extra hunc caſum fatali errore abripitur, ut perverti & ſtimulari ſe patiatur in propriam injuriam, idem ille morborum faber qui autor ſanitatis, at hic impetum faciens ad intercionem ſive per ſe, ſive per accidens, male verificaturus adagium: Nemo niſi à ſe ipſo læditur; ut loqui amat *Helmontius* in d. febb. Cæterum, ut hoc addam, famoſa ſubmerſio (de qua poſt alios *Sachſius* in gammarologia.) à *Tulpio* etiam ex inopinato maxime terrore efficax ad integre expellendum aquæ metum creditur: Ipſe utique tales non blandius haberi, ſed vel invitos aqua ſatiari vult; ut dubites, utrius, terroris an hauſtus, potior ſit ratio. *Neque* (addit) *vidi hactenus quenquam, (licet viderim plurimos), cui tempeſtive in mare projecto, quicquam ſiniſtri poſtmodum evenerit.*

Verum enim vero, ſiquidem hic eſt proceſſus, vel hæc ſubeſt ratio curationi illi ruſticæ, ut pavor modo ignis ſit, qui præveniat pavorem aquæ,

aquæ, tunc videretur utique cauterium quodcunque aliud pollici admotum idem poſſe præſtare; imo plus, quod parti læſæ. Et cur fonticulus brachio non inuritur, qui ſervari poſſet apertus, ad lubitum. Ejus autem periculum in ſe fieri, nondum ſuppetit læſus, qui ſuſtinuerit. Quod ſi non tam ruſtici prætenderint contrarium, quam vel ipſi vel quicunque alii debite comprobaverint, ſecus ſe rem habere, & eſſe prærogativam uſtionis Altingenſis, præ alia vulgari, tunc profecto naturalis illa fides atque error vix ſufficient Et quid ſupererit, quam ut (in talem nondum probatum eventum), cauſa, quæ in tantum elevat vile inſtrumentum, agnoſcatur alterius vel altioris conditionis; Niſi quis ex hoc ipſo; quod ita dicta clavis nihil valet adverſus præſentem hydrophobiam, contrarium arguat, ſcil. tale ac tantum non ſubeſſe principium, quia perinde ſit abſolutæ potentiæ, liberare à morbo præſente æque ac futuro.

Tamen, ex hypotheſi iſta, cur fruſtraneum eſt remedium, ſi nonſit tempeſtivum? An, quod non amplius informabilis animæ præ confuſione interna non attendens tantillam impreſſionem externam? Aut non amplius valens corrigere, quæ vel ipſa fecit, vel fieri paſſa eſt? Eſt in medicolegalibus *P. Zachiæ* quæſtio, huc ſpectans: An irrationabilis ſit tunc formido aquarum, ſcil. præter rationem, non præter cauſam, an vero rationabiliter timeant miſeri, quia ab eis nocumentum percipiunt, i. e. patiuntur dolorem, vel damnum, periculum vident, aut videre putant. *Fracaſtorius*, uti dubius, an ſolidas partes nerveas prius, an humores velit affici, ſic ambigit, an culpa potius ſit in principio vel organo, à defectu phantaſiæ, vel ab indiſpoſitione corporis? Talis foret prætenſa ab aliis, ſed non conceſſa ab omnibus, faucium inflammatio: Sic non poſſent bibere. *Liſterus* ait, eſſe curandum, non ut bibant, ſed ut bibere velint, qui tamen idem vult ipſos cruciari à potu, vel à ſaliva cum potu, ut non auſint bibere. Alias quos ordinaria deſtituunt ſubſidia, ad analogiſmum confugiunt medici: Videtur autem quidam intercedere inter hydrophobiam & ſpaſmum cynicum; quo aliunde correpti, etiam plerique pereunt. Dedit quæ huc ſpectant *Wepferus* in E. N. C. 3. 2. ſcil vim ſpaſmorum & mortificationum ſigna, quibuſcum conferri merentur, quæ in eodem tomo communicavit *Gabrliep*. Nondum iſta ſatis ex obſcuritate naturæ ſunt eruta: Pathologia utique hydrophobiæ vix eſt clarior, quam quæcunque talis paradoxa ejus therapeia præſervatoria; Uti nec ex hoc ejus proceſſu quidquam facile colligas, pro declaranda cauſæ occaſionalis conditione & idearum ortu. Ipſæ anatomicorum obſervationes nondum ſatis conſpirant, quæ proſtant in ſepulcreto *Boneti*, in *Ephemeridibus Naturæ Curioſorum*, in laudata epiſtola *Lentilii*; Et duplex ipſi relinquunt dubium; quid univerſale ſit, aut non, quid cauſæ, quidve producti habeat rationem? (Hoc tamen ſuppeditant phænomenon, impune ſecta fuiſſe hydrophoborum cadavera, perinde ac tractata per chi-

rurgos

Digitized by Google

rurgos noſtros vulnera, nihil hactenus mali paſſos. (Quodſi alibi vel aliquando ipſam canum rabiem plenius exprimant morſi, faciles *Galenus* & *Carteſius* dabunt theſes ſuas: *Mores animi ſequi temperamentum corporis. Cogitationes mentis correſpondere corporis motibus.* Sed applicatio ſpecialis non erit ita facilis. *Dioſcorides* quidem l. c. cap. 35. videtur reprehendere aliquos medicos, *qui affectus à virulentis animalibus contrahi ſolitos vocarunt cæcos, i. e. quorum ratio minime iniri poſſit; quin & ea, quæ iiſdem auxiliantur, nulli pariter eſſe addicta cauſæ:* Sit tamen ita quandoquidem occultum eſt, quo vivimus. Concludendum eſt tandem reſpondendo ad quæſtionem propoſitam: Properet Altingam, qui volet, negligatque ſuo periculo medicinam. Ego defendam & ſequar prophylaxin Laudatorum hactenus Practicorum.

XXI.

Denique, cur per annum nuperum canum multi facti ſunt rabioſi?

Quo minus huic modo quæſtioni poſſit ſatisfieri, duo ſunt, quæ nos remorantur. Primum eſt defectus hiſtoriæ, quam plenam comparare non licuit, an uti verba jacent, multi canes fuerint in rabiem acti? an vero unus & alter rabidus alios momorderit, qui citius tardiuſve eadem paſſione correpti porro plures invaſerint? *Muſitanus*: *Canis rabidus ſemel mordet, & morſum non repetit, ſed ſtatim, quem momordit, deſerit, & ad alios properat. Cœlius Rhodiginus: Non modo aquam expaveſcere, quos ita affectus canis momorderit, ſed & ipſos item retinere vim, eundem imprimendi morſum, atque ita deinceps fieri hydrophobicos omnes, ut fiat quædam rabidorum catena.* Secundo, adhuc in deſideratis noſtris eſt, cognoſcere, utrum apud nos modo fuerint frequentiores ac olim tales canes, an vero etiam alibi? Et quo uſque ſe extenderit eorum paſſio? Dum hæc circumſtantiæ expediantur, tangemus interim paucis cauſas, rabiei primigeniæ aſſignare quas ſolent: Tales ſunt aër tam æſtuoſus, qualis tamen non fuit anno præterito, ſed per ipſam æſtatem frigido humidus, quam gelidus, qualis etiam nupero Januario in exceſſu non tulit canes rabidos; Decembri tamen iterum talis per urbem cucurrerat. Aërem regunt aſtra: Alios itaque aſpectus oportebit quærere per veris quadrantem. An venus verna commovit vel emovit quoſdam? De ira dictum fuit ſupra. Etiam periclitari poſſunt, quos fames vexat. Et hæ quidem videntur cauſæ validæ ad canes turbandos, ſed vix promiſcue omnes; verum eos modo, qui diſpoſiti præexiſtunt ab intra: In quibus forte jam latet fundamentum ideæ, à vulnere vel ipſis vel parentibus olim per morſum rabidi inflicto. Aut quænam alia proegumene per iſtas procatarcticas deducitur in actum? An verminoſa? qualem multis, magnis & obſcuris morbis ſubfuiſſe hiſtoria docet, qualemque paſſim per corpus luporum & canum invenerunt anatomici; & quam præ aliis firmare ſtuduit *Ch. Fr. Paullini.* Hanc ingenerare poteſt diæta, quam præ aliis *Matthiolus*,

& confirmat obſervatio in E. N. C. 2. 6. 7. *Wepfferi* de morticinis ad folliculos ventriculorum venenoſos; cui ad latus etiam poni poteſt illud de aquis *Scretæ* in d. febr. caſtr. ſ. 1. c. 6. inde ſuſpectis. *Eſt vermiculus*, *Plinius* l. 29. c. 5. *in lingua canum, qui vocatur à Græcis litta*, (lyſſa) *quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt.* Atqui ex pedis tumore exempto verme deſiit rabies in *E. N. C.* Sublingualem vermem diu deſideratum obtinere non potuit, quod autem vel tandem obtinuit, pro verme habere vix potuit Laud. Dn. D. *Magling*, ut ex benevola informatione ab ipſo didici. Sed ſatis eſt dubiorum, & eheu! periculorum nimis. Igitur, bene monente Poëta, *Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano*, *ſoli Deo gloria.*

FINIS.

TABULA DISPUTATIONUM

VOLUMINIS PRIMI

PARS PRIMA

Ad Capitis Morbos.

I. J. NICOLAI PECHLIN *de Apoplexia* Diſputatio inauguralis Leydæ 1667. Recepi hanc in noſtram collectionem, tum ob ingenium famamque viri, tum quod ventriculorum cerebri inanitatem, inque iis collectam pituitoſam materiem meatus ſpirituum obſtruentem apoplexiæ cauſam refutarit, tum quod varias minime ſpernendas obſervationes interſperſerit: etiam effectus, quem opium in cane vivo produxit. Pag. 1

II. J. STEPHANI DES HAIS (vel potius FRANCISCI BOISSIER de SAUVAGES) Diſp. de *Hemiplegia per electricitatem curanda* Monſpel. 1749. plurima primo habet phyſiologica, quæ clari viri dictatis reſpondent, & ad electricam naturam ſpirituum animalium confirmandam pertinent; deinde, cum in nerveo influxu incitando hemiplegiæ curationem ponat, ſequuntur exempla curationum, quæ eo auxilio perfectæ ſunt, commotione electrica excitata, præbente ſumtus Præfecto Provinciæ LE NAIN. Ii conatus ſæpe felices fuerunt in hemiplegia, œdemate pedum, epilepſia, quam certe levarunt. Non tamen diffitetur AUCTOR, fruſtra alias hoc auxilium tentatum fuiſſe. Obſervatum eſt, crurum facilius quam brachiorum motum reſtitui, artus in hoc malo fere ſemper rigidos eſſe, ſalivam mota electricitate accelerari, hinc in phthiſi eam curationem nocuiſſe, muſculum ſternomaſtoideum ad oppoſitum latus caput convertere, quod quidem nuperа mea experimenta confirmant. 17

III. SAMUELIS THEODORI QUELMALZ *de viribus electricis medicis* Lipſiæ 1753. Prævиſas prius vires medicas excitatæ naturæ electricæ experimentis confirmavit, uſus vehemente adminiſtratione, quæ celerrime ſcintillas cieret, aucta imprimis ea vi, per longiora fila metallica hominem inter & globum confricatum interpoſita. Ita digitos incurvatos ſubito extendere docuit, impotentiam artuum paralyticam celerrime ſuſtulit, iridi mobilitatem reſtituit, & in amauroſi viſum hactenus reddidit. 47

IV. CAROLI LINNÆI & Auctoris PETRI ZETZELL *conſectaria Electrico Medica* Upſal. 1754. Minus felicia hæc experimenta fuerunt, & vis electrica etiam Muſchenbrœkiana commotione in uſum revocata adverſus amauroſin, arthritidem, cephalæam, ſurditatem, malum iſchiadicum, odontalgiam, fruſtra omnino fuit, in contractis tamen artubus & ganglio non omnino inutilis viſa. Imaginariæ illæ alvi ſolutiones per effluvia medicamentorum purgantium motæ, ex his experimentis denuo refutantur. 57

V. MATTHIAE ERNESTI BORETII & J. GOD. ARNOLDI *de Epilepſia ex depreſſo cranio* Regiomont. 1724. Memorabiles ſatis hiſtorias habet convulſionum & epilepſiæ, in quibus malum unice a compreſſo cerebro, aut a depreſſo cranio natum, eoque vitio ſublato ſanatum fuit. 63

VI. CAROLI AUGUSTI A BERGEN & J. MART. FRIDER. MULLER Diſſ. *de morbo epidemico ſpaſmodico convulſivo contagioſo experte* Francof. ad Viadr. 1742. Morbus in convulſione rigida muſculorum flexorum artuum poſitus fuit, in

gangrænam tamen, ut alii morbi a clavo ſecalino nati, non tranſiit. Cauſam in pane ſecalino corrupto recte ponit auctor; verum morbum hujus frumenti non definit, rubiginem cum uſtilagine, hanc cum clavo ita confundit, ut neget abſque uſtilagine clavum nocuiſſe. Obſervavit tamen corruptum ſecale & ſuibus perniciem intuliſſe, & omnino muſcis. In curatione frictionem & veſicatoria laudat. Pag. 75

VII. Philippi Conradi Fabricii & J. Georgii Albrecht Kipping *de paralyſi bracchii unius & pedis alterius lateris dyſentericis familiari* Helmſtadt 1750. Morbi vulgo non notiſſimi hiſtoriam ad autopſiam deſcripta & curatio. 97

VIII. Samuelis Theodori Quelmalz Programma *de muſculorum capitis extenſorum paralyſi* Lipſ. 1754 aliquot hiſtorias hujus mali deſcribit vir clar. in quo caput antrorſum ſponte delabitur. 115

IX. Henrici Ludolphi Harmes Diſſ. in *cauſas morborum & mortis ſubjecti Maniaci* Regiomont. 17,4. Etſi facile prævideo, methodum oon placituram omnibus, obſervationes tamen ex inciſis cadaveribus natas conſervare non viſum eſt inutile, in tanta hiſtoriarum hujus generis raritate 123

X. J. Wolfg. Frid. Bornnsken *biga caſuum Medicorum απο της μανιας νοηματωδεις obſervatorum* Werthemiæ 1744. Fuſa, ut ipſa multitudine minutiarum fidem ſibi parere queat, hiſtoria deliriorum vehementium, nondum tamen diuturnorum, quæ infuſo in aquam modico ſanguine aſini ſublata ſunt. Uti non decet præcipitem fidem ejuſmodi remediis tribuere, ita etiam minus convenit rejicere, quæ publice utiliſſima futura prævidemus, ſi repetitis experimentis confirmata fuerint. 157

XI. J. Jac. Harderi & auctoris Joh. Hoferi *de noſtalgia Diſput.* Baſil. 1678. Alteram fuſiorem Zwingerianam hujus affectus deſcriptionem vetuit hic repetere lex, quam nobis ipſis ſanximus, ne alibi collectas diſputationes recuſas redderemus. Brevis hæc noſtra & vera eſt, quantum ad hiſtoriam ſpectat, ſimillimas enim mali, per ſolam ſpem de reditu ſublati, hiſtorias ipſe vidi. 181

XII. Friedr. Lebegott Pitschel de *Hydrocephalo interno*, *Epiſtola ad J. Adamum Kulmum* Lipſ. 1741. Puero, qui ſatis recte valere viſus fuerat, ſenſim caput intumuit. Cum annum exceſſiſſet, convulſiones & rachitidis ſigna ingruerunt, & periit miſellus, ſanæ tamen cum rationis ſignis. Erat cerebri enormis mutatio, ut pars non modica nobiliſſimi viſceris colliquata evanuerit, reliqua pars in membranam ſpongioſam degeneraverit, quæ veſicæ modo ſex & ultra aquæ libras contineret. 191

XIII. Alexandri Camerarii inauguralis Diſp. *de Apoſpaſmate piæ Matris* Tubing. 1722. Habet tamen in re non graviſſima pretium aliquod, non indoctis exemplis comitata obſervatio. 197

XIV. Valentini Schrid & Marci Mappi. Diſp. de *duobus oſſiculis in cerebro humano mulieris apoplexia exſtinctæ repertis* Argentor. 1687. Oſſicula ejuſmodi non ſunt rariſſima: cautus vero auctor, ſupra ſeculi morem, de calculis in cerebro repertis dubitat, & pinealis etiam conarii lapillos ægre admittit. *Tab. I.* 210

XV. Justi Godofri Gunzii programma *quod lapillos glandulæ pinealis in quinque mente alienatis inventos proponit* Lipſ. 1753. Docte, ut ſolebat auctor, oſtendit, pleroſque certe homines, in quibus in ea mali nominis glandula lapilli reperti ſunt, mente vacillaſſe, etſi fatetur in nonnullis, nullum animi vitium fuiſſe. Varia ad hiſtoriam etiam anatomicam conarii confert. 213

XVI. Abrahami Vateri programma de *plica polonica rariſſima* Vitteberg 1748. equidem *in Philoſophicis tranſactionibus* editum fuiſſe nunc reperio, duarum tameo pagellarum huic hiſtoriæ impenſarum non pœntiet. 251

XVII. Georgii Friderici Stabel reſpondente Mackio Halæ a 1724. defenſa

Digitized by Google

defenſa diſputatio *exhibens ſingulares obſervationes de plica polonica* confirmat contagioſum malum eſſe, ex inmunditia aërisve vitio non oriri, criſeos modo erumpendo maximos morbos aut occupare ut maniam, cephaleam, mortem ſubitam, aut jam natos tollere: Succiſam, ſuppreſſamve plicam ad ſymptomata venereorum, adfinia, tabem, dyſenteriam, ſcrophulas & oſſium fragilitatem ducere. Curandi etiam modum exponit, quam potiſſimum decocto lycopodii perficit, quo capue fovetur. Mercurialia medicamenta rejicit. Pag. 253

XVIII. Georgii Ernesti Stahl progr. de *fiſtula lacrymali* Hall. 1702. Potuiſſem ad Chirurgicas Diſputationes referre, hic vero tanquam à Medico Practico profectum adjeci. Reprobat vulgares illas eroſiones, materiam purulentam unice ex ſuperiori puncto lacrymali, nunquam ex inferiori, profundi monet, deinde curationem proponit, qua meatus ad nares ducens chorda chelyos introducta aperitur. 258

XIX. Alexandri Camerarii & Auctoris Julii Friderici Breyer Diſput. de *Ophthalmia Venerea & peculiari in ea operatione* Tubing. 1734. Imprimis gonorrhoeæ metaſtaſin ad oculum deſcribit, in qua ſub conjunctiva membrana materies, purulentæ illi urethræ ſaniei ſimillima, effunditur. Eam inciſa conjunctiva emittere ſuadet, & curationum exempla adfert. 283

XX. Abrahami Vater & Christiani Heinicke diſſ. *qua viſus vitia duo rariſſima, alterum duplicati, alterum dimidiati phyſiologice & pathologice conſiderata exponuntur* Vittemberg. 1723. Prior quidem morbus à fulgure illapſo pupillis in diverſa ductis natus eſt. Alter, in quo dimidium objectum viſum fugiebat, ex minutiori pictura exque mœrore profectus dicitur. Inde in cauſam viſus dimidiati auctor inquirit, & hypotheſin profert, in qua quilibet cerebri lobus dimidiam nervi optici & retinæ partem dextro, dimidiam ſiniſtro oculo mittit. 305

XXI. J. J. Klauhold *de viſu duplicato* Argent. 1746. De cauſa, cur ſanus homo objecta ſimplicia videat, neque gemina, primum inquirit, deinde oſtendit quibus modis obtineatur, ut duplicia cernantur: imprimis, experimento facto, dum alter oculus ſurſum, deorſum alter premitur. Tunc ex numeroſis auctoribus caſus varios hominum eo vitio adfectorum decerpit, ſuam propriam gemini viſus ex altera pupilla ſurſum, altera deorſum verſa, nati deſcriptionem addit, ex hiſtoriis illis claſſes hujus morbi conſtituit. 319

XXII. Caroli Augusti Bergen & J. Christiani Weiss Diſpot. *de Nyctalopia ſeu cæcitate nocturna* Francof. ad Viadr. 1754. Hanc Diſputationem conſervatam volui, quod rari morbi ab Ill. Præſide obſervati hiſtoriam contineat, qua nonnulla Boerhaavii effata corriguntur. Curationem halitu toſti & calentis hepatis peractam addit, antiquo & confirmato à recentioribus medicis auxilii genere. 359

XXIII. Caroli Friderici Kaltschmid programma *de nervis opticis in cadavere latis inventis à compreſſione per undas facta cauſa ante mortem ſubſecuta gutta ſerena* Jenæ 1752. Titulus fere hiſtoriam declarat, qua non vulgatiſſima cauſa amauroſeos declaratur. 375

XXIV. Samuel Theodori Quelmalz programma *de narium earumque ſepti incurvatione* Lipſiæ 1750. Morbum minus notum deſcribit, qui tamen & ſpiritus neceſſarium iter arctat, & olfactui nocet. Curvari ſeptum aut a caſu aliquo, aut a mala inſerti digiti conſuetudine, aut a polypo, aut a carie, aut ab aliis, quas hic repetere nolo, cauſis docet Auctor, & luxari demum aque oſſibos maxillaribus divelli ſeptum, per exempla oſtendit. 377

XXV. Johannis Salzmanni & reſpondentis Ernesti Christiani Honold diſp. *de Verme naribus excuſſo* Argentor. 1721. Exemplum verminationis ſubcutaneæ funeſtæ, per totum primo corpus erepentis proponit, deinde duas hiſtorias erucarum, vel animalium certe cornutorum multipedum, eruciſ-

ſimilium, de naribus excuſſorum. Sedem his beſtiolis propriam in ſinubus pituitariis, & maxime in frontali adſignat, cephalalgiam inter præcipua ſigna recenſet. Aliud exemplum addit teretis lumbrici, ut videtur, cujus cadaver de naribus ejectum eſt. *Tab. II.* Pag. 385

XXVI. Bernardi Albini & Georgii Conradi de Horn Diſput. de *ſalivatione mercuriali* Francof. ad Viadr. 1680. Multa quidem Carteſiana, & noſtro ſeculo parum aut grata habet aut utilia: ſed miſcentur etiam practicæ cautelæ, & obſervationes non vulgares mercurii, cujus per ſudorem efficacia exſerta fuit, mercurii dulcis inuncti & ſalivam moventis, decocti raparum in gargariſmis optimi. 405

XXVII. Christiani Roeperi & Abrahami Flaminii Gastonis *de ſalivatione critica in morbis acutis & chronicis* Hall. 1702. Habet proprium enormis ſalivationis ſpontaneæ in homine Venereo exemplum, deinde ſputationem ſcorbuticam (qua occaſione, vinum, cui viride aeris immiſſum, ad laxitatem gingivarum ſcorbuticam laudat) phthiſicam, anginoſam, autumnalem hanc utilem & perſpirationis vicariam, demum in febribus obortam proponit. Hujus cum eroſione gingivarum natæ exempla adducit. Ultima eſt variuloſa illa, ſputatio Sydenhamio dicta. 444

XXVIII. Samuelis Theodori Quelmalz program. *de ptyaliſmo febrili* Lipſ. 1748. Epidemicam, neque criticam, ſed per plures paroxyſmos redeuntem ſalivationem, analogam mercuriali, neque tamen ab eo metallo ortam deſcribit. 469

XXIX. Eliæ Camerarii & Georgii Thomæ Weissmann Diſput. *exhibens caſum de ſalivatione ſine ſalivatione* Tubing. 1711. nempe fumi mercurialis, & inunctionis repetitæ uſum, neque tamen ſalivationi producendæ parem proponit. Sudorem decoctis lignorum motum non ſuperaſſe virus venereum, quod ſoli argento vivo ceſſerit, teſtatur idem, primus noſter Præceptor. 471

XXX. Samuelis Theodori Quelmalz progr. *quod hydrargyri vires à ſulfure ſuſpenſas expendit* Lipſ. 1748. Expertus eſt, ſulfur exhibitum vires argenti vivi frangere, bonoſque ejus metalli effectus jamque motam ſalivationem deſtruere. Hinc cinnabarin pro inerti medicamento habet, niſi ea matura fuerit, in qua nimia argenti vivi copia habitat, quam ſulfur adeo ligare nequeat, & a qua omnis ſit efficacia, quam adverſus virus venereum Cl. viri experti ſunt. 493

XXXI. J. Damiani Chevalier & Ludovici Renati Petri Felicis le Thieullier Theſis in hæc verba *Ergo per ſuffitum felicior & tutior, quam per inunctionem mercurialem morbi venerei curatio* Pariſ. 1752. Negat ſalivationem ad curandum malum requiri, & inunctum, ad dimidiam de die drachmam, argentum vivum, menſtruo uſu, abſque moto ſputo, optime conferre. Magis tamen vividam, & penetrabilem vim eſſe æthiopis credit, cum quadruplo ſulfure facti, ad unam drachmam carbonibus injecti, ut combuſti halitum æger tentorio tectus excipiat. De ejus remedii ſecuritate ducentis exemplis auctori conſtat. 502

XXXII. Jacobi Grainger *de modo excitandi ptyaliſmum & morbis inde pendentibus* Edimburg. 1753. Eximia Diſſertatio, & inter paucas utilis, ſapientis medici, & experti. Sputatio, quibus morbis conferat inquirit. Nocet eadem in Epilepſia, graviditate, morbis narium. Argentum vivum, fumi ſpecie ſuſceptum, vehementia ſymptomata movet, dulcis mercurius vix fini reſpondet, perque alvum ducit. Optime cuti illinitur & fricatur: Doſis eſt drachmæ metalli bis de die inuncti, per ſex fere dies. Si tunc leſſa ſputatio moratur, emetico expeditur. Lenio uſu melius operatur. Putrefacit omnino ſanguinem, fœtidum reddit, pulſus perinde multiplicat, uti febres ſolent. Hinc calorem in cubiculo non majorem toleret, quam 60 graduum, ne duplex cauſa ſanguinem corrumpat.

rumpat. Etiam abſque calore ptyaliſmus recte procedit. Cum nimio calore ſanguinem per omnia organa ſecretoria exturbat. Inde ſymptomata graviora percurrit Auctor, quæ ptyaliſmo ſuperveniunt, ut dyſenteriam valde funeſtam, in qua mineralia acida præter caſtrorum uſum improbat, ſulfur vero mercurii efficaciam moderari recte ſuſpicatur. Præſtare diuturniorem uſum metalli copioſiori monet. Decreſcere poſt ſalivationem homines, & teſtium cuticulam delabi obſervat. Pag. 509

XXXIII. Henrici Michaelis Missa & Guidonis Danie' Despatureaux auctoris Theſis in hæc verba *Ergo lui Venereæ hydrargyrus camphoratus* Paris 1756. Laudat vim camphoræ, quæ argenti vivi vim ſalivam moventem frangit, conſervata ea vi, qua virus venereum debellat: adhibet autem in unguento, & ſex primis diebus duas drachmas argenti vivi quotidie illinit, poſtea bis unciam dimidiam: effectum moderatur camphoræ uſu, & felicia curationum exempla producit. 525

XXXIV. Christiani Arend Scherer Diſp. *de Calculis ex ductu ſalivali excretis* Argentor. 1737. Propter hiſtoriam ægri, cui duo calculi de maxillari ductu prodierunt, locum hic invenit. 533

XXXV. Marci Mappi Diſput. inauguralis *de gurgulionis prolapſu* Argentor. 1660. Breviter & perite diſtinguit a pituitoſo infarctu inflammationem, remedia ad utrumque malum docet. 553

XXXVI. Gedeonis de Rabours & Caroli Augusti Vandermonde Theſis in ea verba *An in ulcere tonſillarum gangrænoſo antiſeptica* Pariſ. 1749. A putredine morbum deducit, & à calida æſtate aereque fædis vaporibus gravido. Inde curandi ratio. 567

XXXVII. Simonis Pauli Hilscher Program. *de inſigni quodam raucitatis remedio.* Jenæ 1747. nempe vapore aquæ calidæ per infundibulum recepto. 574

XXXVIII. Abrahami Vater reſpondente Friderico Augusto Emmanuele Zinckernagel egregia diſputatio *de deglutitionis difficilis & impeditæ cauſis abditis* Vitteberg. 1750. Quatuor memorabiles caſus, duo ab impacto corpore acuto, tertius a duplici ventriculi & jejuni inteſtini aut contuſione aut abſceſſu, quartus a terrore, quem abſceſſus œſophagi ſecutus eſt, natus, & feliciter utique ad exteriores partes nato tumore diſcuſſus. A clyſteribus nutientibus mortis moram ſperat. 577

XXXIX. Alexandri Bruce Diſp. de *hydrophobia* Edimburg. 1755. Præter utilem collectionem habet hiſtoriam propriam inciſi cadaveris hydrophobici. Morbum refert ad genus nervoſum ejuſque ſenſilitatem auctam; ex ea cauſa ſimptomata explicat. 595

XL. Rudolphi Jacobi Camerarii & Theodori Christophori Scharf diſp. *de alyſſo clave* Tubing. 1709. Ferri igniti continuo admoti veram efficaciam confirmat. In Altingenſi vero ferramento mirum fuerit, ſi vera utilitas ſubſit, cum parti vulneratæ minime adplicetur. Merito adeo in puero fruſtra adhibitum fuit. 621

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google